

D.re Batta e ffigur.

ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO



Ex libris D.nis et Equitis Calandrini

Antiochi Sarra nunc vetuli,

annos nati 84

1792.



D. CAROLI MUSITANI

PHILOSOPHI, AC MEDICI
Experientiſſimi atque Celeberrimi,

PYRETOLOGIA

SIVE TRACTATUS

DE FEBRIBUS,

In quo, Hippocratis ſerie ſervatâ,

NOVUM SYSTEMA DE FEBRIBUS
Singuliſque earumdem Speciebus, aperitur; Antiquâ Galenicorum
Doctrinâ ad TRUTINAM revocatâ, penitúſque eversâ.

Cum INDICIBUS *Capitum, Rerum & Materiarum locupletiſſimis.*

COLONIÆ ALLOBROGUM,

Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON,
RITTER & S. DE TOURNES.

M. DCC.

PRÆFATIO.

FATO veluti quodam fuiſſe factum videmus tantoperè à nobis vitam expeti præ cæteris, quæ deſiderari contingunt, adeò ut ipſimet Philoſophi, qui libellos de contemnendâ morte ſcripſerunt, iidem illam, quia inevitabilem, malorumque omnium finem, meliorisque vitæ adeptionem, patienter ferendam, non tamen exoptandam docuerunt, quinimò ut quà poſſit parte immortalitatis quadam ſpecie hominum memoriæ vivant, eorum nomen inſcripſerunt. Fato, inquam, veluti quodam factum in tantâ re támque exoptatâ, artem fuiſſe inventam, quâ juvari valeret, ſed adeò dubiam, obſcuram, difficilem, & penè captioſam, ut parùm, quin verius nihil hominum induſtriâ contulerit, quod veritatem evincere potuerit, perfectâque rerum notitiâ potiri, quâ tutò ſanitas, vitæque ratio inſtituatur, cùm contrà reliquis in rebus, quæ minûs ad vitam conferre videntur, propria ſit adinventa ars, eaque veluti cælo divinitùs prolapſa ad majora ſemper indies evehitur. Ad gloriam námque & divitias parandas, quibus poſt vitam homines potiſſimùm vacant, Virtus, Labor, & induſtria omnia docuit, atque per ipſa pericula, per mortes viam facillimè ſtravit. Quot incognita maria, ſupra omnem hominum ſpem inacceſſibilia perdomuit tandèm novoſque orbès orbi peperit, tàm felici auſu, ut quondam mortalium cupiditati invida, & obſtantia freta, nunc quæſtuoſa mercimonia ultrò exerceant, dorſumque illis revectandis ſupponant? Ad viſcera uſque terræ, ad profundi, immenſique Barathri ſinus penetravit audacia, effoſſiſque naturæ theſauris, penitiſſimiſque ejuſdem rimatis loculis, eò pervenit, ubi ulteriùs progredi natura ipſa nequivit. Prætereà cælum ipſum tàm longo intervallo à nobis, no-

ſtrâque cogitatione diſſitum penetravit unius tubi ope, adeò ut penè manu tangatur, quod priùs apertis oculis tamdiù nos latuerat. Quot in Sole ſunt deprehenſa? Quot in Lunâ admiranda, cœteriſque planetis? Quot in ſtellis, atque in ipſâ Cœli materiâ, & ſtructurâ? Et quod tandèm negotium faceſſere videtur univerſam cœli machinam, & cœleſtium orbium motus parvo in Orbe perſtrinxit, quos noſtro arbitrio uno digito moderari nunc licet. Itàque (ne longiùs protrahatur ſermo) ad ardua quæque manu, menteque pertingenda, virtus, obſtinatuſque labor profuit tandèm, peculiaremque ſibi artem adſcivit, qua neceſſaria, vel utilia humano uſui accomodarentur. Ad vitam autem, ſanitatemque comparandam, vel tuendam, quis affirmare auſerit tanto ſæculorum curſu, tanto ingeniorum niſu vel quicquam certi fuiſſe repertum? Hæc potiùs, vel illa ſtatâ lege procedere, ſuoſque authores, longamque experientiam ſæpeſæpiùs non fruſtrantur, longâ temporum ſerie in meliora res evadere compertum eſt; tempus ſiquidèm maximarum rerum author, opifex, & repertor, quod verò ad medendi normam ſpectat nil ipſo deterius, quandoquidèm tanto nobilium ingeniorum molimine, tot novis eorundem inventis, & cogitatis res in pejus abiiſſe conſpeximus; quamquàm multis, & propemodùm ſexcentis medicina illuſtrata videatur, & ut res eſt, jure merito noſtra ætas glorietur de tantâ ſæculi ubertate, magnarumque rerum acceſſione, attamen cùm ad rerum uſum, & morbis medicinam faciendam utplurimùm non ſatis aptè cohærere rationabiliter inventa viſum fuerit, illud certè innotuit indefinitas eſſe morborum cauſas, nec veri quicquam per nos ſtatui poſſe in tantâ varietate, ac naturæ ipſius multiplicitate, ſed ſolùm ejuſdem vaſtitatem, & magnitudinem admirari licere, quandoquidèm præconceptam priùs, & per experientiam probatam rationem tantoperè ſenſus noſtros eludere obſervavimus. Itaque procul omni dubio affirmare oportet novis inventis, nova ingenia maximam hujuſcè rei difficultatem indicâſſe, & obſcuritatem detexiſſe, ut quilibet ex ingenuo illorum cœtu liberè fateatur ſe neſcire quid primum, quidvè poſtremum ſit in morbis. Siquidèm compertum eſt illis interdùm vetita mederi, interdum quæ aliàs profuêre, dein obeſſe, nunc cum Hippocrate, & Galeno tutiùs committenda eſſe negotia, quàm cum novâ, & exactiori medicina, eventus ſæpè docuit, & tot, támque

varia,

varia, & miranda, quæ indies ſe exhibent ſpectanda. Ex hac tantâ miſtione, formarumque mutatione facilè effectum eſt, nonnullos ſive ſpe lucri, ſive glorioſâ nominis vanitate ductos, ad impoſturas, ad captioſas artes, & his ſimilia, quibus hominum vulgus facilè detineatur, confugiſſe. Quot igitur in noſtris editis commentariis antiquorum, Neotericorumque diſſertationes protulimus? Quot ipſi vel ad meliorem formam redegimus, vel de novo comperta adauximus? Non auſimus tamen affirmare hanc huic morbo medicinam potiùs, quàm illam eſſe adhibendam, & poſtquàm illam adhibueris, certè ægrotantium valetudini præſtò fuiſſe. Non noſtra igitur culpanda opera, ſed naturæ potiùs malignitas; ſiquidèm pro virili enitimur optatam metam contingere, omneſque nervos contendimus ad unum ſcopum cuncta dirigere, illamque uti metam, & ducem proponimus, ſed ſæpè poſt tot labores naufragium in portu facimus. Quapropter ex his, quæ quotidiè conſpicimus, decreveramus ſatiùs eſſe noſtræ ſcriptioni modum ponere, quàm tantis ineptiis effutientes, ſarcinam pergravare. Sed propter ea, quæ ſcripſimus, deſiderari, ſæpiúſque poſtulari cœpit tractatiuncula aliqua de Febribus, & præ cœteris quæ in Medicinâ tractantur hanc omnium præcipuam eſſe. Profectò ità ſe habere fateri licet, quandoquidèm nec ætati, nec regioni, nec tempori parcit, ſed per univerſum orbem graſſando, vel ſola hæc Cæmeteria triſti, & exitiabili epulo ſaginat, hinc ſub tantâ familiaritatis ſpecie inter omnes verſari videtur, ut domeſticum vitæ noſtræ inſidiatorem potiùs vocaverimus, quàm hoſtem. Quippè nativus calor nobiſcum naſcitur, nobiſcum alitur, & vivit, nobiſcum tandèm moritur, ab hoc febris ſua trahit incrementa, quæ vel ſi tantiſper vitalem ignem præoccupaverit, multa noſtræ vitæ exitianda parabit. Itàque de Febribus aliqua ediſſerere incipiemus, quamquàm præter animi ſententiam, attamen cùm morem gerentes de reliquis morbis verba feciſſemus, nunc etiam aliorum genio adblandientes de Pyretologiâ unicum librum inſtituamus.

IN PYRETOLOGIAM

Viri Excellentiſſimi, Celeberrimi, Medicinæ, ſimul atque Chirurgiæ Reſtauratoris,

D. CAROLI MUSITANI,

EPIGRAMMA.

E' prelis tandèm Methodus certiſſima prodit,
Quâ dignoſcantur, deficiantque Febres,
Magnas Authori grates debebitis, ægri,
Condidit hoc præſtans qui ſapienter Opus.
Plurima priſca ætas febrium produxit in æſtus
Scripta; deditque recens, & dare plura ſtudet.
Ulla quidèm proſunt, at inania pleraque turgent,
Quinimmò ipſorum dogmata multa nocent.
Hac methodo intereà MUSITANI extinguitur ardor
Febrilis, fuſâ ceu perit ignis aquâ.

JOSEPH PRISCO
In Neapolitano Archigymnaſio
Iatrias Profeſſor.

ALIUD

Poſtquàm flammigero ferax à Sole Prometheus
In terras ignis ſemina rapta tulit.
Incubuêre ipſis latè feralia Terris
Agmina morborum, præcipuéque Febres.
Ex quo tu lumen, MUSITANE, medentibus affers,
Inſtar qui nitidi Solis in Orbe micas;
Ecce ſalutifero pereunt medicamine morbi,
E' venis fugiunt, viſceribuſque Febres.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Cap. I. Cognitio perfectæ conſtitutionis corporis viventis cognitionem cujuſcumque morbi præcedere debet, quem Febrem communiter appellant. Pag. 1

II. Corporis viventis diviſionem in continentia, contenta, & impetum facientia ab Hippocrate traditam optimè fuiſſe inſtitutam, multúmque ad cognitionem conſtitutionis ejuſdem viventis corporis conferre, è contrà Galenum in hoc fuiſſe ſophiſticum, illumque veritatem deſeruiſſe demonſtratur. 2

III. Id, quod in vivente corpore eſt motionum omnium cauſa, quam vitam, animam, naturam plerique appellitant, & Hippocrates impetum facientem dixit, nullo modo ex temperamento primarum qualitatum reſultat, ut Galeno placuit: 5

IV. Id, quod vita, anima, ſive natùra in viventibus corporibus functiones exercet, eſt ſubſtantia ſimplex per cuncta corporis organa æqualiter diffuſa, quam Hippocrates ſpiritum impetum facientem appellavit, & Ariſtoteles principium motûs, & quietis, ejus in quo eſt per ſe, & non per accidens. 11

V. Spiritus impetum faciens ſpermaticis partibus inexiſtens, movendo eas pro organi diſpoſitione, ad quod conſtitutum eſt, exercitium functionis illius organi cauſat. 13

VI. Quomodò intelligi debeat ſpiritum impetum facientem, ſivè vitam liberè moveri debere, ut inculpatum ſanitatem in vivente corpore producat? 15

VII. De partibus corporis, quæ continentes ab Hippocrate appellatæ fuere, & quomodò ipſæ eſſe poſſint occaſiones motûs depravati in ſpiritu vitæ impetum faciente? 16

VIII. De ſpeciebus, ſive differentiis contentorum in corpore viventium, quæ febrium occaſiones eſſe poſſunt. 19

IX. Quomodò ingeſta in ventriculum ante ſeparationem utilis ab inutili poſſint eſſe morbi occaſiones? 21

X. Quomodò humidæ ſuperfluitates, quæ ab ingeſtis cibis in ventriculum ope Lienis ſeparantur, poſſint eſſe febrium occaſiones, & cujus generis? 22

XI. Quomodò excrementa, quæ per pylorum in inteſtina deſcendunt, occaſiones febrium eſſe poſſint? 22

XII. Quomodò pars utilis à cibis in ventriculo, & inteſtinis ſeparata, & in eorum villos recepta, quæ nutrimentum vocatur, poſſit eſſe febrium, & quarum occaſio? 23

XIII. Quomodò pars illa nutrimenti, quæ per univerſam corporis peripheriam inſenſibiliter reſolvitur, poſſit eſſe febrium occaſio, & quarum? 26

XIV. Quomodò liquor nutrititius, qui à cerebro, & ſpinali medullâ elabora-

tur

tus per fibrarum ſubſtantiam ad ſuſtentandum corpus deſcendit, febres producat, & cujus generis? 27

XV. *Quomodò ſanguis in venis, & arteriis contentus poſſit eſſe occaſio febrium, & quarum?* 28

XVI. *Quomodò ſerum, quod ſeparatur à ſanguine, & in urinæ formam excernitur, poſſit eſſe occaſio febrium, & quarum?* 29

XVII. *Quomodò liquor felleus in folliculo contentus eſſe poſſit cauſa occaſionalis febrium, & quarum?* 30

XVIII. *Quomodò aqua pericardij poſſit eſſe febrium occaſio, & quarum?* 30

XIX. *Quomodò enumeratæ cauſæ occaſionales in diverſis corporis partibus, degenerationem, & indolem præter naturam nactæ, depravant cordis motum, & quamvis in certo corporis loco degenerent, morbum tàm univerſalem producant?* 31

XX. *Periodorum in febribus cauſa inveſtigatur.* 35

XXI. *De iis, quæ medicus attentè animadvertere debet in febrium quarumcumque curatione ſuſcipiendâ.* 39

XXII. *De Curatione febrium, quæ à cibis, & potu quantitate, vel qualitate peccantibus excitantur.* 40

XXIII. *De Curatione febrium, quæ ex degeneratione ſeroſitatum, quæ à ventriculo per vaſa brevia à liene alliciuntur, proveniunt.* 43

XXIV. *De Curatione febris, quæ ab excrementis per inteſtina deſcendentibus concitari ſolet.* 67

XXV. *De Curatione febrium, quæ à degenerato partium nutrimento foventur.* 75

XXVI. *De febribus ex aëris mutatione.* 138

XXVII. *De febrium curatione, quæ ex prohibitâ tranſpiratione originem ducunt.* 141

XXVIII. *De febrium curatione, quæ ex humido radicali fibrarum partium ſolidarum degenerato originem ducunt.* 144

XXIX. *De febrium acutarum ex humido radicali depravato curatione.* 145

XXX. *De febre Hecticâ.* 145

XXXI. *De Curatione febrium, quæ à ſanguine, vel in motu, vel in ſubſtantiâ depravato producuntur.* 173

XXXII. *De Curatione febrium, quæ à ſanguinis motu intercepto producuntur.* 195

XXXIII. *De Curatione febrium, quæ ex ſero urinario in maſſâ ſanguinis ſtagnante originem ducunt.* 201

XXXIV. *De Curatione febrium, quæ ex liquore felleo fermenteſcente ſuſcitantur.* 203

Ultimum. *De Curatione febrium, quæ ab aquâ pericardij ortum habent.* 215

D. CAROLI

D. CAROLI
MUSITANI
IATRIAS PROFESSORIS
PYRETOLOGIA
SEU
DE FEBRIBUS
LIBER UNICUS.

CAPUT PRIMUM.

Cognitio perfecta conſtitutionis corporis viventis cognitionem cujuscumque morbi præcedere debet, ſed illius præcipuè, quem Febrem communiter appellant.

MORBUS ſi pro eo ſumitur, quod ſanitatis integritatem tollit, præter quam in vivente ſano ſuum habere ortum, progreſſum, & terminum non poteſt; Quippè corporibus, quæ vita ſenſitiva carent, ſi aliquid accidat, quod eorum ſubſtantiam lædat, & ab actuali ſtatu removeat, eam morbum pati non dicimus, ſed alterationem, corruptionem, degenerationem, tranſmutationem, uſtionem, quamplura-que ſimilia accidentia in ijs nos animadvertere pronunciamus, ipſa tamen neque talia accidentia ſentire, neque animadvertere ſcimus. Verùm morbus non pullulat niſi in ægro vivente, in quo ſolo ejus ſemen ipſum excludit, & extra quem nullibi reperitur;

ritur; in ipſo ſuæ productionis exortu ipſi viuenti ſenſibilis uſque in ejus terminum, vel per ejuſdem morbi ceſſationem, vel per foventis morbum vitæ extractionem: eſt ſanè morbus in vivente ſenſitivo, non ſecus ac viſcum in arbore vegetante, in quâ ſuum naſcitur ſemen, ſuam excluſionem agnoſcit, ab ipſâ vim vegetatricem, & ſuccum vegetabilem exhaurit, ac tandèm ipſius arboris vitâ vivit, qua ermonticè, & ipſum viſcum emoritur, & emori ipſum viſcum poteſt, integrâ manente arboris vegetatrice: ſic morbus in ſenſitivis ſemen nanciſcitur in eorum vitâ, excluditur in ipſa, & ex ipſa augetur, in ipſa minuitur, denique vel per ſucceſſivam diminutionem in ipſa ceſſat, eamque in ſua integritate relinquit, vel per ſucceſſivum incrementum omnimodè illam ſubjicit, & ſimul cum vita ipſe morbus extinguitur, quod etiam viſco accidit, quod ſæpè undequáque ſuam arborem occupat, ad ſe omnem ipſius arboris ſuccum trahit, quo in arbore deficiente, & arbor ſicceſcit, ſimulque cum ipſa iniquum viſcus areſcit.

Cùm ergò morbus in viventibus ſenſitivis ſemen exortum, progreſſum, terminumque ejus fuerit in naturâ ſortitus, ſive paſſio ſit viventis, ut inadæquatè communiter dicitur; adhoc ut ipſius naturam, atque eſſendi, agendique modum clarè, diſtinctèque cognoſcere poſſimus naturam viventium ſenſitivorum ex integro priùs cognoſcere cogimur, tunc enim præterquamquòd per cognitionem naturæ viventium, ipſam quoque morbi naturam cognoſcemus; Innoteſcat etiam nobis, quibus præſidijs ſit in naturam viventium adius, ut ipſis communicata morbum tanquàm monſtrum quoddam in ipsâ naturâ perimat, & extinguat.

Sanè ſi claram, diſtinctamque naturæ viventis cognitionem quilibet particularis exigit morbus, ut per illam cognitionem & ipſa innoteſcat febris, quæ rectè morborum omnium morbus dici poteſt, quippè cùm omnes facultates lædat, morbos ferè omnes complectitur, huic de febribus libro cognitionem conſtitutionis viventis corporis plusquàm alijs medicæ facultati pertinentibus convenit; utriſque enim naturis cognitionis, viventis ſcilicèt, & febris: facile cuique erit reliquorum morborum naturam comprehendere, & ex fundamento intelligere, cœterùm ſi ſanitatis, & morbi prolixas quaſdam tractationes deſideratis, *Galenum* conſulite *lib. de diff. morb. de cauſis morb. de ſympt. cauſis*, illiuſque alios.

CAPUT II.

Corporis viventis diviſionem in continentia, contenta, & impetum facientia ab Hippocrate traditam optimè fuiſte inſtitutam, multúmque ad cognitionem conſtitutionis ejuſdem viventis corporis conferre, è contra Galenum in hoc fuiſſe Sophiſticum, illumque veritatem deſerviſſe demonſtratur.

CUm aliquid, quod nos latet, inveſtigare volumus, vel in inveſtigatione decipiemur, vel finem fruſtabimur, ſi per occultiora, obſcurioraque eo quod inveſtigamus, opus aggre-

aggredi tentabimus; hujuſmodi *Galenum* fuiſſe comperimus, qui cùm naturam viuentis corporis in operationibus, & affectibus nobis patentiſſimam, in ejus verò eſſentiâ, cauſis, & principijs obſcuriſſimam, & occultiſſimam inveſtigare, & cognoſcere vellet, res omninò ab ipſo vivente corpore remotas, quæ, an in ipſo ſint, & quomodò ineſſe poſſint, penitùs latet, ſuæ inveſtigationis initium fecit.

Equidem ipſe, ut naturam viventis comprehenderet, pro fundamento tractatum de elementis primò ſtravit; deindè logiſmum de temperamentis appoſuit; tertiò, hæc in cauſas, & principia facultatum naturalium adegit; quartò, has humorum quatuor elementis numero, & qualitate reſpondentium fabricatrices effecit; quintò, tandèm ex his reliqua omnia, quæ in corporibus ſunt, vel fiunt, ſic ille obſcurum per obſcurius, ignotum per ignotius, incerto ſemper pede venari viſus eſt, & claudicanti veritati per rhethoricæ, & logicæ peritiam ſuppetias exhibere.

Ecce nunc ad ſenſum demonſtrârunt rectè philoſophantes elementa concreta eſſe corpora, non autem ſimplicia, elementum ignis in univerſitate rerum non eſſe; calorem, & frigus eſſe in elementis prout in reliquis concretis, non autem elementa; aërem, & terram nullo modo concurrere ad corporum miſtionem, ſed ea tantùm ex elemento aquæ concreſcere; temperamenta ex quatuor qualitatibus reſultantia non eſſe in naturâ, ſed motum, formas, vitam, & animam ſenſitivorum ab ipsâ naturâ pendere, quæ corporibus ineſt per ſe, non per accidens, ut benè *Ariſtoteles* dixit, quæ natura, ſive motus principium non ſolùm in miſtis, quæ vocant, corporibus ineſt, ſed elementis ipſis, quippè natura prior ipſis elementis eſt, illiſque univerſalior. Ex his quid veri contineri poſſit in *Galeni* theorijs conſtitutionem viventis corporis docentibus, quiſquam perpendere poteſt, cùm tot figmenta pro conſtantiſſimis fundamentis ſuſtituerit.

At *Hippocrates*, ut naturalem Philoſophum, ſenſatumque medicum decet, minimè quidem remota, & extranea, ſed ipſum vivens corpus contemplandum ſuſcepit, & ne de eo aliquid temerè pronunciaret, cùm compoſitum, non autem ſimplex illud eſſe animadvertiſſet, dividere priùs illud, ac deindè, quid eſſet, definire nos docuit, undè de vivente verba faciens, ſic illud diviſit: *Corpus vivens conſtat ex continentibus, contentis, & impetum facientibus*, quod nec clariùs, nec æquiùs dici poterat, quippè nil corpus vivens conſtituit, quod ſub illis tribus diviſionis membra continent, quod in vivente non inveniatur.

Eſt tamen in hac diviſione primò notandum, quòd pro impetum faciente intelligit *Hippocrates* id, quod in vivente corpore dicimus eſſe animam, vitam, naturam, & quicquid aliud, quod ſupponitur in vivente eſſe principium motus, facultatum, actionum, & operationum, quodque in corpore organico vitæ functiones exercet, & ſine quo corpus merum cadaver manet, ut cùm exſtincta vita ſenſitiva in equo, vel ſeparata anima immortali ab homine, quod remanet corporeum, licèt eandem

retineat ſtructuram, quam ante mortem habebat, neque amplius ab intrinſeco movetur, neque in organicis facultates exercentur, neque in eo penitùs ulla eſt actio, cùm in ipſo ampliùs non ſit principium illud impetum faciens, à quo omnia in organis fiebant.

Notandum ſecundò, quòd primo intuitu Hippocratem non benè rem egiſſe ab aliquo exiſtimari poſſet; enimverò ſufficiens videbatur eſſe, ſi author corpus vivens in continentia, & contenta tantùm diviſiſſet: nàm impetum facientia pro ijs, quæ continentur, intelligi poterant, quippè vitam, animam, naturam, & ſiquid aliud his ſynonymum dicimus, quod impetum faciens denotet, intra corporis ambitum contineri, non videtur, qui ambigere poſſit; ſed in hoc tanti viri non ſolùm errorem non emendare, ſed ſummam ſapientiam admirari licet, enimverò vita viventis, quæ ab impetum faciente pendet, in extrema cutis ſuperficie ſenſum tactus exercet, ità ut à cute contineri vitam rectè dici non poſſit, imò quia ea, quæ extra nos ſunt, ſentimus, potius vitam continere corpus, quàm illud vitam dicere congruè poſſumus, & cum vita corporis machinam erectam ſuſtineat, illamque ad varios motus peragendum adigat, ipſam corpus, quod movet ſub ſuâ authoritate continere lucidè apparet; cùm alioquin ceſſante vitâ illicò corpus corruat, & ut ad motum adigatur, externo impulſu indigeat. Præterea vita in corpore vivente intra tubulos, & argines non coërcetur; non enim ut medulla continetur in oſſibus, ut ſanguis continetur in venis, & arterijs, ut liquor alimentitius in fibris; liquor ſeſſeus, & urina in veſicis, uti cibi, & recrementa in ventriculo, & inteſtinis, & tandèm uti aër continetur in thorace; ſed ipſa à meditullio cunctarum partium æqualiter diffunditur per totum, ut inculpatum continuum, parteſque omnes pervadendo, æqualiter vivificet, ità ut illas in continuâ ſuâ diffuſione contineat, & foveat; ſaltèm vitam neque contineri à corpore, neque eam continere corpus certiſſimum eſt, cùm idem terminus ſit utriſque ubi enim in ſuperficie cutis terminatur corpus, ibi & terminatur vita, & quibus æqualis eſt terminus, neutrum ab altero contineri rectè pronunciamus; ſit hujus exemplum ferrum ignitum, in cujus ultimâ ſuperficie, & ferrum, & ignis æqualiter terminantur, imò quodammodò cùm ignis ultra ſuam ſuperficiem calorem diffundat, & ferrum non ultra ſuam ſuum corpus ferat, potiùs ignem continere ferrum, quàm hoc illum fateri cogimur; ſi continens contentæ rei eſt terminus, quod etiam in corporibus viventibus accidit, in quibus calor vitalis ultra cutem diffunditur ſuum eſſe non habet.

Verùm hæ rationes non moverunt *Hippocratem* ad ſanciendum, quòd impetum facientia enumerari inter contenta non debebant, ſed illum ea ſola ratio movit, quòd impetum facientia ejuſdem non ſint naturæ cum ijs, quæ in viventibus contenta, adhuc poſt viventis mortem in cadavere perſeverant; etenim cùm impetum facientia toto cælo ſint naturâ diverſa, atque diſtincta ab ijs, quæ continentia, & contenta, adhùc in cadavere perſe-

perſeverant, Hippocrates exiſtimavit alterius conſiderationis, & ſpeculationis eſſe impetum facientia, & alterius continentia, & contenta, quas conſiderationes, & ſpeculationes cùm *Galenus* confundiſſet, utriuſque naturam penitùs ignoravit, credidit enim ex miſturâ continentium, & contentorum, in quæ elementa concurriſſe dixit, reſultare temperamentum quoddam, quod animam, vitam, naturamque appellavit, ut *lib. de natural. facult. lib. de temperam. lib. An animi mores temperamenta corporum ſequantur. Lib. de ſubſtantiâ facult. natural.* in quibus rem ex profeſſo tractat, & *animam nil aliud, quam temperamentum primarum qualitatum* eſſe obſtinatè defendit.

Cùm ergò ex ſerie hujus únici libri notum fiet, in viventibus corporibus impetum faciens ſpiritus non ſolùm febrium, ſed omnium morborum ſit cauſa efficiens effectiva; contenta verò poſſint eſſe cauſæ occaſionales, à quibus impetum faciens ſpiritus excitari poteſt ad morborum productionem; tandèm continentes partes ſint ſubjecta, in quibus facultatum læſiones, ſymptomatum procellæ, & quæcumque affectiones ex morbo producuntur, ſentiuntur. De impetu faciente priùs, deindè de contentis, poſtremò de continentibus doctrinam trademus, ut febris eſſentia penitùs innoteſcat.

CAPUT III.

Id, quod in vivente corpore eſt motionum omnium cauſa, quam Vitam, Animam, Naturam plerique appellitant, & Hippocrates impetum facientem dixit, nullo modo ex temperamento primarum qualitatum reſultat, ut Galeno placuit.

INeſſe viventibus corporibus, id quod movet, nemo negavit, hoc enim fuiſſet negare ſenſum; verùm quid ſit, quod in viventibus movet, non eſt facilè determinare, & hactenùs non ſolùm inter philoſophos, & medicos non convenit, ſed res eſt maximè omnium controverſa, & ſecundum ſectarum dogmata agitata. *Galenus lib. 5. de natur. facul. cap.* 12. in hac re duarum ſectarum, quas non ignobiles vocat, ſententias magnifaciendas affert, reliquas ut ignobiles reſpuit nullâ memoriâ dignas; primam dicit eſſe illius ſectæ, quæ ſubſtantiam eam, quæ generationi, & internicioni eſt ſubjecta, totam tùm unitam eſſe, tùm alterari proponit; alteram dicit eſſe alterius ſectæ, quæ vitam viventium immutabilem, inalterabilemque & in tenuia diſſectam, tùm vacuitatibus quibuſdam interceptam ſtatuit. Primam dicit eſſe *Hippocratis*, alteram *Epicuri*; & illum ſectantium, at cùm neutrâ ille contentaretur tertiam addidit ſententiam ſuam, quam adeò veram exiſtimavit, ut *Platonem, & Ariſtotelem* irrideat, qui de animæ hominis immortalitate ſentire videbantur; *lib.* enim in quo probatur *animi mores corporum temperaturas ſequi cap.* 3. hæc ait: *Quamobrem animæ eſſentia erit quodammodò temperatura quatuor, ſeu qualitatum dicas, humiditatis, ſiccitatis, caliditatis, ſive corporum humidi, calidi, frigidi, ac ſicci, facultates autem ex animæ ſubſtantiâ ſequi;*

ſi deindè quoque actiones proveniunt, probare convenit: Si igitur pars, quæ ratiocinatur, animæ ſpecies ſit, mortalis erit; ſiquidem ipſa quoque eſt quædam cerebro temperatura, atque ità omnes animæ ſpecies, ac partes habebunt ſuas facultates temperaturæ conſequentes, taliſque erit animæ ſubſtantia. Hæc *Galenus*, qui poſtquàm *Platonis*, *Hippocratis*, & *Ariſtotelis* de animâ refutavit ſententias, ex ïis aliqua tranſcripſit, quæ licèt animam temperamentum eſſe non pronuncient, eam tamen temperaturam corporis ſequi quodammodò inſinuant. Conatur deindè ſuadere animam ab eo ideò temperamentum dici, quia diſcurſus, ſive ratio à vino, à cicutâ, ab aliiſque medicamentis intrà aſſumptis ſubvertitur, & alienatur. Item quòd à nimiùm refrigerantibus, nimiùmque calefacientibus anima exſtinguitur, quod totum ratione moti, & alterati temperamenti fieri contendit.

Verùm nos paulò poſt & alterari, & moveri poſſe animam ſenſitivorum, & pati, quæ patitur, & agere, quod agit, demonſtrabimus, attamen ipſam non eſſe tunc ulteriùs temperamentum aperiemus, & nunc contra *Galenum* id aſſequi conabimur.

menta n quatuor

Primò contra ipſum hæc ponimus: Elementa non ſunt quatuor: ergò ruit integrum *Galeni* ædificium de qualitatibus, de temperamentis, de humoribus, ſcilicet tota ſua doctrina. Antecedens probatur, nàm ignis non eſt elementum, non ſolùm quia ſuâ ſpherâ caret, ſed etiam quia ſuum eſſe habet in reliquis elementis ſolitarium, & abſolutum; calorem enim, & ignem non in aliquâ mundi parte, in aëre, aquâ, terrâ, & in corporibus concretis, quæ miſta appellantur, in univerſitate rerum tantùm invenimus. Aër verò licèt ſit elementum ratione ſuæ ſimplicitatis, & conſtantiæ, tamen ſui corporis commiſtionem reliquis elementis non permittit: nunquàm enim naturæ, & arti poſſibile erit aëris partes cum partibus aquæ per minima miſceri, nàm ſumma ejus levitas, & ſumma illorum gravitas negant id aſſequi poſſe, & deſtinatio aëris in naturâ non eſt, ut concretis ſe commiſceat, ſed ut illis præbeat locum, & motûs libertatem; quinimmò ut cœleſtia corpora cum terreſtribus communicent, ſine enim aëris perſpicuitate id fieri non poſſet.

Præterea terra virgo licèt elementi proprietatem habeat ob ejus conſtantiam agentibus naturalibus invictam, tamen nullo modo concreta corpora ingreditur, ut mechanicè per plantarum, & arborum nutritionem probatur, eſtque terra tantùm uterus, in quo rerum ſemina ſuos nanciſcuntur motus; neque frigida, & ſicca dici meretur, cùm ipſa per artem in ſal reducatur, quòd igne liqueſcit, & igneſcit, quod evenire non poſſet, niſi terra in ſuâ radice humorem, & ignem foveret.

Demùm aqua, quæ ſola eſt concretorum omnium materia, ut in *noſtrâ Pyrotechniâ* demonſtravimus, verum eſt elementum propter ſuam ſimplicitatem, & ſubſtantiam, tamen poſitivè frigida dici nequit, quippè igne caleſcit adhuc ſub formâ aquæ, quod fieri non poſſet, ſi frigiditas eſſet de eſſentia aquæ, nàm res eadem eſſentialiter calida & frigida eſſe nequit, &

aqua

aqua fervens talis eſſet; porrò aqua nunquàm ex ſeipsâ in poſitivam frigiditatem abit, ſed ad loci ambientis temperiem ea componitur, undè in loco calido caleſcit, in tepido tepeſcit, in frigido frigeſcit &c.

Cœterùm *Galenus* indeciſam relinquit qualitatem, an formę tantùm elementorum, an integra elementorum corpora concurrerent ad miſtorum productionem. Cognovit enim, quod quocumque modo rem evenire decernebat, ruebat miſtionis elementaris ſuppoſitum; quippè ſi tantum elementorûm formas ad id deſtinabat, præterimus, quòd rem impoſſibilem dixiſſet, nam formæ non ſubſiſtunt extra ſuppoſitum, certè ex illis nullum materiale corpus reſultare poterat, quippè illis formis deficiebat materia; Si verò pronunciaſſet elementa materialiter ad corporum miſtionem concurrere, jam nullum corpus ex ipſis elementis conflatum fuiſſet unum per ſe, ſed unum per accidens, & per diverſa ſimul aggregata, ut contra *Empedoclem* diſputavit *Ariſtoteles*, & illi occaſio data ſua conſtituendi principia phyſica, quæ materiam eſſe dixit, non autem quatuor elementa.

Præterea cùm non ſit in rerum naturâ concretio, cujus radix non ſit humor, ſiccitatis poſitivè qualitas in nullo concretorum reperiri poteſt, undè dicimus os eſſe ſiccum, habito ad carnem, quæ humidior eſt, reſpectu, ſed os non minùs ex humore ſeminali, quàm caro concrevit; eodem modo in animalibus actu calidis aſſerere adeſſe frigus pro conſtitutione miſtionis eſt in phyſicis negare ſenſum; quòd enim ad ſenſum calidum eſt, dicitur reſpectu alterius calidi magis, vel minus calidum, rectè quidem, ſed quod ubi actu calor eſt, poſitivum frigus manere imaginari volumus, dementiæ criminari poſſumus; ità cùm ferventi aquæ frigidam injicimus, & minus calida evadit, remiſſio illa caloris temperamentum dici non poteſt ex frigido, & calido factum, ſed evenit ex eo, quòd ubi ante miſtionem calor in aquâ excitatus ferventes reddebat decem aquæ libras, ſimul atque additæ illi fuêre tres aliæ libræ ex frigidâ, calor illarum decem librarum additas tres libras excalfacere urgebatur, ac proptereà in tredecim libris minor nobis, quàm in decem apparet.

Hæc obiter de quaternario elementorum, eorum miſturâ, & temperamento tetigimus, quæ largiùs à recentioribus in mille voluminibus inculcantur, ut innoteſceret quàm frivolis fundamentis *Galeni* doctrina nitatur, perpendamus nunc quatuor humorum ſuppoſitionem quatuor elementis in viventium corporibus reſpondentem, ex quorum temperamento vitam, ſeu animam oriri Galenus aſſerit, & ex eorum intemperie, vel putredine morbos omnes ſine febre, vel febres ipſas fieri docuit. Ultrò in hoc obmuteſceremus, ne per tot ſæcula receptam *Galeni* doctrinam è ſuis fundamentis evertere videremur, ſed quia in magiſtri *Galeni* verba non juravimus, ſolidam, veramquè doctrinam ſuggeremus. Parcite *Galeni* manes, & vos ejus procuratores, qui per epiſtolam illius cauſam tuemini, ſi pro veritate veſtigandâ evidentem ejus doctrinæ falſitatem detegemus; noſtro enim mu-

ner

neri non faceremus ſatis, ſi falſam doctrinam propinaremus; id, qui vult, faciat vel deceptus, vel decipiens, nos, qui hanc profitemur facultatem, læderemus potiùs, quam quæ vera non ſentimus, ut vera doceremus.

Galenus ergò in multis ſuorum voluminum locis, & ubique ſibi conſtans inſinuat ab hepatis facultate quatuor humores generari ex chylo in venam portæ per meſeraicas ab inteſtinis attracto, equidèm ex temperato calore jecoris ſanguinem, ex illius excedente bilem, ex illius remiſſo phlegma, ex eodem magis pigro melancholiam generari aſſerit; & cùm ſæpè humoris tùm bilioſi, tùm melancholici quantitas aliorum ſymmetriam excedat, ut quod eorum ſuperfluum erat, excerneretur, veſicam felleam jecori appoſuit, pro flavâ bile, lienem verò in ſiniſtro hypocondrio pro bile nigrâ, reliqui deindè humores uno in ſanguine ſimul commiſtos à jecore in venam cavam tranſire, per quam pars ejus per univerſum corpus fluens, pars verò per cor in arterias tranſiens pro ſuâ temperie nutritionem, & vitalitatem animali ſuppeditaret; cùm verò per aliquam cauſſam eveniret, ut unus ex quatuor humoribus in ſanguine contentis exorbitaret, vel corrumperetur, illicò temperiem diſſolvi aſſerit, & oriri morbum pro conditione, & proprietate humoris exorbitantis, vel corrupti. Hæc eſt fundamentalis totius Galenicæ artis doctrina, ſuper quam tot ſuorum volumimachina innititur; Videamus, quomodò in naturâ ſubſiſtat

Eſt ipſius *Galeni* placitum per coctionem in ventriculo generari ex cibis chylum, ſubſtantiam homogeneam, & in ſuis partibus ſimilarem, qui deindè à ſuis fæcibus ſeparatus in inteſtinis, ſuggeretur à venis meſaraicis, qui cùm eſſent venæ portæ ſurculi à jecore prodeuntis, per eas aſcendens verſus hepar, in ipſis venis, tùm in ipſo hepate ab ejus facultate transmutaretur in quatuor iam aſſertos humores, hoc poſito, argumentamur ſic:

Ubi agentis actio eſt uniformis in materiâ homogeneâ, & ſimilari, in eodem loco, & eodem tempore neceſſe eſt, ut id, quod ex materiâ producitur, ſit uniforme, & homogeneum: ſed actio hepatis eſt uniformis in chylo homogeneo, & ſimilari eodem loco, & eodem tempore: ergò quod ex chylo producitur virtute hepatis agentis erit homogeneum, & uniforme, non quadriforme, & ætherogeneum.

Major adeò patet, ut probatione non indigeat, quippè agentia naturalia non ſunt libera, ſed neceſſaria, nec poſſunt ex arbitrio producere ex materiâ id, quod illis placet, ſed id, quod materia eſt ad producendum apta, ſic ex tritico triticum, ex fabâ fabam, ex cicere cicer producunt agentia naturalia, non ex fabâ triticum, neque ex cicere fabam: facultas ergò hepatis cùm ſit univoca cauſa, in materiam diſpoſitam agit, non poteſt producere ex eâ, niſi quod eſt ad producendum apta, & cùm chylus ſit homogeneus, non poteſt dici aptus ad producendum aliquod ætherogeneum, ſed è contrà.

Minor conſtat ex eodem *Galeno*, nàm in humorum generatione ſupponit

ponit facultatem hepatis chylum generantis homogeneum, in venis meſeraicis concluſum, ex quo eodem tempore quatuor humores generari aſſerit. Conſequentia oritur ex præmiſſis.

Argumentum adverſariis eſt inſolubile, neque hactenus aliquem eorum reperire potuimus, qui aliquid, quod ſatisfaceret, reſponderet; recurrunt aliqui ad aſſertionem ejuſdem *Galeni*, qui in hepate ſupponit diverſitatem calorum, cum quibus agit: ſed quæsò, quis in hepate caloris gradus pendit, & nunc illum temperatum pro ſanguinis generatione exerceat, nunc alium vehementem pro bilis generatione moveat, & ſic de aliis duobus. *Si* hepar per calorem agit in chylum, calor iſte reſultat à totius hepatis conſtitutione, qui in eo erit gradu, quem illius conſtitutio producit, & ad placitum *Galeni* augeri, minui, vel temperari nō poteſt.

Fuerunt, qui reſponderunt in chylo licèt homogeneo eſſe commiſta quatuor elementa, quæ virtute hepatis in quatuor humores tranſeunt: ſed hoc contra Galenum directè pugnat, qui homogeneitatem in chylo requirit, & humorum productionem, non chyli homogeneitatis, ſed agentis hepatis effectum eſſe expreſsè profitetur, & hoc cautè fuit ab eo dictum, nàm ſi hepar chylum in quatuor elementa reſolveret, humores non produceret, ſed ipſa elementa ſimplicia, ac deindè neceſſe eſſet, ut hepar ſimplex unumquodque elementum in unum ex quatuor humoribus transmutaret, quòd à *Galeni* mente, & ab ipsâ rei veritate eſt longè alienum.

Præterea ſi quatuor ſunt humores, cur bili ſuperfluæ, & excrementitiæ, quam vocant, natura deſtinavit ſuum receptaculum, fellis ſcilicèt veſiculam, reliquis verò tribus illud denegavit? An reliqui tres ſuis ſuperfluitatibus carebunt? Cur lienem bilis nigræ receptaculum factum eſt, cùm ille cavitatem non habeat pro continendo? An humor ipſe melancholicus in arteriis, quibus abundat lien ſtagnabit?

At reſpondent Galeniſtæ, cur nos humorum quaternarium non admittimus, ſi oculis illud in ſanguine è venis extracto, & coagulato conſpicimus? Videmus enim humorem ſubflavum coagulato ſanguini ſupernatare, quis erit, qui negabit illum eſſe bilem? Videmus deindè florentem ſanguinem coagulatum, inter cujus partes fibras quaſdam albas conſpicimus, nonnè pars una eſt, quarta ſubſtantia, quam ſanguinem dicimus, alterum verò phlegma pro ſuâ parte ſanguini commiſtum? Et ſi coagulum illud ſanguinis ſubvertamus, nonnè in illius coaguli fundo nigram bilem animadvertimus, quæ quaternarium complet? Itàque ipſa in fundo tanquàm gravior, & terrea, in medio ſtat ſanguis, & phlegma veluti humores medij, in ſuperficie verò fluctuat bilis, utque calidior, & tenuior ſursùm ſemper fertur.

Commentum hoc veluti irrefragabilem demonſtrationem pro quaternatio humorum ſtabiliendo adducunt Galeni Sectatores, ſed falluntur.

Primò, quia nunquàm obſervârunt, cujus naturæ eſſet liquor ille ſanguini coagulato ſupernatans, nàm

ſi illum guſtâſſent, neque amarum, neque acutum compeiſſent, ac proptereà pro bilioſo humore illum non repoſuiſſent.

Secundò, cogitare debebant, quod liquor ille ſupernatans ſanguini, quia levior eſt fibroſo ſanguine, non autem quia bilis eſt, ità ut ſi decantato liquori illi à ſanguine ſuo loco ſuſtituatur aqua fontis, ipſa adhuc ſanguini ſupernatabit.

Tertiò, advertere debebant, quòd ſanis hominibus per venæ ſectionem educitur aliquandò ſanguis omnimodè liquore illo carens, & integrè grumeſcens, ex quo dicere cogerentur, quòd homo ille bile carebat, & tribus tantùm humoribus ſanus vivebat.

Quartò, phlegma, quòd ſanguini interſperſum ſupponunt, illud non mereret locum, ſed ſub coagulatione ſanguinis ſitum habere deberet, nàm nullibi videmus aquam aëri commiſtam; videmus tamen aquam tellurem permeantem: ergò phlegma pro quarto humore commiſtum eſſe debebat cùm melancholiâ in ſanguinis fundo.

Quintò, animadvertere quoque debebant, quòd ſi cùm ſanguis grumeſcere incipit, illum in aliud vas ità tranſmutarent, ut ſuperficies, quæ primi vaſis fundum tangebat, ſit ſuprema in altero, completâ tali grumefactione obſervaviſſent, quòd ſuperficies fundi ſanguinis, quæ in priori vaſe apparuiſſet nigra, in ſecundo eam vidiſſent floridam, & prima ſuperficies, quæ in primo vaſe erat florida, in fundo ſecundi vidiſſent nigram, ſcilicèt quòd nigredo in fundo ſanguinis non arguit humorem melancholicum, ſed tantùm aëris negationem, cujus commercium in ſuperficie ſuperiori floridum colorem effecit. Hæc, & innumerabilia alia afferri poſſent contra imaginatum humorem quaternarium, quæ ſi quis diſcere deſiderat *Helmontium* adeat in libro cujus titulus: *Scholarum humoriſtarum paſſiva deceptio.* Hoc tantùm addemus noſtræ inventionis argumentum.

Demus hominem in optimâ ſanitate conſtitutum, certum eſt, ſi vera eſſet quatuor humorum doctrina, talem hominem tùm in quantitate, tùm in qualitate æquilibratos in corpore quatuor humores habere, certumque quoque erit, quòd ſi tali homini alicujus humoris quantitas, vel qualitas dematur, quòd temperamentum ſanitatis diſſolvitur, & infirmus evadet; propinamus tali homini rhabarbari drachmam, & evacuabit ſinceræ bilis libras duas, attamen homo ille in priſtinâ ſalute perſeverabit, licèt humori bilioſo duæ deficiant libræ, cum quibus priùs ſanitatis temperamentum complebat: ergò alibi, quàm in humorum temperamento conſiſtit animantium ſanitas. Idem arguere potes, ſi cum pilulis de Mezereon viginti libras phlegmatis à ſano corpore evacuabis, nàm abſque eo quod infirmetur, integro ferè humore phlegmatico caret.

CAP.

CAPUT IV.

Id, quod vita, anima, ſive natura in viventibus corporibus functiones exercet, eſt ſubſtantia ſimplex per cuncta corporis organa æqualiter diffuſa, quam Hippocrates ſpiritum impetum facientem appellavit, & Ariſtoteles principium motûs, & quietis, ejus in quo eſt per ſe, & non per accidens.

G*Alenum* veritati non ſatisfeciſſe ſuppoſitione elementorum, humorum, & temperamentorum, pro conſtitutione vitæ animantium, jam ſatis ſuperque capite præcedenti demonſtratum eſt; operæ pretium nunc erit videre, ſi id, quod ab Hippocrate pronunciatum eſt, ut fuit ab Ariſtotele confirmatum in hac re, ſit magis veritati conſonum, quàm quod à *Galeno* fuit prolatum.

Poſtquàm *Hippocrates* conſideraverat perfectorum animalium corpora organica eſſe, & ex partibus differentibus certo ordine, & ſitu unitis conſtare, ſancivit in ipſis organis, & diverſis partibus unum corpus conſtituentibus eſſe conſenſum unum; conſenſus iſte unus, & conſpiratio una à ſubſtantiâ quadam, quæ etiam eſſet una, ac ſimplex, cauſſari neceſſarium erat, nullo enim modo in differentibus organis produci poterat conſenſus ille unus niſi cunctis ipſis organis aliquid inexiſteret commune, quo uniformiter ea regens, unumquodque eorum operaretur id, ad quod ſuis diſpoſitionibus eſſet ordinatum, quod evidens eſt in machinis, & præcipuè in horologiis, in quibus omnes eorum partes in unum conſpirant finem, ſcilicèt in temporis horarij deſignationem: Id ſanè in horologiis non eveniret, niſi tot diverſæ rotulæ, & aliæ partes, ex quibus componuntur, ab uno ſimplici, & uniformi motu regerentur, qui à violenter contortâ chalybis zonâ producitur, & eſt omnibus horologij partibus, quæ moventur, communis; ità à pari cùm corpus animale ex diverſis componatur organis, quæ omnia in unum ſint directa finem, ſcilicèt ut corpus illud vivat, & ſibi deſtinatas à naturâ functiones exerceat, uno ſimplici, uniformique motu indigeat, qui omnibus eſt communis, ut unumquodque organum moveret pro ſuarum diſpoſitionem exigentiâ, nam re ità diſpoſitâ, cuncta fierent, quæ in corpore à naturâ eſſent deſtinata.

Hippocrates ergò ab adductâ horologij ſimilitudine non diſcedens, hunc motum organis corporis animalis communem vocavit Spiritum impletum facientem, non ſecus ac in horologio contorta Zona chalybea, ut ad ſuum revertatur ſitum, impetum facit, & in rotulis horologij motum inducit, eâ tamen differentiâ, quòd motus horologio exteriùs advenit, & dicitur motus per accidens, in animalium verò corporibus eſt per ſe, & ſuis principiis à naturâ implantatus, & omninò ab intrinſeco.

Hanc *Hippocratis* ſententiam de Spiritu impetum faciente animalium corporibus inexiſtente clarioribus verbis confirmavit *Ariſtoteles*, dùm definivit *Naturam*, dixitque eam *eſſe principium motûs, & quietis ejus in quo ineſt per ſe, non autem per accidens*, & cùm quid eſſet hoc motûs princi-

 pium,

pium, alibi inveſtigaret, protulit: *Illud eſſe ſpiritum in corporibus propoſitione reſpondentem elemento ſtellarum.*

Hinc quiſque diſcat, an temerè, & per arrogantiam nos Galeni ſententiam deſeramus, an ingenuè, & propter veritatis amorem? Cùm ſaniorum Philoſophorum judiciis hæreamus, qui ab ipſo *Galeno* tanquàm magiſtri venerantur; mens enim Galeni ab elementorum quaternario præjudicata præceps in errores ivit, ſed *Hippocratis, & Ariſtotelis* mens veritatem proximiùs attigit, quippè in utroque gliſcebat veritatis amor, ut nulli præjudicio addicti, ſed *Galenum* elementorum præjudicio addictum errare neceſſariò contingit.

Hippocratis igitur, & *Ariſtotelis* conſenſu aſſerere licet *functionum omnium, quæ in organico corpore fiunt, cauſſam, & intrinſecum principium eſſe ſubſtantiam quandam ſimplicem, tenuiſſimam per univerſum corpus diffuſam, habentem in ſe principium motûs, & quietis, ea peragentem, quæ organorum diſpoſitiones requirunt.*

Diximus, *Principium intrinſecum functionum eſſe ſubſtantiam quandam,* nam per accidens eſſe non poteſt id, quod per ſe eſt principium, & per ſe corpori ineſt.

Diximus, *Per univerſum corpus diffuſam*, nam nulla eſt corporis integri pars in ſanitate conſtituti, quæ ab hac ſimplici ſubſtantiâ vitalitatem non accipiet, in qua re eſt advertendum, quòd hæc ſubſtantia ſimplex per corpus non eſt diffuſa, ut aqua diffuſa manet per pannum madidum, abſque eo quod aqua in fibris ipſius panni infixas habeat ſuas radices; ſed hæc ſubſtantia ſimplex radicata eſt in fibris corporis organici, ac mediantibus ipſis fibris per corpus diffunditur, & quibus in organis major concurrit fibrarum numerus, in iis majus eſt hujus ſimplicis ſubſtantiæ robur, & functiones majoris momenti exercentur.

Prætereà diximus, *Habentem principium motûs, & quietis*, nàm motus quicumque accidunt corpori, tàm paſſivi, quàm activi, hujus ſunt ſimplicis ſubſtantiæ, nàm ejus extincto motu, licèt reliqua ſint in cadavere, quæ priùs illi aderant, non propterea movetur, eſt etiam quietis principium, nàm quoties illa feriatur, actualis organi functio ceſſat, quæ à voluntate dependet.

Diximus, *ea peragentem, quæ organorum diſpoſitiones requirunt*, ut ex hoc conſtet erroneam, ac falſam *Galeni* ſententiam ſubſtantiam animæ in tres principes facultates dividentem, unamquamque earum ab aliâ diſtinctam certo viſceri tribuentem, nàm ſi ità ſe res haberet, impoſſibilis eſſet in vivente conſenſus unus, ſi tria diſtincta principia in vitæ integritatem concurrerent; non enim animadverterat Galenus ſe eâdem manu tractare poſſe calamum ad ſcribendum, gladium ad feriendum, frænum ad regendum equum, penicillum ad pingendum, & ſimilia inſtrumenta, quæ ſecundum eorum varietates, & diſpoſitiones in variis peragendis exercerentur, unicâ eâdemque manu ea dirigendo: nàm ſi id animadvertiſſet, potiùs quàm trium facultatum inventum confuſum, & multis abſurditatibus refertum Hippocratis ſententiæ accomodâſſet, quæ per unicum impetum facientem ſpiritum pro organorum

rum diſpoſitione omnia in vivente fieri determinavit. Concedimus libenter cor, cerebrum, & hepar corporis partes eſſe quibus ferè tota corporis œconomia regitur pro earum functionum diverſitate, ſed id à diverſitate principij moventis pendere ſimpliciter negamus; non enim vita, quæ in cerebro, eſt principio diſtincta à vitâ, quæ eſt in corde, & vita, quæ eſt in corde eſt principio diſtincta ab eâ, quæ eſt in hepate, & ſic ab his vita, quæ eſt in reliquis organis, ſed unica eſt vita, ſimplex, & uniformis in qualibet corporis parte; verùm quia ad cerebri, hepatis, & cordis conſtitutionem multus fuit partium ſpermaticarum concurſus, multum quoque illius ſimplicis ſubſtantiæ, & pluſquàm in aliis partibus, in illis ſtabulatur, textura verò eorum, & partium, & figuræ diſpoſitio exigunt, ut quoties ab ipſâ vitâ moventur, cerebrum eas functiones exercet, quas exercere aptum natum eſt, ſic cor ſuas, hepar ſuas, & eodem modo reliquæ corporis partes. Concipienda mente ergò eſt in animali corpore natura, unus ſpiritus impetum faciens, unumque motûs principium, cujus ope partes omnes ipſum corpus integrantes ſunt in motu, & vita unaquæque pro proprio ſuæ compoſitionis, & texturæ modo; ubi advertendum eſt, quòd ſpiritus iſte impetum faciens, ſeu motûs principium ità eſt fibris, particuliſque corporis omnibus intrinſecum, ut nihil in vivente corpore ſit illo profundius, neque errabundè per corpus vagatur, ſed particulis, quas ſpermaticas, & primæ conformationis vocant, eſt incluſum, ac pertinaciſſimè alligatum, undè eſt, quod illa viſcera magis vitalia dicimus, quæ ad earum compoſitionem ſpermaticarum particularium numerum majorem meruêre.

Cœterùm ſi exemplum quæritis, quo naturam hujus moventis ſpiritûs pervium corpus diffuſi apprehendere poſſitis, imaginamini Cryſtallum Luce illuminatam, & in illâ conſideratis non eſſe particulam, quæ illuminata non ſit tàm æquali diffuſione, ut apprehendi cryſtalli atomus non poſſit, quia ſimul latis atomis non apprehendatur: eodem modo ſpiritùm impetum faciens, ità eſt per ſpermaticas corporis particulas diffuſus, ut atomus illarum apprehendi non poſſit, quin atomus inexiſtentis ſpiritus non apprehendatur.

CAPUT V.

Spiritus impetum faciens ſpermaticis partibus inexiſtens, movendo eas pro organi diſpoſitione, ad quod conſtitutum eſt, exercitium functionis illius organi cauſat.

CUm jam determinaverimus ſecùndum *Hippocratis*, & *Ariſtotelis* ſententiam, naturam, ſive vitam in animalibus eſſe ſubſtantiam tenuiſſimam habentem in ſe principium motûs, ſpermaticis particulis inexiſtentem; operæ pretium nunc erit oſtendere, quomodò ſe habeat hæc tenuiſſima ſubſtantia ad exercitium functionum, quæ in, & à corporis partibus organicis fiunt.

Quid pro functione intelligatur, interpretatione prolixâ non eſt opus; eſt enim functio actio alicujus corpo-

ris ſecŭndum proprias diſpoſitiones effectum aliquem producens, ſic calami functio eſt actus ſcribendi, cujus effectus eſt ſcriptura, functio penicilli eſt actus, ſive actio pingendi, cujus effectus eſt pictura, functio oculi eſt actus videndi, cujus effectus eſt apprehenſio rei viſæ, functio narium eſt actus odorandi: cujus effectus eſt apprehenſio odoris, functio cordis eſt actus pulſandi, cujus effectus eſt ipſe pulſus, eſt ſic de reliquis. At quia motus ab *Ariſtotele* definitur, ut ſit *Actus rei in potentiâ, quatenùs in potentiâ*, ſcilicèt quòd res, ſive corpus aliquod, quod eſt in potentiâ ad peragendam actionem aliquam, quoties potentia illa reducitur ad actum, ſive eſt actu, toties corpus illud moveri, vel in motu eſſe dicimus; unde ſecundum *Ariſtotelem*, & ſecundum ipſam veritatem idem eſt dicere, corpus aliquod eſſe in actu, ſive in actione ſui motûs. Prætereà cùm functiones viventis corporis ſint actiones ipſius corporis, partiumque illius, & actiones non ſint aliud, niſi motus vitæ, ſive illius tenuiſſimæ ſubſtantiæ, quæ in fibris ſpermaticis ſtabulatur, ſequitur indé, quod nos tunc inculpatâ ſanitate fruimur, cum vita liberè, & abſque ullo impedimento particulas ſpermaticas movet, toties functiones illius partis perfectiſſimæ gerunt, & abſque ullâ culpâ; hinc generaliter loquendo dicimus, quòd *Sanitas inculpata conſiſtit in motu libero vitæ, quo organa corporis exercentur ad fines eis à naturâ deſtinatos.*

Diximus, quòd *ſanitas inculpata conſiſtit in motu libero vitæ*, nàm ipſum vivere moveri eſt, & vitæ radix in eo, quod ex ſe movetur, ſita eſt, ut tamen ità moveatur, ut motus ejus omni vitio careant, neceſſe eſt, ut partibus, in quibus movetur, liberè moveri poſſit, ſcilicèt ut in ijs nullum inveniat obſtaculum, nullum offendat impedimentum, etenim ab eo, quod liberum ejus motum impedit, ſtatim vitiatur motus, vitiatur actio, depravatur functio, & tandèm oritur morbus.

Diximus etiam in definitione, *Quo organa corporis exercentur ad fines eis à naturâ deſtinatos*, nàm motus ille vitæ directus eſt ad movendum organum, ſine quo actio ſuccedere non poteſt, quippè actio non eſt ſolius vitè, ſed vitæ ſimul, & organi; undè hîc aliqua diſtinctio concipi poteſt inter motum, & actionem, ſcilicèt quòd motus ſit ſolius vitæ moventis organum, actio autem ſit exercitium organi à vitâ moti; Appoſuimus quoque particulam illam, *exercentur*, nàm neceſſe non eſt, ut organum ſemper ſit in actione, ſed ſufficit, ut quoties requiratur ejus exercitium ad finem à naturâ ſibi deſtinatum, toties promptum ſit illud ad exequendum, ut v. g. Ventriculus deſtinatus eſt à naturâ ad promovendam coctionem, ſive ciborum fermentationem, verùm ſi ventriculus ſit cibis vacuus, ab actione promovendi fermentationem quieſcit, ac ſtatim atque in illum cibaria immittuntur, actio illius quieſcens ad ſuum munus exercendum excitatur, & ſi liberè in ejus membranis vita moveatur, actio illius inculpata erit, & functio promovendi fermentationem perfecta.

In hoc capite tria hæc attendenda, & memoriæ mandanda, *functionem*, ſcilicèt, *actionem*, & *motum*; functio eſt

eſt opus ab actione reſultans; actio eſt liberi motûs effectus; motus eſt ſolius vitæ, quæ ex ſeipsâ movetur. Rursùs motus eſt ſolius vitæ organo inexiſtentis, actio eſt organi à vitâ moti, functio tandèm eſt opus actionis organi ſe exercentis.

Diximus, ut tria mente concipiantur, & memoriæ ſerventur, ex eo quia vera, tuta, & infallibilis theoria tùm ſanitatis, tùm morbi, tùm medelæ in perfectâ intellectione motûs, actionis, & functionis conſiſtit, & qui hæc clarè, ac diſtinctè intelligit, certus eſſe poteſt, quòd non ſolùm febrium theoriam, de quibus in præſenti agimus, ſed omnium morborum infallibilem theoriam ſecum habebit, quòd quomodò eveniet, in ſequentibus capitibus proſequemur.

CAPUT VI.

Quomodò intelligi debeat ſpiritum impetum facientem, ſive Vitam liberè moveri debere, ut inculpatam ſanitatem in vivente corpore producat?

JAm ſecundum *Hippocratis*, *& Ariſtotelis* ſententiam decrevimus animalium vitam eſſe ſpiritum, ſive ſubſtantiam tenuiſſimam impetum facientem, & ſe moventem in organis, quibus inexiſtit; atque etiam inſinuavimus hujus ſubſtantiæ tenuiſſimæ motum cauſam eſſe actionum, quæ ab organis, quæ movet, fiunt. Verùm ſubjunximus, quòd adhoc, ut actiones organorum inculpatæ fiant, requiri, ut vita liberè moveat, erit nunc operæ pretium aperire, quid neceſſarium ſit, ut vita in corpore ſe liberè moveat, & ut in ſuis peragendis motibus omnibus careat obſtaculis, eoq; modo moveatur, ut ſolùm id agat, quod eſt illi conveniens.

Ut id lucidè innoteſcere poſſit, diſtinctionem *Hippocratis*, quam ſuprà memoravimus repetere oportet, dixit enim ille, quòd integrum corpus vivens in tria dividitur, in continentia, contenta, & impetum facientia. Jàm naturam, & eſſentiam facientium impetum patefecimus, probavimuſque quòd illorum eſt munus movere remanet nunc, ut videamus, quod munus à naturâ ſint ſortita continentia, & contenta.

Itáque cùm munus impetum facientis ſpiritûs ſit movere, cùm ille inexiſtat cùm in continentibus, tùm in contentis, neceſſarium eſt horum, ut munus ſit ab illo ſpiritu moveri; nàm quoties aliquid intùs habet id, quod movet, id moveri neceſſe eſt, ſed tàm continentia, quàm contenta intùs haberi impetum facientem ſpiritum: ergò tàm continentia, quàm contenta debent moveri: moventur ſanè continentia, quæ ſpermatica neceſſariò ſunt, ad hoc ut ſuas actiones edant, ut ſuprà notavimus; moventur quoque contenta, adhoc ut diſponantur ad fines naturæ cognitos, ad quos diſponi non poſſent niſi per motum: ergò ſi integro vivente corpore ſpiritus impetum faciens movet, contenta, & continentia neceſſariò ab illo moventur.

Hoc cognito, ſequitur, ut ad hoc movens vita, ſive ſpiritus impetum faciens liberè movere poſſit id, quod movere debet, & dirigere hos motus ad illos fines, qui illi à rectè operante

rante naturâ ſunt conſtituti; requiritur, ut tùm continentia, in quibus movere debet, tùm contenta, quæ movere debet, ità ſint diſpoſita, ut illas habeant proprietates, quæ moventi vitæ omninò parere, & obedire poſſint, nàm ſi aliquid in ijs eſt, quod moventi vitæ parere non poteſt, illicò vitæ adimitur movendi libertas, ac tunc movebit minimè quidèm, ut ſuum inſtitutum requireret, ſed ut illam cogit id, quod in continentibus, & contentis exiſtens, ſuis non paret motibus, tunc enim depravati erunt vitæ motus, & per conſequens depravatæ erunt tùm actiones, tùm functiones, quæ morbum in vivente conſtituerent cum ſuis ſymptomatis, ſignis, alijſque annexis.

Quod ut clariùs eluceſcat, imaginamini digitum ſani hominis, in quo vita ordinatè moveatur, ex eo quia tùm partes continentes, tùm contentæ in digito ità ſunt diſpoſitæ, ut perfecta eorum ſanitatis requirit; fingite deindè in talem ſanum digitum ſpinam ingredi, nàm tunc quia partes digiti continentes à ſuæ continuitatis unione lacerantur, vitæ digito aufertur ſui motûs libertas, & circa ſpinam libertatem ſui motûs impedientem depravatè agitatur, producitque in vicinis continentibus partibus dolorem, & quia per dolorem depravatur motus, qui digiti nutrimentum reſolvebat, illud nutrimentum non reſolvitur, ſed circa ſpinam coacervatur, hæc nutrimenti coacervatio, cùm à continentibus tùm particulis capi non poſſit, & vita in ijs ſuos motus omninò depravatos exerceat, inflammationem tùm ratione diſtenſionis parcius, tùm ratione furentis vitæ producit, huic tandèm ſuppuratio ſuccedit.

In hoc exemplo ſpinæ digito infixæ clarè dignoſcitur, quod depravatæ vitæ motus à lacerante continuum ſpinâ, priùs dolorem, deinde nutrimenti coacervationem, tertiò inflammationem, tandèm ſuppurationem producit, ſpina verò eſt occaſio, ut talia cuncta accidentia fiant; quippè motus vitæ depravatus œconomiam digiti ſubvertit per ejus indebitas actiones, quæ à motu immediatè dependet & à ſubverſâ œconomiâ omnes digiti functiones ſubvertuntur quoque; Undè vobis ſint in documentum, quòd morborum omnium radix, & fomes ſitus eſt in vitæ motu depravato à præſentiâ cauſæ occaſionalis intra corpus productæ, vel in ipſum introductæ libertatem ſe moventis vitæ impedientis.

Præctereà ut motuum vitalium eluceſcat tùm libertas, tùm impedimentum, tùm in partibus continentibus, in quibus movetur, tùm in contentis, quas movet, operæ pretium erit priùs de continentibus partibus, de contentis verba facere, ut jàm quòd cognoviſtis principium motûs in viventium corporibus, cognoſcatis occaſiones, propter quas ſuos motus depravatos edere illud cogitur.

CAPUT VII.

De partibus corporis, quæ continentes ab Hippocrate appellatæ fuère, & quomodò ipſæ eſſe poſſint occaſiones motûs depravati in ſpiritu vitæ impetum faciente?

PArtes continentes corporis organici, ut unâ voce aſſignentur, ſunt

ſunt omnes illæ ſolidæ, quæ ad corporis conſtitutionem fuerunt ex ſemine productæ, quæ omnes reduci poſſunt ad tres ſpecies, ſcilicet ad oſſa, & cartilagines, reliqua omnia ſolida in corpore ex fibris conſtant, hinc membranæ, nervi, venæ, arteriæ, muſculi, tendines, ex quibus totum corpus, & illius partes conflantur, ex exiliſſimis, albiſque conſtant fibris vario, diverſoque modo contextis, pro organi, quod conſtituunt, exigentiâ.

Eſt tamen primò notandum, quòd dictæ partes ſolidæ ex ſemine productæ continentes dicuntur, non ſolùm quia deſtinatæ ſunt ad continendum excrementa, nutrimentum, ſanguinem, & alios humores in corpore contentos, ſed etiam quia in ijs continetur principium illud motûs impetum faciens, de quo ſumus ſuprà locuti; nàm principium illud motûs, ſive ſpiritus impetum faciens, ſive vita, ſive anima, ſive ſubſtantia tenuiſſima ſimplex, voca illud, ut lubet, peniſſimè in ipſis ſpermaticis partibus gliſcit, quas per motum ad actiones peragendas dirigit. Itáque poſſunt primò vitæ motum depravare partes continentes, ſi non rectè in generationis fluxu fuerint conformatæ, ſic enim monſtra fiunt, & partium deformitates eveniunt in ſitu, in figurâ, in magnitudine, quos morbos ad unam *Galenus* reduxit ſpeciem, quam malæ conformitatis appellavit.

Secundò, depravari poſſunt vitæ motus à partibus continentibus per ſolutionem continuitatis eorum; enimverò cùm vita circularis ſit in toto corpore, nec terminatur niſi à ſeipſâ continuas requirebat partes eam continentes, ut ipſa quoque ſibi ipſi ſemper continua eſſet: quoties ergò pars aliqua continens à ſuâ continuitate ſolvitur, illicò vita ſuos depravat motus, nàm neceſſariò inter extrema ſolutæ, vel laceratæ partis aliud intercedere corpus neceſſe eſt, à quo vita tanquàm ſibi hoſtili ſe retrahit, & motûs rectitudinem ſubvertit, eveniuntque ea; quæ ſuprà de ſpinâ digito infixâ notavimus.

Tertiò, depravari poſſunt vitæ motus à partibus continentibus, ſi violenter à ſitu diſtrahantur, ut in luxationibus, fracturis, alijſue ſimilibus accidentibus evenit; continens enim pars, ubi ſuum ſitum non ſervat, ut requiritur moveri nullo modo poteſt.

Quartò, depravari, imò aboleri poteſt vitæ motus, quoties continentes partes gangrænam, ſphacelum, vel mortificationem concipiunt, nàm ab illis in aliquâ corporis parte mortificatis veluti aufugit vita, & tandèm extinguitur.

Quintò, tandèm depravari poteſt vitæ motus in continentibus, quoties id, quod continent, ſecundum earum exigentiam non eſt diſpoſitum, tunc enim vita ipſis inexiſtens à præſentiâ rei illi hoſtilis à rectè movendo avertitur, & partes continentes depravatè movere cogitur. Nunc ad contenta nobis eundum eſt, quæ cùm varia, ac diverſa ſint in corpore viventium, & non uno, eodemque modo contineantur, prolixiori indigent examine, & eò magis qui motuum depravationes vitæ raro à continentibus, & frequentiùs, imò frequentiſſimè à contentis exoriantur.

Verùm antequàm ad contentorum eka-

examen accedamus, ex hactenùs dictis colligere debemus.

Primò, quòd corpus animale conſtat ex continentibus, contentis, & principio movente.

Secùndò, quòd ſanitas corporis animalis conſiſtit in actione, ſive motu principij moventis ſecundum naturam.

Tertiò, Quod actio, ſive motus eſt principij moventis ſecundum naturam tàm continentium, quàm contentorum.

Quartò, Quòd morbus conſiſtit in motu principij moventis depravato à continentibus, & contentis diſpoſitiones ſecundum naturam non ſe habentibus.

Quintò, Quòd morbus efficienter, & effectivè fiat à vitâ in illo tunc, quod non movetur ſecundum naturam, ſeu liberè, ſed præter naturam, ſeu depravatè.

Sexto, quòd tam continentia, quam contenta occaſiones eſſe poſſunt morborum, non autem ipſi morbi, nec eorum efficientes cauſæ, cùm materia morbi ſit ipſa vita ſe movens, forma verò ſit actualis depravatio ſui motûs ſecundum naturam: ſubſiſtitque in vivente morbus per modum aliorum entium naturalium per materiam ſcilicèt, & ſuam formam.

Septimò, quòd vita cùm alia ſit inſita partibus, alia influa, quoties depravatur motus vitæ inſitæ, particulares morbi fiunt, quoties verò depravatur motus vitæ influæ, tunc univerſales morbi fiunt.

Octàvò, Cùm fons influi ſpiritûs ſit cor, quoties motus cordis depravatur, toties univerſalis morbus producitur, nàm ubique corporis vitæ motus depravantur, læduntùrque actiones; morbus iſte univerſalis totum corpus crucians, febris à medicis nuncupatur, ex eo quia ferè ſemper calorem habet conjunctum.

Nonò, Hunc morbum, quem febrem appellant, nos definimus, quòd *ſit motus cordis, & partium ſibi continuarum à materiâ præter naturam in corpore productâ depravatus, calorem naturalem aliquandò uſque ad frigoris ſenſum imminuens, aliquandò uſque ad igneum gradum adaugens.*

Appoſuimus in hac definitione, *Motus depravatus*, loco generis, quilibet enim morbus motus eſt depravatus, ex eo quia ſanitas eſt motus, ſive actio corporis ſecundum naturam, ut Galeno quoque placuit: ergò morbus erit motus præter naturam, ſive depravatus, eſtque motus ſimpliciter tàm ſanitatis, quàm morborum genus.

Appoſuimus deindè *Cordis* ad differentiam reliquorum morborum, qui febres à medicis non appellantur, ex eo quia in ipſis cor ſecundum naturam ſe movet, licèt aliqua corporis pars proprio morbo laboret, ut oculus cœcitate, auris ſurditate &c.

Appoſuimus *continuarum ſibi partium*, ut connotaremus depravatum motum cordis morbum eſſe univerſalem, totius ſcilicèt corporis, non tamen ſui ipſius, nàm cum venæ, arteriæ, membranæ, & ſanguis ſint partes corporis cum corde continuæ, & quæ à corde motum habent; depravato cordis motu, & motus partium etiam depravatur, at quia venæ, arteriæ, membranæ, & ſanguis univerſum ferè corpus componunt cum reliquis partibus ſibi continuis: ergò depravato

motu

motu cordis, univerſi corporis motus depravatur, quod idem eſt, ac univerſum corpus ægrotare.

Appoſuimus *A materiâ præter naturam in corpore productâ*, ad connotandum occaſiones, propter quas motus cordis ſecundum naturam efficitur præter naturam, & depravatus; nàm cùm in naturâ quicquid movetur, ab alio moveri neceſſe ſit, ut cor, quod ſecundum naturam movetur, depravatè, & præter naturam moveri poſſit, neceſſe eſt, ut in corpore producatur cauſa præter naturam, ut quod movetur ſecundum naturam, præter naturam deindè moveatur.

Appoſuimus demùm *Calorem ſecundum naturam, aliquandò uſque ad frigoris ſenſum imminutum, aliquandò uſque ad igneum gradum adaugens*, ut connotaremus ſymptomata, quæ alternatim hunc morbum ſemper comitantur, nàm utrumque ſymptoma à relatione cauſæ præter naturam moventis ad motum cordis pendet, ut infrà.

CAPUT VIII.

De Speciebus, ſive differentijs contentorum in corpore viventium, quæ Febrium occaſiones eſſe poſſunt.

QUicquid animantia, ut vivant, in eorum corpora ingerunt, & quod contineri in ijs dicere rectè poſſumus, in duplici primò haberi poteſt differentiâ; vel enim utile illud erit, vel inutile: utile quidèm eſt illud, quod ſeparatum ab inutili, ſemper in intimiores viventis corporis lares ſe inſinuat; inutile verò eſt illud, quod ab utile ſegregatum, quàm celerrimè poteſt, per deſtinatos ductus foràs extra corpus egreditur: hoc quod inutile eſt, communiter excrementum appellatur, utile verò nutrimentum, quamquàm id, quod utile eſt, & nutrimentum appellatur, poſtquàm vitam recreavit, per cutem tandèm excernatur, & excrementi nomine non eſſet indignum: utamur itàque nos his nominibus, inutilis ſcilicèt, & utilis pro majori rei intelligentiâ, & claritate.

Quæ ab animalibus ingeruntur itàque cibaria in ventriculum primò repiuntur, in quo per fermentationem prima fit utilis ab inutili ſeparatio, inutile excrementum à liene ſeroſum, cœnoſum, & terreſtre attractum per renes in veſicam cum urinâ excernitur; habet lien magnâ vaſorum Symphaticorum copiam; utile ab ipſâ ſolidâ ventriculi ſubſtantiâ excipitur; inutile verò craſſum, & conſiſtens per pylorum in inteſtina deſcendit, verùm quia non integrè, quod utile erat, ab eo fuerat in ventriculo ſeparatum, reſiduum utile à ſolidâ inteſtinorùm ſubſtantiâ excipitur, reliquum omninò inutile tandèm foras excernitur opportunis temporibus, ſi integrè valeat animal.

Utile verò, quod à ſubſtantiâ ſolidâ ventriculi, & inteſtinorum fuit exceptum per fibrarum intercapedines in uniuerſum corpus diffunditur celeri quodam motu, recreatque famelicam cunctarum partium indigentiam, ac tandèm in ſpinalem medullam, cerebrumque fibrarum omnium per corpus diſperſarum in radices ſucceſſivè ſe recipit, ubi veluti craſſeſcit,

devenitq; liquor quodammodò ſpermaticus, qui per fibrarum ſubſtantiam iterùm in univerſum corpus refluens, intra canales venarum, & arteriarum à fibris decidens cum ſanguine in ijs ſtante commiſcetur, & in ipſius ſanguinis augmentum cedit. Intereà dùm utile per intercapedines fibrarum in cerebrum, & ſpinalem medullam fluit, & poſt elaborationem per fibrarum ſubſtantiam in ipſum corpus refluit pars illius tenuior, & aquoſior per cutis poros aliquandò inſenſibiliter aufugit extra corpus, aliquando ſudoris formâ.

At pars illa perfectior, quæ in fiſtulas venarum, & arteriarum ſimul cum ſanguine ſe commiſcuit, per venas in dextrum cordis ventriculum fluens, deindè per venam arterioſam in pulmones, poſteà per arteriam venoſam in ſiniſtrum cordis ventriculum, demùm per ſiniſtrum ventriculum in arterias fluens, ultimam perfectionis entelechiam acquirit; quippè excitatur in illo fomes, & tenuis ſpiritus, qui totum corpus penetrans, illud in aſſiduo, & æquali calore conſervat, reliquum verò ſanguinis excitato illo à corde ſpiritu in arterijs privatum à venis excipitur, per quas iterùm in cor fertur, iterùmque excitato in eo ſpiritu, iterùm arterias ingreditur, ſic in circuitum actus perfectorum animalium vitam corpora fovet; interim ſi aliquid ſeri inutilis per circuitus deponat ſanguis, per vaſa lymphatica in renes tranſmittitur, à quibus in veſicam deſcendens, foràs egreditur. *Separatur* etiam à ſanguine in hepate liquor, quem felleum appellant, ad neceſſarios quoſdam uſus deſtinatus, ut diximus, qui liquor etiam inter contenta habetur, & per inteſtina excernitur.

Itaque contentorum in corporè viventium differentiæ ſunt, prima cibi in ventriculo ante ullam ſeparationem. Secunda excrementa, quæ per inteſtina deſcendunt. Tertia humiditas cœnoſa, quam aliqui à ventriculo lienem ſugere credunt, ut eam in renes, & veſicam tranſmittat. Quarta alimentum, quod per intercapedines fibrarum in totum corpus diffunditur, & in ſpinalem medullam, & cerebrum fertur. Quinta hujus nutrimenti ſeroſa humiditas, quæ per corporis peripheriã inſenſibiliter effluit, eſtque ſudoris materia. Sexta ipſa ſubſtantia nutrimentì à ſpinali medulla, & cerebro elaborata & per ſubſtantiam fibrarum iterum in corpus reflua. Septima ſanguis à dictâ ſubſtantiâ in cerebro elaboratâ in venis, & arterijs productus. Octava ſerum ſanguinis, quod in renes, & veſicam tranſmittitur, differtque hæc urina ſanguinis ab alba, quam retulimus, quæ eſt ciborum. Nona liquor felleus, qui in hepate ſeparatur, & in inteſtina fluit. Decima addi poteſt aqua pericardij, quæ ab alimento ipſius cordis producitur, differunt ſanè hæc decem, quæ in corporibus continentur tùm ſubſtantiâ, tùm loco, ac quoties per degeneratione͂ à ſtatu naturali occaſiones morborum fiunt, toties pro contentæ ſubſtantiæ, & continentis loci differentijs morborum differentiæ proprium inſtituemus, ut ſcrutemur, quid ex ijs degeneribus eveniat

Caput IX.

Quomodò ingeſta in Ventriculum ante ſeparationem utilis ab inutili poſſint eſſe morbi occaſiones.

INgeſta in ventriculum triplici modo eſſe poſſunt morborum occaſiones vel ratione multitudinis, vel ratione pravæ qualitatis, vel ratione non rectè operantis ventriculis.

Ratione multitudinis, ſi ità vis ventriculi obruatur, ut reſiſtentem multitudinem ſuperare non poſſit, corrumpuntur tunc ingeſta, non fermentantur, & multitudo corrupta niſi vomitu, vel diarrhœâ evacuatur, ſuo nidore principium illud motus, quod actionum ventriculi eſt cauſa ità conturbat, & irritat, ut omnes ventriculi actiones depravatas & inordinatas efficiat, quibus depravatis non ſolùm id, quod in ſuâ cavitate retinet ventriculus, ſed etiam alimentum, quod in ſuis fibris continet, degener efficit; quod ſi eo ſit obſtinata alimenti ventriculi degeneratio, ut a continentibus illud partibus adpriſtinum naturalem ſtatum reſtitui non poſſit, jam in fibris ventriculi producta eſt cauſa occaſionalis peſſimi moris, quæ priùs in corde, deindè in toto corpore manifeſtatur, eo modo, quem infrà, ubi de febre ex nutrimento degenere agemus.

Ratione verò pravæ qualitatis ingeſtorum non ſolùm actio ventriculi à promovendo in ijs fermento deſiſtit, ſed principium motûs ipſius actionis à pravâ qualitate ad depravatè movendum adigitur, totamque ventriculi œconomiam ſubvertit & conſequens, proprium nutrimentum degener reddit, quòd ſi citò ad ſtatum ſecundum naturam non redigitur, occaſio erit febris, de quá paulò infrà, ubi de nutrimento degenere agemus, læſionis modum aperiemus, poterit tamen ventriculi vis vel per vomitum, vel per diarrhœam pravę qualitatis ingeſta eijcere, & tunc ab imminente febre liberatur.

Ratione non rectè operantis ventriculi vel fermentatio ciborum, vel ſeparatio utilis ab inutili depravatur, undè congeries fit in illo ſuperfluitatum, quibus aſſuefactus ventriculi rector ſpiritus non adeò vehementer in ſuis motibus turbatur, undè eſt, quòd ſuperfluitates illæ potiùs chronici morbi, quàm acuti occaſiones eſſe poſſunt; obſtructiones enim, inappetentiæ, affectiones hypochondriacæ, ariduræ, tabes, hydropes, & ſimiles morbos inducere ſolent, quorum dignotionem, & curationem alibi tradidimus.

Cùm his tribus traditis modis ingeſta in ventriculũ ante utilis ab inutili ſeparationem poſſint eſſe acutorum morborum cauſę, de quorum curatione capite proprio ſuo agemus: Videndum nunc nobis eſt, quid evenerit, cum dicta tria ſecundum naturam ſe habuerint, & ingeſta in ſeparationem utilis ab inutili properent.

Fuit Hippocratis ſententia lienem à ventriculo attrahere ſeroſas, & cænoſas ſuperfluitates, quod an verum ſit, de *Anatomicâ lienis Hiſtoriâ* examinavimus; enimuerò putavit ſuperfluum potum fermentationem ingeſtorum in ventriculi impedire, niſi opportunè ſeparetur, & hæc ſepara-

tio neceſſariò ſupra pylorum in ventriculo fieri deberi, nàm ſi ſuperflua humiditas per pylorum dependeret, nimiùm lubrica eſſent inteſtina & continuo ferè excernerent, ut avibus evenit, quæ veſicâ carent. Itàquæ cùm in ventriculo fieri deberet ſuperflui potûs ſeparatio, à nullo viſcere hoc opus peragi poterat, niſi à liene per multiplicia vaſa brevia fundo ventriculi connexa, qui in renes hauſtam humiditatem tranſmittens, & per veſicam excerneretur, hinc lege naturę ſancitum eſt animalia omnia, quæ liene carent, renibus & veſicâ carere, & contra, ſit itàque

CAPUT X.

Quomodò humidæ ſuperfluitates, quæ ab ingeſtis cibis in ventriculum ope lienis ſeparantur, poſſint eſſe Febrium occaſiones & cujus generis?

Lien ſpongioſum habet corpus ex arteriolarum multitudine contextum, & copioſis vaſis lymphaticis retis inſtar donatum, ideòque quod affatim potatur, poſtquàm in ventriculum deſcendit ſtatim à liene per ipſius vaſa lymphatica, quæ in ventriculo continentur, ſugitur; id quod lien ſugit, ut naturæ leges ſervet, tranſmittere debet ad renes, quòd ſi propter ſui imbecillitatem, vel propter copiam non tranſmittit, turgidum & durum ipſum lienem fieri conſpicimus, ex eo quia in eo remanet id, quod attrahit: hæ humidæ ſuperfluitates in liene ſtagnantes, chronicorum morborum ſunt occaſiones & inter febres eam, quam quartanam appellant, producunt, quippè earum præſentiâ motus totius viſceris, quo ejus actiones fiunt, depravatur, à qua motus depravatione in illis arteriolis viſcus componentibus aliquid etiam depravatum producitur, quod quarto quoque die ſe fermenteſcens, occaſio erit, ut viſceris natura quarto etiam die depravatè moveatur, oriturque quartanæ paroxyſmus, de cujus periodo & depravationis modo infrà loquemur, nunc ſufficiat dixiſſe, quæ febris ſpecies à ſero lienis ope è ventriculo educto producatur. Nunc ſit

CAPUT XI.

Quomodò excrementa, quæ per pylorum in inteſtina deſcendunt, occaſiones febrium eſſe poſſint?

Ut in ingeſtis cibis utilis ab inutili ſeparatio in ventriculo ſuccedat, fermẽtatione opus eſt; utile eſt id, quod ethereæ naturæ eſt, inutile verò quod fœculentę & terreæ craſſitudinis eſt, Itàque ſeparato à liene humido ſuperfluo, ventriculi calor cibos fovens, efficit, ut pars ætherea in ipſis clauſa moveatur, ad hoc ut per motum à craſſis fœculentijs ſe explicet, motus iſte fermentatio dicitur, cujus opus quicquid æthereum eſt in cibis, fœculentias relinquit & in ventriculi amplexantes vellos ſe recipit, ut deindè per fibras per totum corpus diſpergatur. Interim fæculentum, quod remanet, per pylorum in inteſtina deſcendit, quod fellei liquoris auxilio, ſi aliquidætherei in ventriculi fermentatione in eo remanſit, omninò in ipſis

ſis inteſtinis ſe ſeparat, & in fæces omninò corpori inutiles tranſit.

Nunc notandum eſt, quod ſi fæces iſtæ, dùm per inteſtina deſcendunt, vel ob nimiam moram, vel ob pravorum ciborum, quorum ſunt fæces, proprietatem, vel ob defectum facultatis ſeparatricis inteſtinorum, quæ ab eis non ſugit, quod ſugere debet, vel ab eis attrahit, quod non debet, degeneres fiunt, acquiruntque indolem inteſtinorum naturæ hoſtilem; ſtatim principium motus œconomiã inteſtinorum gubernans ſuos motus depravatos edere cogitur ob præſentiam degeneratarum fæcum, depravaturque per conſequens nutrimentum in fibris inteſtinorum degens, quod deindè motus depravationem proximiùs ſubſtentat & fouet, uſque dùm cordi fit particeps, ut infrà exponemus exoriturque continua febris.

Poſſunt etiam fæces in inteſtinis degeneres diverſos concitare morbos, ut diarrhœam, dyſenteriam, lienteriam, cœliacam, & alios quam plures, ex quibus quoties febris etiam concitatur, eodem modo, quo ſuprà, occaſionaliter ab humoribus degeneratis concitatur; ſcilicet quod materia naturæ inteſtinorum inimica eorum motum depravat, depravatio motûs depravat nutrimentum in fibris eorum exiſtens, nutrimentum depravatum deindè proximius fouet febrem.

CAPUT XII.

Quomodò pars utilis à cibis in ventriculo, & inteſtinis ſeparata, & in eorum villos recepta quæ nutrimentum vocatur, poſſit eſſe febrium, & quarum occaſio?

Pars illa ciborum æthereæ naturæ, quæ per fermentationem in ventriculo & inteſtinis à fæcibus ſeparatur, utilis dicitur & nutritioni totius corporis deſtinata, hanc excipiunt primo villi tùm ventriculi, tùm inteſtinorum, & quia tenuiſſima eſt inter fibrarum ſpermaticarum texturas per univerſum corpus ſe diffundit, non ſecus ac oleum per ellychij fibras aſcendit, ut accenſam flammam ſuſtentet; pars ita ciborum utilis à motu continentium eam fibrarum regitur, & ad majorem ſemper perfectionem adigitur per ſeparationem ab eâ illius, quod aqueum eſt, & ſeroſum, ut puriùs remaneat ſpiritus volatilis, ſalſus, & vitæ ſenſitivæ diſpoſitionibus proximus. Intereà dum paſſim depuratur in intercapedinibus fibrarum alimentitius iſte liquor, paulatim in cerebrum, ſpininalemque medullam, à quibus fibræ ſpermaticæ omnes corporis originem ducunt, fertur ad illum finem, quem ſequenti capite explicabimus; nunc de eo agemus, ut præter naturam fieri poſſit eo tempore, quo à ventriculo & ab inteſtinis uſque in cerebrum, & ſpinalem medullam per fibras fertur.

Liquor iſte alimentitius, ut jam prædiximus, regitur à motu fibrarum, in quas recipitur, qui motus, ſi ſecun-

cundum naturam fiat, ſic quoque ipſum alimentarium liquorem diſponit, ſi verò præter naturam fibræ moveantur, & ipſe liquor præter naturam diſpoſitiones adipiſcetur.

Moveri præter naturam fibræ poſſunt, cum iis adhæret materia aliqua præter naturam; eſtque tunc materia illa occaſio, propter quã fibræ motus depravetur, depravatio verò motus efficienter non producitur ab illâ materiâ præter naturam fibris adhæreſcente, ſed à principio motus ipſis fibris inexiſtente, id eſt actiones in morbis non læduntur à materiâ præter naturam fibris adhæreſcente, ſed tantùm occaſionaliter, efficienter verò læduntur actiones à principio motûs fibris inexiſtente, quod ut natura requirit, non movet, ſed longè aliter.

Materia iſta occaſionalis præter naturam multiplex eſſe poteſt, & in diverſis locis, ut jam ſupra innuimus; eſſe enim poſſunt cibi in ventriculo tùm quantitate, tum qualitate peccantes; eſſe poteſt potus à liene eductus, ſi non tranſmittatur in renes, vel præter naturam diſponatur; eſſe etiam poteſt excrementum in inteſtinis quomodocumque præter naturam affectum: attamen hæ cauſę occaſionales fugacem, & extemporaneum morbum producerent, ſi depravatio motûs fibrarum, quibus adhærent, contentum liquorem alimentitium non depravant; quippè notatę cauſę occaſionales licet ſint intra corpus, ſunt tamen extra ſubſtantiam partium, adhærentque ſuperficialiter partibus, non tamen illis infixę, undè eſt, quòd faciliter ab iis amoveri poſſent cum morbi quieſcentiâ, verùm quia cùm ex cauſâ occaſionali ſuperficialiter adhæreſcente depravetur motus fibrarum illius partis, & per conſequens depravatur, quoque nutrimentum in ipſis fibris contentum, quod per illas eſt intrinſicè diſperſum; licet cauſa occaſionalis abſtergatur, morbus non ceſſat, ſed ſuſtentatur, à nutrimento inter ipſas fibras depravato.

Hac occaſione operæ prætium eſt notare, quod non omne id, quod eſt intra corpus viventis, eſt ipſi viventi intrinſecum; ità cibi in ventriculo ſunt intra corpus, ſed non ſunt ipſi viventi intrinſeci: ventriculus enim ſuam habet cuticulam, qua ſuas fibras tegit, & cum qua cibos amplexatur. Ità etiam excrementa in inteſtinis & veſicâ ſunt intra corpus, non tamen ſunt ipſorum inteſtinorum ſubſtantię, & veſicæ intrinſeca. Ità ſanguis eſt intra corpus, dùm eſt in venis & arteriis, ſed intrinſecus non eſt ipſius venæ, & arteriæ ſubſtantiæ. Nutrimenvero illud, quod à ventriculo & inteſtinis verſus cerebrum, & ſpinalem medullam per inteſtitia fibrarum aſcendit, tùm illud, quod ab ipſo, & ſpinali medullâ per ſubſtantiam ipſam fibrarum in corpus diſtribuitur, intrinſecum viventi ritè dici poteſt, nàm dictæ fibræ ultimæ ſunt, & profundiores totius corporis partes, neq; ipſi viventi aliud eſt intimiùs ipſis ſpermaticis fibris, quæ ſunt ſui corporis fundamentum.

Hac diſtinctione poſitâ, ſciendum eſt, quòd non eodem modo lædit id, quod eſt viventi intrinſecum, ac id, quod eſt ipſi externum, licet intra corpus quomodocùmquæ præter naturam; nàm id, quod eſt viventi externum

tertium, neque illum crudeliter torquere poteſt, neque aſſiduò, quippè cùm tantùm adhæreat, ſoliditatem partium lacerare non poteſt, & naturæ motibus abſtergi, vel reſolui non eſt difficile, experimur id in partibus externis noſtri corporis, quibus ſi acus adhæreat, ità ut eas leniter pungat, non tamen cutem lacerat, nos punctionem illam ſentimus, neque nimiam dolemus, ac ſi partem retrahamus a puncturâ, illicò liberamur: verùm ſi acus trans cutem adigatur, ut ibi infixa remaneat, & maximos cauſat cruciatus, & non ex eo quod manus retrahitur, vel moveatur, acum à ſe reijcit, perſeverabitque uniformiter in eo dolor, uſque dùm aliquâ vi externâ educatur acus.

Ab hoc exemplo nunc diſcite, quòd omne id, quod intra corpus in cavitatibus, ductibus, & meatibus reſidet, quoties à proprietate naturali degenerat, eſt quidem naturæ partium inimicum, & hoſtile, & eo modo, quo acus cutem pungens, & illam non lacerans, eſt cuti inimica, & hoſtilis, ſcilicet quod neque aſſiduò, neque vehementer illam cruciet, quod abſtergi, & ſeparari facillimè poteſt, cùm non ſit intrinſeca, hujuſmodi adhæreſcentes parietibus partium degeneratæ materiæ, dummodò ad maximum pravitatis gradum non ſint exaltatæ, ephemeras febres aliquandò producere ſolen, concitant enim earum præſentia in principio motus illius partis, cui adhærent vehementiam & impetum movendi cum rigore, & horrore priùs, deindè cum calore, quibus motibus, ſi concitans materia omninò abſtergatur, poſt viginti quatuor horarum ſpatium principium motus à movendo quieſcens, in naturali ſuo remanet movendi modo.

Verùm ſi vehèmentibus ſuis motibus adhæreſcens materia occaſionalis, vel non vincitur, vel omninò non abſtergitur, ſi cùm ad quietem ſe recipere ſatagit principium motûs iterùm ipſam materiam parti adhærere animadvertit, iterùm ad eoſdem motus recurrit & ad expulſionem præſentis nocui aſſurgit & hoc modo à præſentiâ materiæ degeneratæ alicui corporis parti adhæreſcentis occaſionaliter concitatur, & febres, quæ ſucceſſivis acceſſionibus fiunt, excitantur.

Intereâ ſi dùm à pertinaciâ adhæreſcentis cauſæ occaſionalis febres per acceſſiones fiunt, & principium motus in aſſiduâ ſui motûs depravatione perſeverat, liquor alimentitius, qui inter fibras ſtagnat, à naturali indole degenerat, & præter naturam fit. Jàm febris, quæ à ſimplici materiâ occaſionali adhæreſcente concitata, mitis apparebat, & abſque ſymptomatum pravitate, peſſimi fieri incipit moris inualeſcunt ſymptomata, vires languent, facultates omnes labefactantur, acceſſiones ante remiſſionem præcedentium ſuperveniunt, & tandem omnia malè ſe habent, quæ cuncti ex eo pendent, quod liquor alimentitius degeneratus intrinſecus eſt ipſis partium ſubſtantijs, & principium motus, quod eas regit partes, ex continuâ præſentiâ degenerati illius nutrimenti continuò depravatè movere cogitur, atquæ ad naturalem motionem ſe componere prohibetur, non ſolùm ab eo liquore alimen-

alimentitio priùs degenerato, ſed etiam ab eo, qui ſucceſſivè degeneratur per ſui motûs depravationem.

Febres itàque quæ ſub tertianæ duplicis nomine militant communiter apud medicos, quæque quotidiè ſenſibile incrementum habent abſque notabili præcedentis acceſſionis remiſſione, à nutrimento in fibris degenerato dependent, & præcipuè in fibris partium intra abdominis cavitatem contentarum; quippè cùm nutrimentum illud degeneratum ſit in ipſis fibris intrinſecum, intermiſſio motûs depravati expectari non poteſt, ut evenit in materijs tantùm adhæreſcentibus, quæ per acceſſionis motum, ſaltem à ſuperficie, cui adhærent, removentur, & per illud ſaltem ſpatium, quo adhærere ceſſant, intermittitur depravatus motus, & natura ſuo motu gaudet, at cùm nutrimentum degeneratum eſt in causâ depravati motûs, ſive febris, cùm illud ſemper fibris adhæreat, & removeri non poſſit, poſt acceſſionis curſum, in quo motûs principium laboravit, ut materiam à ſe removeret, cùm perſeverare eam ibidèm animadvertat, abſque eo quod tantillum interquieſcat, iterùm ad pugnam accingitur, & depravationes ſuorum motuum vehementiùs ſollicitat; intereà ſemper magis confunditur, ſemper magis à recto aberrat, ſemper depravati alimenti copiam, & qualitatem adauget, undè ſemper in pejus ruere hàs febres obſervamus.

CAPUT XIII.

Quomodò pars illa nutrimenti, quæ per univerſam corporis peripheriam inſenſibiliter reſolvitur, poſſit eſſe febrium occaſio, & quarum?

Dum nutrimentum à ventriculo, & inteſtinis inter fibras, ad cerebrum, ſpinalemque medullam fertur, motus fibrarum ſemper illud purius reddere ſatagit, ſeparatque ab illo aliquid, quod ejus perfectionem impediret, id, quòd à nutrimento ſeparatur in circumferentiam corporis in ſpecie halitûs partium natura tranſmittit, à qua continuò, inſenſibiliterque exhalat, materia iſta exhalabilis, ſi integrè ſeparetur, & integrè expellatur, optimè valebit animal: verùm ſi integrè non evaporet, quod evenire poteſt, ſi repentè refrigeratâ cute, ejus pori conſtipentur, remanet materia illas inter fibras corporis præter, & contra naturæ inſtitutum, devenitque tunc occaſio febrium ejuſdem moris, cujus capite præcedenti eas eſſe diximus, quæ ex degenerato in fibris nutrimento eveniunt, continuæ ſcilicèt cùm ſuperventione acceſſionum abſque remiſſione præcedentium, nàm cùm locus ſit idem, & materia, quæ degenerat, ſit ejuſdem naturæ, ejuſdem ſpeciei producere motum conſentaneum rationi videtur; faciliùs tamen febres curantur, quæ ex prohibitâ tranſpiratione fiunt, quàm quæ ex nutrimento tranſpirationi non deſtinato, de quibus præcedente capite, eveniunt: nàm illæ, medicamine exhibito ſudorem promovente, ſolvuntur, iſtas verò ſudore ſolvi poſſe non eſt adeò facile.

CAPUT XIV.

Quomodò liquor nutrititius, qui à cerebro, & ſpinali medullâ elaboratus per fibrarum ſubſtantiam ad ſuſtentandum corpus deſcendit, febres producat, & cujus generis?

NUtrimentum à cibis ſeparatum, & in ventriculi, & inteſtinorum fibras receptum, tùm per proceſſus, quibus meſenterium per vertebras lumbares ſpinali medullæ inſeritur, tùm per alios, quibus diaphragma per dorſi vertebras ipſi ſpinali medullæ fit continuum, in ipſam ſpinalem medullam, in ipſamque cerebri medullam recipitur, ibi elaboratur, & indolem animalem acquirit, transmutaturque in hoc aliquid, quod gluten album, ſpermaticumque repreſentat, gluten, ros, & cambium dictum antiquis per fibrarum ſpermaticarum ſubſtantiam diſtribuitur, ferturque per univerſum corpus, nàm univerſum corpus à fibris conflatur, à ſpinali medullâ, & cerebro deſcendentibus. Hic liquor partes ſubſtantialiter nutrit, hic liquor nervos, & partes omnes albas in corpore ſanguine orbatas in vitâ ſuſtentat; hic liquor humidum eſt radicale partium corpus conſtituentium; hic liquor intercipitur in reſolutis, & paralyticis, qui exſiccantur, licèt in partem reſolutam venæ, & arteriæ ſanguinem deducant; hic liquor, dùm aceſcit in ſinouijs articularibus, podagram producit; tandèm hic liquor ità in fibrarum ſubſtantijs degenerare poteſt, ut febres producat omnium peſſimas, ferèque ſemper lethales, uti ſunt febres caſtrenſes, febres ex peſte, febres quædam puſillæ, ac frigidæ, quæ infirmi vires uno, vel altero die omnimodè ſternunt, & omnes facultates veluti ex improviſo exſtingunt, & mors morbi cognitionem, & remedium non expectat, infirmi ſuſpirioſi ſunt, & anxij, & parùm conſtant, parùmque aut nihil advertunt.

Dupliciter præter naturam fieri poteſt liquor iſte in ſubſtantiis fibrarum, vel per degeneratum nutrimentum inter fibras ipſas, de quo cap. 12. locuti ſumus, vel per vehementiſſima animi pathemata, uti ſunt metus, timorque vehemens propter vitæ, æſtimationiſque periculum, ut certitudo invincibilis de ſuſcepto peſtis contagio, ut etiam rabidi canis morſus; hinc eſt, quod tam in iis, qui ex rabie pereunt, quàm in ijs, qui ex animi paſſionibus vitâ privantur, pericardium ſine aquâ exſiccatum invenitur, aqua enim pericardij ex hoc liquore producitur, qui in dictis caſibus ceſſat. Febres iſtæ per acceſſiones incrementa non habent, ſed paſſim, & quotidiè declinant, ex eo quia vita tendens ad occaſum vix ſenſibiliter movet, & ratio eſt, quòd cùm liquor iſte ſit primum ſubjectum, quod principium motûs in viventibus movet, cùm illud jàm degeneratum moveri non poſſit, à movendo reliquas partes illicò ceſſat, totumque ſub morbi juriſdictione deſerit corpus. Præterea cùm ex hoc liquore ſanguis in venis, & arterijs generetur, quoties præter naturam fit liquor iſte, ſanguis etiam cadaveroſo nidore veluti contaminatur,

grumeſcitque in ipſis vaſis, ut in peſte, febribus Caſtrenſibus, & omnibus frigidis febribus obſervatur.

Caput XV.

Quomodo ſanguis in venis, & arteriis contentus poſſit eſſe occaſio febrium, & quarum?

Liquor nutritius à medullâ cerebri, & ſpinali elaboratus, dum per ſubſtantiam fibrarum tunicas venarum, & arteriarum conſtituentium fluit, in cavitates dictorum vaſorum exſtillat, & ſanguinem, qui per ea fertur, commiſcetur, perfectamque acquirit ſanguinis indolem aſſiduis per cordis ventriculos, & pulmones circuitibus; ſanguis iſte eſt viventium corporum balſamum, à naturâ eorundem corporum per aſſiduos labores ad ultimam perfectionem evectum, ſpiritus eſt enim volatilis, ſalſus, & quodammodò ſe movens: nàm liquores omnes, qui in viventium corporibus continentur, non ex ipſis ſed ex motu partium continentium loco moventur, tantùm ſanguis ob æthercam ſuæ ſubſtantiæ naturam, quæ quieſcere non poteſt, impetu vehementi per venas, & arterias fertur, diſpenſatque univerſo corpori æthereis ſuis effluvijs placidum illum calorem, quo mediante conſervatur in vitâ, ſanguis ergò in viventium corporibus, cum ætherea ſit naturæ, quieſcere non poteſt, nàm ceſſante à motu ſanguine, calor illicò in vivente ceſſat, & per conſequens vita, quippè ex motu partium ſubſtantiæ ſanguinis uſque dùm per corpus referuntur, calor producitur, at ſi in ſubſtantiâ ſanguinis partes illum conſtituentes quieſcunt, ceſſat illicò calor, nàm ceſſat illius cauſa.

Prætereà cùm ſanguis in vaſis ſit ſemper in motu, quicquid intra, vel extra corpus, quod ipſo ſanguine calidius ſit, producatur, ſanguinem ipſum ad vehementiorem motum, & calorem excitabit, qui motus vehementior, & calor in ſanguine fermentatio à recentioribus dicitur, ſcilicèt quòd partes æthereæ ſubſtantiæ ſanguinis, quæ leviter movebantur, ab externo calore ſollicitatæ in vehementiſſimum motum, atque efferveſcentiam concitentur, cùmque fermentum à fervimento dicatur, quoties fervor rei alicui accidit, eam fermenteſcere, ſive fermentationem pati aſſerant.

Dupliciter ergò ſanguis eſſe poteſt febrium occaſio vel ob vehementiorem, quàm corpori convenit motum, vel per totalem à motu ceſſationem.

Per vehementiorem, quàm corpori convenit motum, cor inter anguſtias ponit, nàm in arterijs præter modum ebulliens ſanguis, rareſcit, & ſpatium majus requirit, quàm ab ipſis arterijs præſtatur, ac propterea cor verſus regurgitat, prohibetque nè ſanguis à ſiniſtro cordis ventriculo in ipſas arterias recipiatur. Intereà ſanguis venoſus ob acceleratum motum, & fervorem magno impetu in dextrum cordis ventriculum illabitur, in dextrum itàque ventriculum facto celeri ſanguinis acceſſu, & in ſiniſtro præpeditus ejus tranſitus in arterijs, cor utrinque inter anguſtias poſitum, agitari præter modum

dum

dum frequentiùs, & inæqualiter moveri contingit, producitque ſynocham febrem unicâ acceſſione conſtantem, ſcilicèt uſque in motûs, & fervoris durationem, dummodò fervoris occaſio non in ſolidis corporis partibus, ſed in ipſo ſanguine ſuum fomitem habeat; nàm ut infrà dicemus, cùm per accidens, & non per ſe ſanguis fervet, tunc febrem ſynocham non producit, ſed eam, quæ per acceſſionum recurſum manifeſtatur, accidit.

At per totalem à motu ceſſationem intelligi debet, cùm pauca ſanguinis portio, & in vaſis capillaribus ceſſat à motu; nàm ſi tota ſanguinis maſſa, vel in vaſis magnis ſanguis à motu ceſſat, illicò mortuum eſt animal, ceſſante enim ſanguinis motu, & vita neceſſariò ceſſat: cùm itàque in vaſis capillaribus præcipuè arterioſis aliqua ſanguinis portio ſtagnet, quo per aliquam obſtructionem in venas capillares tranſire non poteſt, I. Ibi motum amittit. II. Grumeſcit. III. Continentium vaſorum motum depravat. IV. Incipit dolor. V. Apparet tumor cum inflammatione, & febre, quæ ſynochum typum ſervat. VI. Circumſtantium partium motus grumefactum ſanguinem in pus concoquunt. VII. Completur ſuppuratio, & ceſſat inflammatio, & febris.

Diſcite hinc juvenes quàm ineptè, & inſcitè medici vulgares putredinem in ſanguine vobis ſuadent, & in continuis febribus eam in vaſis magnis prope evenire ſine fundamento vobis inſinuant; ſanguis enim putreſcere non poteſt, niſi priùs ceſſet à motu, & deindè grumeſcat, imò tantùm abeſt, ut putredo ſanguinis in facto eſſe ſit cauſa febrium, ut febres ceſſent integrè completâ ſuppuratione, undè pronunciatum fuit ab antiquis: *Dùm pus fit, febres, & dolores accidunt*, ſcilicèt in eo actu, quo ſanguis motum amittit, & in grumum concreſcit, in pus deindè digeſtus à lædendo ceſſat.

CAPUT XVI.

Quomodò ſerum, quod ſeparatur à ſanguine, & in urinæ formam excernitur, poſſit eſſe occaſio febrium, & quarum?

Natura in ſanguinis præparatione ultimam perfectionem intendit, præter ea, quæ ad illum elaborandum tot digeſtionibus ſeparavit, ſi aliquid ſalſæ ſeroſitatis in eo eſſet, reſiduum per vaſa lymphatica in pelvim deſtillat, & deindè in ureteres, & veſicam deſcenderet, adhoc ut è corpore deturbaretur. Serum hoc ſi ante à ſanguine ſeparationem naturam mutet, & ſua ſalia confundat, fit venis, & arterijs inimicum, & hoſtile, producitque in ijs febrem, quam ſynochum putrim appellare ſolent vulgares, quippè cùm concitetur à materiâ cum ipſo ſanguine mobili per acceſſiones non recurrit, ſed unicâ acceſſione ſuam terminat periodum, ut evenit in fermentatione, & efferveſcentiâ ſanguinis, differt tamen febris à ſimplici ſanguinis fermentatione procedens ab eâ, quæ à ſero urinario ſanguini commiſto excitatur, nàm hæc utplurimùm malum morem ſapit, & pravis comitatur ſymptomatibus

matibus ob ſalium ætherogeneorum fermentationem, quæ in ſero urinæ deliteſcunt; illa verò ſymptomatibus caret, & in ſalutem utplurimum terminat, ut infrà notabimus, ubi de utriuſque ſignis, & curatione verba faciemus.

CAPUT XVII.

Quomodò liquor felleus in folliculo contentus eſſe poſſit cauſa occaſionalis febrium, & quarum?

FElleus liquor in parenchymate hepatis ſeparatur à ſanguine, qui per venam portæ in ipſum hepar aſcendit, munus hujus ſeparationis conceſſum eſt poro bilario, qui per hepatis ſubſtantiam multiplici ſurculorum ſobole diſtributus humorem illum educit, & in inteſtinum duodenum poſt inſertionem cum ductu cyſtico ad neceſſarios naturæ uſus evomit. Liquor iſte felleus vehementiſſimos continet ſpiritus, qui ſi fermentationis motum concipiant, totam maſſam in vehementem efferveſcentiam concitant, undè evenit, quod ex vehementi impetu tùm in hepar ipſum regurgitat, tùm in inteſtinum, & ventriculum præter modum erumpit, vaſa ergò hepatica cùm impetum fermentantis bilis tolerare non poſſint, in motûs depravationem adiguntur, patiuntque, quæ de tertio in tertium, illam febrem, per acceſſiones recurrit, nàm liquor felleus eſt de ijs, quæ quamvis ſint intra corpus, intrinſeca tamen ſubſtantiæ continentium vaſorum non ſunt, cùm itàque tunicis vaſorum adhæreat, & non ſit illis intrinſecus, continuò in ijs depravatum motum concitare non poteſt, ſed uti per acceſſionem removetur, ità à lædendo deſiſtit, uſque dùm per novam ſuam approximationem iterùm per motûs depravationem concitetur; ubi notare debemus, quod tàm in hepate ab efferveſcentiâ bilis, quàm in liene ob depravationem attractæ humiditatis à ventriculo, quia ſanguinea ſunt viſcera, ab excitatis in ipſis intermittentibus febribus non facilis eſt tranſitus in continuas, ut evenit in alijs corporis partibus exanguibus, vel pauco ſanguine irroratis, & quæ albo nutrimento gaudent; nàm ſanguis, qui eſt de naturâ balſami, à motu viſceris depravato non ità faciliter depravatur nutrimentum in alijs partibus exanguibus, undè evenit, quòd adhæreſcens dictis viſceribus occaſionalis cauſa, licèt in ijs depravatum concitet motum, quia ſanguis in ipſis ſtagnans depravationi reſiſtit, efficit, ut non producatur nova materia depravata in viſceris ſubſtantiâ, quæ continuitatis febris eſſet occaſio, ut ſupra de nutrimenti depravatione latè diſſervimus.

CAPUT XVIII.

Quomodò aqua pericardii poſſit eſſe febrium occaſio, & quarum?

AQua pericardij non ſecus ac bilis in felleo folliculo continuò abſumitur, & reproducitur; indigebat cor ad motûs perennitatem exercendum vaporoſâ quadam humiditate, quæ ejus æſtum temperaret, hoc munus æquabiliter ab aquâ pericardij com-

complétur, quæ à ſubſtantiâ fibrarum ipſius pericardij continuò in ipſum deſtillat, & continuò ab ipſo cordis calore abſumitur, hæc aqua à vehementiſſimis animi perturbationibus eo ſuo ſtatu naturali immutatur, emittitque cor verſus ſuos halitus, qui ipſum vehementer lædunt, illius motum depravant, & febrem in eo accendunt continuam, puſillam, & uniformem, mali moris, & malignitatis participem; quippè vires languent, pulſus inæquales, & intermittentes ſunt, æger frequentibus defectibus, & lipothymijs corripitur, faciliter in delirium incidit, & ſpirandi difficultate laborat. Difficilis eſt talium febrium curatio, & raró ab ipſis liberantur infirmi; quippè remedijs in pericardium undequáque præcluſus eſt aditus, & neque ſanguinis miſſione, neque purgante medicamento hujuſmodi febres remitti poſſunt.

CAPUT XIX.

Quomodò enumeratæ cauſæ occaſionales, in diverſis corporis partibus degenerationem, & indolem præter naturam nactæ, depravent cordis motum, & quamvis in certo corporis loco degenerent, morbum tàm univerſalem producant?

Cauſa occaſionalis febrium omnium, à qua immediatè depravatur continentium eam partium motus in ipsâ cordis ſubſtantiâ, vel in ejus ventriculis coadunari, vel produci non poteſt, nàm in viſcere tàm nobili, à quo omnis viventis motus naturalis dependet, mortale illicò eſſet, quicquid præter naturam conſtanter in eo perſeveraret, quod etiam ab antiquis medicinæ patribus, & à medicis omnibus cognitum fuit: Cùm itáque cordis motus, & ejus actio depravari debeat, ut morbus univerſalis, qualis eſt febris, produci poſſit, operæ pretium erit inveſtigare, quo pacto lædatur cordis motus, ponaturque in calefacto eſſe, ut vulgares aſſerunt; à cauſis occaſionalibus alibi in corporis partibus à corde remotis exiſtentibus. Myſterium hoc altiùs latet in naturæ penetralibus, nec facile hactenùs fuit in veritatis ſignum collimare.

Communis, magiſque recepta ſententia ab hac difficultate ſe extricat, aſſerendo elevari ab humoribus putreſcentibus, vel putridis ubique corporis id patientibus vapores verſus cor etiam putreſcentes, vel putridos, quorum acceſſu laceſſitum cor calidam acquirit intemperiem, & ponitur in calefacto eſſe; verùm qui ſic difficultatem ſolvunt, oſtendere deberent, per quas vias à panaritio, in extremo digito febrem excitare aſcendant putridi vapores ad cor? Quomodò vapor extra thoracem excitatus thoracis cavitatem ingrediatur, ut ad cordis locum ab illis inveniatur aditus? Atque eſtò per falſi ſuppoſitionem vapores putridos thoracis cavitatem ingredi, quo ſanè pacto pericardij membranam penetrabunt, ut ad cor accedant, cùm cor in pericardio, tanquàm in ſuâ capſulâ undequáque maneat clauſum? Rude nimiùm eſt inventum hoc vaporum pro tanto ſolvendo dubio, nec cum rei veritate congruentiam ullam habet, attamen creduli homines, quibus quicquid

quid propinatur, diglutiunt, hanc ſententiam veluti continentem veritatem irrefragabilem recepêre, ſubque eodem ſacramento eam tyronibus inſinuant, adimuntque illis inveſtigandi libertatem, ijs pro vero irrefragabili venumdando id, quod neque remotiſſimè cum rei veritate congruentiam habet.

Alij ſanioris judicij èxiſtimârunt à loco, in quo putreſcit humor pro febris excitatione per partem poſt partem continuari uſque ad cor putreſcentis humoris quædam qualitas, quæ ſimul atque cor attingit, illud intemperat ad calidum; Verùm ſi hæc ſententia locum haberet, illius qualitatis tranſitus per ſanguinis maſſam fieri deberet, cùm ad cor nihil accedat præter ſanguinem, & vaſa; quæ cum ipſo ſunt continua, qualitas ergò illa in ſanguinem recepta à ſanguine vinceretur potiùs, quam illum vinceret, priuſquàm ad cor accederet, quippè qualitas illa vel ex primis erit, vel ex ſecundis; ſi ex primis, ſitque illa calida, humida, frigida, vel ſicca, ſanguini potiùs talis qualitas imprimeretur, quàm ad cor accederet; ſi verò eſſet ex ſecundis, eò magis in ſanguinem reciperetur: Undè ſequeretur, quòd ſanguis ob receptam quandam qualitatem à materiâ, quæ in aliquo loco putreſcit, lædit cor, dùm ad ipſum accedit, quòd ſi ità rem intelligerent, noſtræ favent ſententiæ, quæ in circuitu ſanguinis firmata ipſum ſenſum judicem habet.

Quo pacto ergò ipſum ſenſum judicem habeat noſtra ſententia, de motu cordis aliqua ſugerere priùs convenit: Motus cordis à naturâ non eſt inſtitutus ad cordis conſervationem; nàm quò ad ſe attinet, magis præſtaret, ut quieſceret, motus itáque cordis ordinatus eſt ad totius corporis vitalitatem, nàm cùm vita conſiſtat in motu, & calore, qui etiam motus eſt, neceſſe erat, ut in corde veluti à primo movente motu cieretur id, quod toti corpori motum, & calorem impertire debebat; Id quod toti corpori calorem & motum impertit, ſanguis eſt, deficiente enim in corpore ſanguine, motus, calor, & vita etiam deficiunt: ergò cor per ſuum motum ſanguini motum conferre debebat, ut per illius effuſionem in univerſum corpus vitalitatem impertiret; ad hunc finem ipſum natura duo vaſorum genera cordis baſi affixit, quæ per univerſum corpus diſtribuuntur, venam ſcilicèt, & arteriam, ſancivitque, ut jàm experientiâ conſtat, ut venæ omnes ſanguinem ab omnibus corporis partibus emungerent, & in dextrum cordis ventriculum per earum magnum truncum eveherent, & ut truncus magnæ arteriæ à ſiniſtro ipſius cordis ventriculo venoſum ſanguinem ab ipſo corde elaboratum reciperet, & per minores ramos in univerſum corpus effunderet.

His poſitis, quæ ad ipſum ſenſum patent, ſequimur, quòd adhoc ut ſanguis à dextro ventriculo exprimeretur in ſiniſtrum, & deindè in arteriam, neceſſarium erat, ut cor moveretur motu quodam æquabili, & perenni, qualem obſervamus eſſe illum ſyſtoles, & diaſtoles, quo cor exercetur in animali integrè ſano, & à cujus rithmo pendet accedentis, receden-

cedentiſque ſanguinis motus, qui ab illo motu, quem illi cor impertit, non exorbitat, ſed proportionaliter ad motum cordis reſpondet ſanguinis motus, ſcilicèt quòd ſanguis appellit ad cor per venam pro diſpoſitione motus cordis, non autem per præcipitem quendam, & inordinatum affluxum; & è ſiniſtro ventriculo effunditur in arteriam etiam pro ejuſdem cordis ordinato motu, tùm in ratione temporis, tùm in ratione quantitatis, itâ ut concipiatis in animali in integrâ ſanitate conſtituto ſanguinem recipi in cor per venam, & effundi per cor in arteriam ſecundum imperium motûs ejuſdem cordis, non autem ſecundum ipſius ſanguinis quantitatem, vel affluxûs celeritatem, & ut paucis dicamus verbis, in animali ſano ſanguis paret motui cordis, non autem cor paret motui ſanguinis.

Præterea notandum eſt, quòd ſanguis, cùm æthereæ ſit ſubſtantiæ, claudatque in ſe ipſo ſpirituum faciliter mobilium copiam, ex levi quavis causâ excitante ſuos ſpiritus, in fermentationem adigitur, quæ efficit, tùm ut citatiori motu feratur, tùm etiam ut quam maximè rareſcat, exigatque duplum, triplumvè ſpatij pluſquàm ante fermentationem exigebat, itâ ut vaſa diſtendi cogantur, ut illum capiant, ut fermentanti muſto eſt omnibus obvium.

Demum eſt hîc adnectendum, quòd à nemine in dubium vertitur, ſcilicèt quòd unaquæque pars corporis vel in ſe, vel circa ſe ſurculos habeat ſaltem capillares tùm venoſos, tùm arterioſos, & quòd fibræ cujuſcumque partis depravatè moveri non poſſint, quin ſimul venulæ, & arteriolæ per ipſas diſtributæ depravatè non moveantur, & ipſæ contentum ſanguinem depravatè non moveant.

His itâ ſuppoſitis devenimus ad demonſtrationem, quæ nos luculenter docebit modum, quo à causâ occaſionali in aliquâ corporis parte degeneratâ cordis motus depravatur ad univerſalis morbis productionem.

Excitatur in extremo digiti alicujus panaritium à nutrimento ipſius digiti degenerato, jàm extremi illius digiti partes omnes depravatè moventur, & cùm inter particulas ipſius extremi digiti venæ, & arteriæ enumerentur, has quoque depravatè moveri neceſſe eſt, & continuò ſanguis, quem continet, depravatè movebitur, motus depravatus in ſanguine aliud non eſt, niſi ipſius fermentatio, quæ tres effectus ſimul, & ſemel in ipſo ſanguine producit. Primus eſt, ut celeriùs moveatur; Secundus eſt, ut majus ſpatium occupet; Tertius, ut ſucceſſivè tota ſanguinis maſſa eandem fermentationem patiatur, ut in panificio obſervamus, in quo parum fermenti integram maſſæ molem ad fermenteſcendum ſollicitat.

Ergò fermenteſcente ſanguine in venis, & arteriis per digiti extremum diſtributis ob productum panaritium, primò citatior fit motus ſanguinis venoſi, & arterioſi, ſecundò ob utriuſque rarefactionem vaſa diſtenduntur, fitque ejus regurgitatio quorſùm amplior eſt vaſorum capacitas, tertiò tota ſanguinis maſſa ob excitatam fermentationem ad fermenteſcendum adigitur.

His poſitis effectibus în ſanguine, jàm contrarium experimur id, quod in animali integrè ſano evenire dixi-

mus, motum ſcilicèt ſanguinis regi, & gubernari à motu cordis, nàm fermenteſcens ſanguis, & citatiori motu agitatus, rarefactuſque in vaſis non ſolùm motui cordis non paret, ſed motus cordis à ſuis motibus dependet, fitque celerior, inæqualior, remiſſior, vehementior pro conditione impetûs ſanguinis, ejuſque fermentationis; Enimverò ſanguis, qui per venas in ſano animali placidè verſus cor movetur, arrepto fermento à causâ occaſionali in aliquâ corporis parte exiſtente vehementiſſimo motu, & magis rarefactus ad cor fertur: urgetque illud, ut ſibi tranſitum præſtet; ex alterâ parte ſanguis arterialis, qui ob ſuam tenuitatem à causâ occaſionali in vehementiorem fermentationem adigitur, rareſcitque magis quàm ſanguis venoſus, & ab arteriæ ſubſtantiâ venâ craſſiori locum ampliorem non exigit, à parvis arteriis in aortam, & verſus cor regurgitare cogitur, retruditque in ſiniſtrum ventriculum advenientem ſanguinem. Imaginamini nunc qualis ſit cordis ſtatus in eo caſu, quo ſanguis per venas in ipſum magno impetu allabitur, & ſanguis arterialis verſus ſiniſtrum ventriculum regurgitans, impedit, ne ſanguis venoſus transfundatur, abſque dubio ſuadere vobis poteſtis cor in illis anguſtiis vehementiùs agitari, celeriùs, inæqualiùſque moveri, excandeſcere, inflammari, œconomiam ſubvertere, & ea omnia efficere, quæ in magnis febribus obſervare ſolemus; felix itàque qui remedium comparavit, quo cauſam occaſionalem à loco efficacitèr reſolvat, & ſanguinis fermentationem inhibeat, nàm completum habebit medicamen pro omnibus febribus quæ curationem admittunt, quippè ubi coctionis tempus in febribus expectatu pro maturæ victoriâ, rarus erit felix eventus, nàm pejora ſunt, quæ in univerſo corpore à depravato cordis motu ſucceſſivè producuntur, quàm prima cauſa occaſionalis, à qua motûs cordis depravatio originem duxit.

Concludimus igitur in febribus quibuſcumque & cujuſcumque ſpeciei motum depravari in corde à ſanguine fermenteſcente, qui per venas nimio impetu cor allabens, & per arterias verſus ipſum cor regurgitans, cordis, quod in medio urgetur, œconomiam ſubvertit, motumque depravat, à quo æſtus febriles producuntur.

Ubi notandum eſt, quòd ſanguinis fermentatio pendet à motu cauſæ occaſionalis in aliquâ corporis parte exiſtentis, nàm augetur fermentatio ſanguinis, cùm cauſa occaſionalis vehementer movet, & cùm hujus motus remittitur, remittitur quoque fermentatio, & ſi illa omninò à movendo ceſſat, & omninò in ſanguine fermentatio, & ex hoc dependent acceſſionum tempora, quæ in febribus obſervantur, principium ſcilicèt, augmentum, ſtatus, & declinatio; enimverò ſollicitata natura à causâ occaſionali, licèt ejus motus ab illâ depraventur, ſemper tamen intendit illam removere à ſe, vel reſolvere, vel conſumere, at cùm ad id peragendum inſurgit, quodammodò pigrè procedit, nàm proximum onus lædentis materiæ non ſinit naturam vehementer movere, imò quodammodò veluti timore quodam perculſa, in primo illo

lo inſultù trepidat, & languet, & per conſequens ſanguis motum etiam languidum reddit, inſolitâque novitate languet etiam cor, contrahuntur pulſus, friget corpus, totumque mutatur, & tunc acceſſionis principium dicitur; paulatim deindè audentior fit natura, & omnibus ſuis viribus ad pugnam inſurgit, vehementiſſimè ſe movet, excandeſcit, furit, univerſumque corpus ſummoperè agitat; tunc ſanguis eoſdem motus vehementes patitur, & cor vehementer urget, producitur que tunc acceſſionis majus incrementum. Intereà cauſa occaſionalis per dictum vehementem naturæ motum à partibus, quibus infixa erat, abſcendere incipit, & natura ſuos motus ulteriùs non intendit, ſed ſiſtit, eſtque tunc acceſſionis ſtatus. Demùm cùm natura paulatim animadvertat cauſam occaſionalem aliquantulùm ſe retraxiſſe, paulatim etiam ſe ad quietem componit, ad quam etiam ſe componit ſanguis, & ſucceſſivè cor, obſervaturque tunc acceſſionis declinatio.

Sanguis ergò in venis, & arteriis eodem modo ſe habet ad cauſam occaſionalem, quò ſe habet olla aquâ plena ad accenſas circa ſe prunas, eò enim uſque in ollâ aqua fervet, quouſque prunæ circa eam fervorem concitant, ſed ſi vel prunæ removeantur, vel paulatim reducantur in cinerem, ceſſat etiam fervor aquæ in ollâ contentæ, reduciturque aqua ad temperiem ambientis aëris: Ità à pari materia degenerata in aliquâ corporis parte ſe habet velut pruna quædam, quæ fervorem in ſanguine concitat; ſed ſi materia degenerata vel removeatur à partibus, quibus vel adhæret, vel eſt infixa, vel reſolvatur, vel omninò abſtergatur, ſanguis venarum, & arteriarum extemplò reducitur ad temperiem naturalis ſui ſtatûs, ceſſatque urgere, cor, & ceſſat per conſequens febris.

CAPUT XX.

Periodorum in Febribus cauſa inveſtigatur.

FEbres omnes ſive intermittant, ſive ſint continuæ, earum acceſſionum certa obſervatur periodus, viginti quatuor horarum ſpatio quælibet terminatur acceſſio, ſive intermittat deindè febris, ſive alia ſubintret acceſſio; poteſt quidèm viginti trium horarum eſſe acceſſio ob parvitatem materiæ occaſionalis, ſed ſpatium viginti quatuor horarum nunquàm tranſcendit, præterquàm in ſynochis, in quibus ratione circuitûs ſanguinis perſeverat acceſſio uſque dùm ſanguinis fervor perſeverat.

Hujuſmodi cauſa inter occultas habetur apud medicos, & licèt humorum quaternario acceſſionum recurſum refundant, inſulsè tamen ſatisfacere annituntur, ipſarum acceſſionum tamen periodo dignam plures hactenùs non invenêre cauſam.

Nos, ut promptiùs ad rei veritatem accedamus, ea repetere cogimur, quæ in principio hujus libri tradidimus; demonſtravimus enim ibi cauſam efficientem morborum in vivente eſſe viventis naturam, ſive principium motûs in corpore latens; humores verò putridos, vel putreſcentes, ut cum communibus Scholaſti-

cis loquamur, ſive materiam aliquam præter naturam in corpore exiſtentem, eſſe meras occaſiones, propter quas natura viventis ad depravatos, inordinatoſque motus adigitur: hoc ſuppoſito, quòd ſuprà luculentiſſimè demonſtravimus, ſciendum eſt, quòd agentia naturalia infinitæ non ſunt virtutis, ſed agendo laxantur, nec eorum actio uniformis eſſe poteſt, & ejuſdem ſemper tenoris, nàm eâdem ratione, qua agendo vires intendunt, eâdem ſanè ab agendo declinare coguntur, quod non ſolùm in agentibus merè naturalibus verum eſt, ſed etiam in ijs, quæ arbitrio prædita liberè in aliquam actionem feruntur, ut in nobis experimur.

Præterea ſciendum etiam eſt, quòd cùm verum ſit id, quod *Ariſtoteles* protulit, *moveri* ſcilicèt *ab alio, quicquid movetur*, cùm viventium corpora moventur, ea ab alio moveri neceſſe eſt, ut ſi dicamus à naturâ eorum ea moveri; remanet, ut inveſtigemus, quid ſit illud in univerſo, quòd viventium naturam movet, hoc enim cognito, facile erit, ut quoque innoteſcat ratio motuum periodicorum, quos in orbe evenire conſpicimus. Nos nobis ſuademus ſolem eſſe, qui motionum totius univerſi regit habenas, & quòd ab ejus motu agentia omnia naturalia normam modumque ſuarum motionum ſuſcipiunt; nec id ſuadere erit quidquam à veritate alienum, cùm conſtet ex acceſſu, & receſſu ſolis ab hujus regionibus omnia in ijſdem immutari, omniaque ſolis revolutiones ſequi, quando quidèm id, quod in rebus naturam, & motûs principium vocamus de naturâ lucis ſolaris fortaſsè erit, & eundem ſervat in movendo ſuum corpus tenorem, ac ſervat Sol in regimine univerſi.

Sol ergò viginti quatuor horarum ſpatio univerſum circuit orbem, imminente ejus ortu, crepuſcula producuntur, & aër contrahitur, diciturque tunc diurni ſui motûs initium, poſt ejus ortum verſus medium Cœlum aſcendit, producitque tunc ſui motûs, & caloris in univerſo incrementum, quod tribus horis ante meridiem, tribuſque poſt, veluti in uniformi caloris diffuſione ſiſtit, declinat poſteà paulatim in occaſum, declinatque in orbe calor, tepeſcitque ferè omninò, cùm ſub terrâ circa mediam noctem nos integrâ quiete relinquit. Itàque Sol macrocoſmi vita, ejuſque principium motûs viginti quatuor horarum ſpatio ſuam terminat periodum cum diſtinctione temporum, principij ſcilicèt, incrementi, ſtatûs, & declinationis, quibus diverſimode calor in ipſo excitat macrocoſmo; enimverò tribus horis ante ſuum ortum initium ſupponitur, quo in noſtrum emiſphærium agere incipit, illudque durat uſque ad tertiam horam poſt ſuum ortum, in qua incipit ſuum caloris incrementum, quod in meridiem uſque ſemper augetur, ſiſtit tunc in eodem gradu uſque ad horam tertiam ante ſuum occaſum, in qua declinare incipit, declinatque ſemper uſque ad horam tertiam ante mediam noctem, tribus deindè reliquis horis poſt illam declinatio ad integram quietem ſe componit; in hoc eſt notandum, quòd ſtatus ſemper de incremento, & declinatione participat, nec poſſunt agentia naturalia in medio duorum

extre-

extremorum longo tempore ſiſtere, quin ad utrumque non inclinet.

Cùm ergò animale corpus microcoſmi nomine ſit inſignitum, ex eo quòd quicquid eſt in macrocoſmo, in eo eſt contractum, & breviatum principium caloris, & motûs in eo ſe habet tanquàm ſol in magno mundo ſpatio viginti quatuor horarum ſuorum motuum periodos complens; itáque exiſtente in corpore materiâ aliquâ præter naturam id, quod eſt natura in vivente, ejuſque motûs principium agere in illam incipit, deindè ſuas vires, quoad poteſt, excitat, ſiſtit deindè in illo majori ſuo impetu, & ab actione paulatim declinare incipit, in qua declinatione, ſi victam omninò materiam agnoſcat, ad omnimodam quietem ſe componit; ſi verò perſeverat, denuò ad agendum accingitur, eundemque agendi modum proſequitur, quam doctrinam ex uno tantùm hoc exemplo veram eſſe vobis ſuadere poteſtis, quòd ſi homo quilibet poſt neceſſarij cibi aſſumptionem aliquem corporalem laborem incipiat, per duas, treſve horas ob cibi pondus in ventriculo pigrè ſe exercebit, vires deindè acquirendo, per ſex, aut octo alias horas alacriùs, ac vehementiùs laborem proſequetur, ſiſtet deindè aliquantulùm in vehementi illo labore, ac laxus jàm à vehementiâ declinabit, demùm omninò reſoluto ab ingeſtis cibis recepto vigore, intra viginti quatuor horarum periodum, velit nolit, à labore ceſſabit, quem reſumere poterit, ſi recenti cibo recreetur, motus ergò vitæ animalium diuturnus non eſt; egetque recenti motûs causâ poſt viginti quatuor horas, ut recentem motum inſtituat, aliàs in totalem quietem, quæ mors eſt, properabit.

Cæterùm quid ſit in causâ, quòd aliquandò immediatè poſt viginti quatuor horas in fine declinationis unius acceſſionis alia ſuum initium nanciſcatur, aliquandò poſt quietem unius acceſſionis viginti quatuor horæ intercedant, priuſquàm ſentiatur alterius initium, ut in tertianis; aliquandò tandèm quadraginta octo horæ quietis habeantur, ut in quartanis, licèt in ſuperioribus capitibus aliquid tetigerimus, quòd id quodammodò inſinuavimus; luculentiùs hîc arcanam hanc in naturâ cauſam patefaciemus.

Materia degenerata occaſionalis vel adhæreſcit tantùm ſuperficiei partis, in qua exiſtit, vel in intimam ejus partis ſubſtantiam eſt infixa.

Si adhæreſcat tantùm, eſt iterùm diſtinguendum, vel enim pars, cui adhæreſcit, ſanguinem intra ſe habet, vel exanguis eſt, ex albis tantùm fibris conſtans.

Si ſanguinem intra ſe habet, uti ſunt venæ, arteriæ, hepatis, & lienis parenchymata, vel tertianam, vel quartanam febrem concitabit; tertianam, ſi in venis, vel hepatis parenchymati adhæreſcat; quartanam verò, ſi in arterijs, vel lieni.

Si verò exangui parti materia degenerata adhæreſcat, viginti quatuor ſingulis horis excitabit recentis acceſſionis initium, recurrentque diebus accessiones uſque ad totalem occaſionalis materiæ conſuptionem, & id etiam diſtinguendum eſt; vel enim nutrimentum partis, cui materia occaſionalis adhæreſcit ſuam ſervat temperiem in acceſſionum recurſibus,

bus, & tunc typum duplicis tertianæ, ut medici dicunt, ſervabit, ſivè ſecundum Galenum typum febris continuæ abſque accidentibus, & ſymptomatum pravitate; At ſi per acceſſionum recurſum nutrimentum partis, cui materia occaſionalis adhæreſcit, ſuam temperiem amittit, fitque ipſum quoque degener, tunc continuam excitabit febrem varijs accidentibus, & ſymptomatum pravitate formidabilem, quamque malignam, licèt abuſivè, appellitent medici.

Hujuſmodi etiam febrem excitabit materia occaſionalis, ſi non adhæreſcat parti, ſed illa ſit infixa; nàm id, quod infixum, & intrinſecum eſt partibus, ipſum eſt earum nutrimentum, quod vel proprio motu depravetur, & degener fiat, vel à materia adhæreſcente in ſui depravationem adigitur, id per accidens eſt, at de eſſentiâ nutrimenti degenerati quomodocumque eſt, ſemper continuam producere febrem cum ſymptomatum pravitate.

Eſt nunc reddenda ratio, cur partibus exanguibus adhærens materia degenerata quotidiè acceſſionem excitet? Cur eadem venis, & hepati infeſta tertio quoque die recurrens acceſſionem faciat? Cur denique eadem arterias, & lienem contactu lædens, quartanam excitet febrem?

Id ut in apertum veniat, repetere eſt operæ pretium, quòd partes exangues à nutrimento vix à cibo ſeparato irrorentur, quod adhuc ætherogeneitatem ſapit, nec ſalis volatilis indolem acquiſivit, hinc eſt, quòd à quolibet depravato fibrarum motu ipſum quoque depravatur, nàm caret eſſentiâ balſamicâ, quæ illud conſervare poſſet, licèt depravatè moverentur continentes ipſum fibræ: itáque materia ipſis exanguibus partibus adhæreſcens, tantùm abeſt, ut removeatur ab effluvijs contenti inter fibras nutrimenti, ut potiùs ipſum nutrimentum naturam ipſius materiæ degeneratæ aſſumat, tranſeatque illud ipſum in materiam occaſionalem excitatæ febris; hinc fit, ut principium motûs fibrarum illius partis ſemper circa ſe habeat cauſam depravati motûs concitativam, nàm ſi quodammodò eſſet illa, quæ primò adhærendo, tantùm depravatum motum concitavit, perſeverat altera, quæ inter fibras jàm facta eſt præter naturam, undè eſt, quòd natura completâ ſui motûs viginti quatuor horarum periodo, cùm circa ſe etiam materiam degeneratam ſentiat, iterùm contra illam movere incipiat, & ſic quotidiè proſequitur, uſque dùm vel ſuperans, vel ſuperata, vel ad naturalem ſuum motum ſe componat, vel omninò à movendo ceſſat per mortem.

At ſanguis cùm balſami eſſentiam à corde per circuitum ſit nactus, habeatque ſalis volatilis naturam, ità ut degenerare à ſuâ indole non poſſit, niſi per totalem ceſſationem à motu, cùm in grumum concreſcit; vaſis, quibus continetur, & parenchymatibus, in quibus eſt undequáque diffuſus, ſuum quoque balſamum impertit, & licèt in vaſis ipſis, & parenchymatibus materia aliqua degenerata adhærens depravatum concitat motum, efficere tamen non poteſt, ut contentus ſanguis à ſuâ indole degeneret; undè fit, quòd remotâ materiâ adhæreſcente per motum unius acceſſionis, nihil

nihil remanet, quod iterùm immediatè ipſam naturam concitare ad motum poſſit, ac propterea ad naturalem ſuum motum ſe componit, uſque dùm remota à ſe materia iterùm approximetur, itémque ad motum illam provocet.

At ſanguis venoſus, quo etiam hepar turgeſcit, quia ſpiritu à corde elaborato caret, vix per viginti quatuor horas ſuo balſamo continentes eum partes à materiæ degeneratæ inſolentiâ perſeverat, approximetur iterum intereà, & iterum ad pugnam naturam provocat, & ſic de terio in tertium.

Sanguis verò arterialis, quia totus balſamus eſt, & maximam habet ſalis volatilis copiam, quo etiam lien gaudet per vigintiquatuor horas à continentibus eum vaſis remotam eam cauſſam occaſionalem iterùm approximari non ſinit, quo intervallo paulatim ſe inſinuans, iterùm adhæreſcit, & occaſio recurrit de quarto in quartum.

CAPUT XXI.

De ijs, quæ medicus attentè animadvertere debet in febrium quarumcumque curatione ſuſcipiendâ.

NUlla occaſio per ſe eſt ſufficiens ad febrium excitationem, ſed ut optimè notavit *Gal. lib. 2. de diff. febrium*, requiritur etiam patientis diſpoſitio, aliàs omnes à crapulâ ægrotarent, omnes in peſte interirent, quòd falſum eſt. Imô multoties ad febrium motem magis concurrit patientis diſpoſitio, quàm occaſio, quæ licèt levis, cùm corpus malè diſpoſitum reperiat, lethalem producere poteſt febrem.

Notandum eſt itaque quòd in corporibus viventium diſpoſitiones pro magnis morbis rarò, fereque nunnunquàm ex improviſo producuntur, ſed ſemper ſenſim, & temporis progreſſu, toleratque, quò ad poteſt, natura id, quod ſucceſſivè in corpore advenit contra ſuum inſtitutum, & propter vires ſuæ activitatis: Intereà laſſatur, ſemper contrahitque ignaviam, qua quicquid agit, imperfectè agit, & in ſuis motibus veluti languet, undè ſcriptum legimus apud *Hippocratem*: *Spontaneæ laſſitudines morbos prænunciant*, per longum ergò tempus ità fatigata natura ex ſupervenienti levi aliquâ occaſione, in peſſimi moris febrem prorumpet, quæ ſi ex levitate occaſionis tantùm menſuretur à medico, parvi momenti exiſtimabitur. Diſpoſitiones patientis, quæ febris initium præceſſêre, ex ante actâ infirmi vitâ accuratè medicus cognoſcere debet, ut legitimum ferre poſſit de morbo judicium, ut opportunè laboranti naturæ medicaminibus opitulari. Occaſiones, quibus malæ diſpoſitiones pro magnis febribus in corporibus producuntur, multæ eſſe poſſunt, eas ad quinque tamen veluti ad principaliores reducuntur, ad exceſſus quotidianos tùm in cibis, tùm in potu; ad labores corporis aſſiduos ſuprà quàm à viribus tolerari poſſunt; ad exceſſus repentinos frigoris, & caloris, ſi ijs multoties corpus corripiatur; ad exceſſus Venereos, & ad animi vehementiſſimas agitationes; addi poteſt his epidemica conſtitutio, quæ non corpora particu-

ticularia, ſed omnes viventes reſpicit.

Hæ occaſiones ſi pér aliquod notabile tempus in corpore febre correpto præceſſerunt, diſpoſitiones in illo produxêre, quæ ex leni quadam recenti occaſione in febrem properant, qua ſemper mortis periculum comitatur, nàm quod magis natura ſe ſuſtinuit in præcedentium occaſionum procellis, eò magis omnibus laxatis habenis in incipientem morbum præceps illabitur, & in ſui confuſionem magis intenditur.

Diſcite hinc, dùm ad ægrum acceditis vos curioſos eſſe debere in inveſtigandis ijs exceſſibus, qui ægritudinem præceſſêre, nàm pro magnitudine, & temporis longitudine judicium ſalutis, vel mortis facile erit in medium proferre; prætereà neque prodeſt ægri aſſuetudo in ijs exercendis exceſſibus, nàm aſſuetudo facit, ut non ità celeriter morbi diſpoſitiones producantur, ſed poſtquàm morbus advenit, tantùm abeſt, ut aſſuetudo in exceſſibus fauſtum judicium arguat, ut potiùs illud in deterius inclinare faciat, natura enim aſſueta quoties laſſatur, ſuarum virium omnimodam jacturam eam feciſſe oſtendit.

Prætereà ſciſcitari medicus debet, an ſolitus ſit infirmus magnos evadere morbos, nàm ſi aliàs illos evaſit, ſpes aliqua ſupereſt præſentem etiam evadendi; contrà verò ſi patientis ægri natura nunquàm magnos morbos paſſa ſit, facile erit, ut illo adveniente ſuccumbat, & ſæpè evenit, ut ij, qui nunquàm infirmati ſunt, à primo vehementi morbo in vitæ diſcrimen adducantur.

Tandèm rem ſanè paradoxicam vobis animadvertendam proponimus, quam Hippocrates memoriæ prodidit, & nos eventibus quamplurimis verum eſſe didicimus, ſcilicèt maximum ægrorum virium robur in febribus pravi moris non ſolùm ſalutis ſecuritatem non præſeferre, ſed ſuſpectiſſimum eſſe de mortis periculo; contrà verò, qui graciles ſunt, & chronicis aliquibus morbis ſunt obnoxij, ſi à febre mali moris corripiantur, quamvis omninò tuti de eorum ſalute eſſe non poſſint, utplurimùm tamen mortis periculum evadunt, dummodò ſenectus hujuſmodi ægrotos non comitetur, & ratio eſt, quia quò valentior, atque robuſtior eſt natura, eò vehementiùs à causâ occaſionali pravæ qualitatis in inordinationem ſuorum motuum adigitur, & univerſam corporis œconomiam ità ſubvertit, ut difficilis, ferèque impoſſibilis ſit ejus ad priſtinum ſalutis ſtatum ejus reſtitutio; in ijs verò, in quibus non adeò elata, ſed remiſſior eſt natura, & tolerandis morbis aſſueta à materiâ occaſionali concitatæ febris non adeò abhorrèt, nec ob ſui tenuitatem in vehementes furores adigitur, ac prophereà facilior eſt ejus ad naturalem ſtatum reductio.

CAPUT XXII.

De Curatione Febrium, quæ à cibis, & potu quantitate, vel qualitate peccantibus excitantur.

Cibus, & potus adeò ad tuendam vitam neceſſarij ſunt tàm ſanis, quàm ægris, ut ſine ipſis diutiùs vivi non

non poſſit; partes enim tàm continentes, contentæ, quàm impetum facientes, quæ continuò abſumuntur, eorum debitâ quantitate, & qualitate reparentur oportet: Si verò in his peccent, alius exitus vix eſſe poteſt, quàm cruditas, anorexia, lienteria, diarrhœa, cachexia, hydrops, innumeraque alia mala, vel mortis occaſio, vel huic intemperantiæ febris accedit, de qua in præſenti agimus.

Signa.

Signa, quæ hujuſmodi febrem comitantur uno, atque altero die, ſunt urinæ aqueæ, capitis dolor, lingua alba limo obducta, & amarulenta, ructus acidi, vel nidoroſi, renum, & lumborum dolor, inappetentia, calor moderatus, pulſus celeres, & languidi, & febris initium cum horripilatione.

Cauſæ Occaſionales.

Siquis febre correptus medicum accerſit, illique referat ſe prætérquamquòd multùm comedit, & bibit, vel cibos mali ſucci ingeſſit, nullam aliam febri dediſſe occaſionem, à cibo, & potu ſuperfluo, vel ab eorum pravâ qualitate originem duxiſſe febrem credendum eſt.

Prognoſis.

Si vomitu ſpontaneo, diarrhœâ, urinæ profluvio infirmus exoneretur ante ſecundam acceſſionem, licèt vehemens fuerit primus paroxyſmus, altero die immunis erit à febre. Si dictis evacuationibus non exoneretur infirmus, & altero die acceſſio non ſuperveniat, licèt prima acceſſio ad integram infebricitationem non devenerit, quarto die immunis erit à febre, ſi iterùm in victu non erraverit. At ſi dictis evacuationibus non exoneretur infirmus, & altero die novâ corripiatur febre, jàm continua facta eſt febris, quam prava ſymptomata comitabuntur, & vitæ diſcrimen; nàm novæ febris acceſſio ſecundo die certiſſimum eſt argumentum nutrimentum inter fibras ventriculi diſperſum eſſe degeneratum ob depravatum ipſarum fibrarum motum à lædente ingeſtorum vel quantitate, vel qualitate; Si hoc modo res evenerit, inſtituenda erit curatio, quam paulo pòſt trademus, cùm de febribus à nutrimento degenerato concitatis verba faciemus.

Curatio.

Si prima die, & in primâ acceſſione ſit vocatus medicus, & inveniat ægrotum adhùc ingeſtorum ſarcinam in ventriculo ſentientem, vel acidos, vel nidoroſos ructus habentem, præſentaneo vomitu illum à febre liberare poterit, pro quo

℞. *Vitrioli albi* ʒß.
fiat pulvis,
& exibeatur in aquâ menthæ, vel hordei, vel in alicujus ſyrupi cochleare.

Vel

℞. *Aceti ſcillitici,*
Syr. de cort. citri ana ℥j, *m.*
& ægroto propina.

Vel

℞. *Aquæ ferventis* ℥ij.
injiciatur in has
fol. tabaci Braſilienſis ʒj.

ſtent ſimul per horæ quadrantem, deindè aqua à folijs ſeparetur, & infirmo exhibeatur.

Vel exhiberi poteſt *Aqua Æſculapii*, cujus conficiendi ratio hæc eſt:

℞. *Aceti fortiſſimi q. u.*
deſtilla in Alembico plumbeo magno, abjiciendo quartam partem aceti primò extillantis, tanquàm nimis debile, reliquum excipe ad ſiccitatem ferè totalem, cavendo tamen, ne ab aceti mellagine tetrùm acquirat odorem. Dulce eſt guſtatui, & datur ad ℥j. ij. iij. uſque ad iv.

Celebre, tutum, & omni digniſſimum laude Vomitorium eſt noſtrum *Hippocras Emeticum* in noſtrâ *Trutinâ* deſcriptum *lib. 1. cap. 2. De Apoplexiâ*, & in noſtrâ *Mantiſſâ in Armamentario Hadriani Amynſicht*, & omnibus emeticis palmam præripit, nullique comparandum, quod ad multos annos aſſervatur abſque ſuæ operationis deperditione, cuicumque ætati, & anni tempori adaptatur magno cum emolumento, undè apud noſtrates medicos in maximo uſu eſt in illis morbis, quibus emetica conducunt. Non diſplicet nobis ejus confectionem hìc repetere ad reipublicæ medicæ cultum, & proximorum utilitatem, cùm medicamentum tàm captu jucundum, & blandum, quàm palato gratum ſit, ut meritò divino Nectari poſſit, & omnibus morbis, quibus vomitoria conveniunt, eſt velut Dei manus. Compoſitio talis eſt:

℞. *Vini Græci lib.* ij.
Mercurij vitæ ʒß.
Caryophyll.
Cinnam. acuti ana ʒ.j. ß.
fiat pulvis, & inde in vas vitreum amplum, cujus orificium claude, trade igni cinerum, vel arenæ, & immediatè poſt primam ebullitionem vas aufer, & ſerva. Doſis cochlear j. vel ij. vel iij.

Hoc noſtrum Hippocras eſt mirabilium omnium maximè admirandum & inexhauſtos in ſe continet theſauros, & quamvis ex eo ſumas, ſi reaffundas, vires ejus non imminues, eſt alter *Philoſophorum Lapis*, cujus confectionem in *Mantiſſâ* tradidimus.

Verùm ad magnam ingeſtorum ſarcinam è ventriculo evomendam ſine ambagibus, & ullis ſumptibus tutiſſimum vomitorium haberi poteſt, immittendo digitum in fauces, in eiſque tamdiù titillando, donec vomitus ſequatur.

His medicamentis, ut diximus, uti debet medicus, ſi ciborum moles in ventriculo perſeveret, quod ex acidis, nidoroſiſque eructationibus conjicere poteſt; cæterum ſi de eo probabilem certitudinem non habeat, à dictis vomitivis ſe abſtinere debet, nec ulteriùs ijs afflictum laceſſere ventriculum, ſed recreare illum debet tùm externis fotibus *ex abſynthio, & menthâ calidis, & aceto inſperſis*, vel applicetur *ſacculus ex menthâ, abſynthio, & pulegio conſutus*, vel ventriculi regio inungatur *ſalsâ chymicâ*, ut:

℞. *Ol. nuc. moſch. expreſſ.* ʒij.
eſſentiæ abſynthij,
menthæ ana ℈. j. m.
quibus addi poteſt
eſſentiæ meliſſæ ℈ß.

Præ omnibus celeberrimum erit *ſcutum ſtomachicum ab Andreâ Battimelli in additione Armamentarij Hadriani Amynſicht* deſcriptum.

Tùm internis medicamentis, quibus magna ineſt vis ventriculum corroborandi, & ab ejus fibris nidorem

ſubducendi, qui febrem deindè producere poteſt, ità ſunt:

℞. *Syr. de cort. citri ℥.j.*
elixir propriet. deſtill. ℥.j ß.
ol. cinnam. gutt. j. m.

Vel

℞. *Julep. Cinnam. ℥ß.*
Syr. de cort. citri ℥.j. m.

Vel

℞. *Syr. de menthâ ʒ ij. ß.*
aquæ cinnam. ℥ß.
pulv. aromat. 205 Gabrielis ʒß. m.

Ad idem valet *ſyrupus de cinnamomo, tinctura ejuſdem, elixir Helmontianum ſtomachicum, Paracelſi, tinctura chocolatis &c.* quibus palmam præcipit *Balſamus Catholicus noſtræ deſcriptionis in Mantiſsâ apud Armentarium Amynſicht*. Credibile non eſt, quantùm hæc nobilia medicamenta affluxum à languoribus ventriculum ſublevant.

Prætereà nullo modo purgante medicamento per inferiora in hujuſmodi febre utendum eſt, niſi priùs coctionis ſigna in urinis apparuerint, ut optimè notavit *Gal. de arte curativâ ad Glauconem, & in libro quos, & quandò purgare oportet*, quod priùs ab *Hip.* fuerat inſinuatum.

Verùm ſi in primâ acceſſione febris ex ciborum plenitudine, vel qualitate eorum pravâ exortæ, ſpontaneus vomitus, diarrhœa, vel urinæ profluvium non evenerint, nec ſit medico locus movitivum medicamen exhibendi, imperatâ infirmo totali inediâ, tempus ſecundæ acceſſionis expectare oportet, quæ ſi non advenerit, ſolâ victûs ratione, & medicamentis ventriculum roborantibus, tertiâ, vel quartâ die ad integrum ſanitatem infirmum adducet.

At ſi ſecunda acceſſio ſupervenerit, accuratè debet medicus de anteactâ infirmi vitâ perquirere, nàm ſi exceſſus, vel aliquis eorum, quos ſuprà commemoravimus, per longum tempus præceſſerit, peſſimi moris febrem ſuperventuram pronunciabit, de cujus curatione pauloinfrà tractabimus; ſi verò exceſſus non præceſſerint, & ab illo præſenti errore in victu febris tantùm fuerit concitata, in bonum ceſſurum eſſe morbum pronunciabit, quòd cognoſcet à v. g. acceſſionis inſultu, nàm melior erit, quàm primæ, & tertiùs, quàm ſecundæ, & dietim omnia in meliùs abibunt, tunc apparentibus coctionis ſignis in urinâ, cum omni ſecuritate purgans medicamentum infirmo exhiberi poteſt.

CAPUT XXIII.

De Curatione febrium, quæ ex degeneratione ſeroſitatum, quæ à ventriculo per vaſa brevia à Liene alliciuntur, proveniunt.

Illius febris curationem aggredimur, quæ à ſeroſitatibus per vaſa brevia in lienem attractis geneſim agnoſcit: hæ ſeroſitates in liene adeò in excrementum Cœnoſum, craſſum, fæculentum, & terreſtre degenerant, ut lentam, & diuturnam concitent febrem, quartanam nempe, quæ *medicorum opprobrium* nominatur.

Signa.

Si homini febrilis acceſſio ſupervenerit cùm refrigeratione, horrore, pandi-

pandiculatione, oſcitatione, capitis dolore, labiorum livore, ventriculi nauſeâ, lumborum, renumque dolore, jàm quartanam adeſſe judicabis. Lenis horror primò invadit, deindè frigus totum corpus ad intima penetralia uſque perfrigerat ità ut oſſa ſtringi, & confringi videantur, omneſque artus intimè tremant, ac dentes vehementer tremebundâ colliſione concutiantur, poſtmodùm pigrè incaleſcit ægrotus, & ſequitur æſtus febrilis, mitior tamen quàm in tertianâ, inſtante autem paroxyſmi fine, ſudor acidum olens ſubſequitur, unde hac febre laborantes ob acidum illud famelici fiunt; imò & paroxyſmi die fames viget, at graviorem efficit paroxyſmum, ſi patiens tùm non abſtineat: corpus illis grave eſt, & parùm perſpirat, vires languent, & moroſi ſunt, vitam eligunt ſedentariam, ſic & magni ſputatores eſſe ſolent, pulſus ſemper eſt debilis ob impeditam ſanguinis ſpiritualcentiam. A quarto die nominatur, eo quod ſemper ab antedente paroxyſmo dies quartus paroxyſmum reducat, interpoſitis binis diebus tranquillis. Terminatio ejus longiùs protrahitur, ad viginti, nonnunquàm etiam vigintiquatuor horas, & ſic per longum tempus de quarto in quartum proſequitur. Urinæ in principio ſunt utplurimùm aquoſæ, & crudæ, procedente morbo, ſunt coloratiores, & craſſiores, febrilis locus eſt lien, undè color facilè, & oculorum plumbeus eſt, & tumor ſiniſtri hypochondrij.

Eſt quartana itidem alia ſimplex, alia compoſita. Simplex eſt, quæ, ut dictum eſt, quarto quolibet die recurrit. Compoſita eſt, quæ intermedios quoque occupat dies, eſtque vel duplex, vel triplex. Duplex dicitur, quæ unum habet diem, duoſque ſequentes affligit. Triplex eſt, in qua nullo die tranquillitas datur, ſed quotidiè novus paroxyſmus vexat.

Cauſæ Occaſionales.

Ut ſuprà notavimus ſuperfluæ ventriculi ſeroſitates à liene per vaſa brevia alliciuntur, quod ab Hippocrate fuit etiam memoriæ proditum; hæ ſeroſitates vel quantitate inſuperabiles, vel qualitate degeneres lienem vel lædunt, vel turgidum reddunt, ejuſque coctio vitiatur, & magna inibi cruditatis ſuppellex ex viſcoſis, ac lentis, ſimul tamen acidis, & malè figuratis particulis aggeritur, undè contumax, & diuturna oritur lienis obſtructio. Hinc ſanguis arterialis per ſplenicam arteriam ad lienem poſt vertiginoſos motus advectus, cœnoſus, terreſtris, effœtus, ſegnis, ac ſpiritibus depauperatus, veluti cruoris fœx, non concoquitur, nec fermentatur, undè nec ſpirituoſus, nec volatilis fit, & eſtò ſucci pancreatici, qui acidus eſt, portio aliqua ad lienem feratur, ſanguis arterioſus in liene ad fermentationem ineptus eſt, quia ſal ejus fixum in propriâ indole degener fit à limoſitate tartareâ, lentâ, tenaci, aliiſque liquaminibus viſcoſis in meatuum anguſtiis; lienis nàmque corpus ex complicatis conſtat arteriis, ac proptereà ſanguis arterialis ſpiritibus orbatus ex ſucci affluxu fermentationis motum non ſubit, & ſpirituoſus, ac volatilis non fit, nec reliquum ſanguinem volatiſat (de his vide plura *Cap. De lienis anatome*

ejuſque

ejuſque uſu,) imò ſanguini venoſo commiſtus illum deturpat, mucidum, auſterum, & ſegnem ob ſpirituum pauperiem reddit: & qui hujuſmodi affectione laborant, vulgares appellant melancholicos, & qualis humor, talis color, undè colorem fuſcum, lividum, & ſubluridum habent. Sanguis arterialis in liene effœtus ob degeneratas ſeroſitates, & ſal fixum dilutum ſucci pancreatici irroratione fermentationem non ſubit, nec volatiliſatur, undè hæ ſeroſitates terreſtres, ſalinæ, aluminoſæ, tartareæ, auſteræ, vini aceſcentis inſtar, arterioſo lienis ſanguini commiſtæ fermenteſcunt, ut febrem concitant, ac de quarto in quartum diem per acceſſiones exaltantur ob fermentationis ineptitudinem, novamque efferveſcentiam excitant.

Si ex laboribus, vel febre aliquâ vehementi, à qua convaluit, multum ſitis contraxerit homo, multumque potaverit, neque reſpondeat urinæ exitus ad potûs quantitatem, intereà rugitus in ſiniſtro hypochondrio ſentiat, lienem turgeſcere conſpiciat, jàm proximam eſſe febrem quartanam ſibi perſuadeat.

Prætereà, ſi in Lacuſtribus, paludoſiſque locis aliquis vitam ducat, aquamque bibat, vel in eâ cibos coquat, aliquâ labe pollutam obſtructionem vaſorum lienis contrahet, & ex ſeroſitatibus ibi ſtagnantibus faciliter in febrem quartanam incidet.

Demùm quiſquis in potu modum exceſſerit, illumque per urinam non reddat, ſi à naturæ robore potus ille ſuperfluus vel per vomitum, vel inſenſibiliter per cutem non deturbetur, in lienis obſtructiones, & in quartanam febrem ſine dubio incidet.

Prognoſis.

Quartana febris quamvis longitunèm præſeferat, tuta ſemper eſt, & omni periculo vacat, ſuccumbere enim morbo natura non poteſt, quæ per 48. horarum intervallum ab illo non laceſſitur, & naturali gaudet ſtatu. Longiſſima, & diuturna eſt quartana ob ſucci terreſtreitatem, & quamvis Avicennas dicat, quòd ſi in eâ non committatur error, non extenditur ultra annum, tamen obſervatum eſt ad plures, & plures annos duràſſe, undè *Gabelchoverus centur.* 6. *obſerv.* 74. quartanarum exempla congerit, quæ 8. 12. 21. imò 48, 58. duràrunt, quod creditu operoſum videtur. Hinc ortum fuit apophthegma: *Hydrops, & quartana medicorum ſcandala planä.* Verùm noſtris hiſce temporibus tàm diuturna non eſt, quin abbreviari non poſſit ob innumera antifebrifuga tàm à naturâ, quà ab arte reperta, quæ priſcis ignota fuêre. Prætereà quartanæ, quæ æſtate contingunt, ſunt breviores; quæ autumno, & hyeme longæ, ut habetur *aph.* 25. *ſect.* 2. *Æſtivæ quartanæ plerumque breves, autumnales longæ, & inter eas maximè, quæ ad hyemem uſque pertinent.* Inveteratæ quartanæ raro ſolvuntur, niſi vere, & æſtate. Quæ diuturnas lienis obſtructiones nactæ ſunt, diuturniores ſunt, non ſine periculo plerùmque in hypochondriacum malum, ſcorbutum, cachexiam, vel hydropem terminantur. Si ſcirrhus lienis ſuccedit, deſperatæ eſt reſtitutionis; in hecticam enim aliquandò terminatur. Infantes faciliùs à quartanâ liberantur, quàm mediæ, &

occiduæ ætatis viri. Simplex faciliùs toleratur, quàm duplex, vel triplex; ex ſimplici enim ſi duplex, vel triplex fiat, periculoſa eſt.

Quàm hæc febris contumax, & diuturna eſt, quæ *Saturni filia*, & *medicôrum opprobrium* vocatur, tàm tuta eſt, & adeò omni vacat periculo, ut neminem jugulârit, præcipuè in regionibus calidioribus, undè illud Italicum manavit proverbium:

Sopra Quartana non ſona campana.

Solvitur quartana quandòque per vomitum, quia crudorum humorum congeries in primis viis impacta exturbatur. Interdùm motu critico, ſudoribus nempè, urinis craſſis, & nigris, menſtruis, aut hæmorrhoidibus, non verò narium fluxu, ut habetur *ſect. 8. aph. 3. Quibuſcumque in quartanis febribus ſanguis è naribus defluxerit malum eſt.*

Quartanarios ſolatur *Platò*, cui ſe ſubſcribit Hippocrates, aſſerunt nàmque eundem hominem non bis in quartanam febrem incidere, cujus verba ſunt: *Primùm quidem quartanâ febre idem homo bis neque capitur, neque unquàm captus eſt, neque de cætero corripietur, ſi ſemel ſanus fiat.* Sed hanc tantorum virorum ſententiam falſam deprehendit quotidiana experientia, cùm plures compertum ſit eundem infirmum iterùm quartanâ febre correptum, quinimmò Avicennas inter quartanæ indicia etiam patientis conſuetudinem annumerat. Quartana in morborum chronicorum cenſu principatum tenet, undè in tantâ annorum multorum continuatione nullum alium morbum in par conſortium admittit, quod magnum eſt quartanæ encomium; quartanâ enim laborantes magno morbo non corripiuntur; ſi verò jàm alio gravi detineantur morbo; & tunc quartana ſuperveniat, liberantur. In exemplum adduci poteſt convulſio, à qua quartanâ ſuperveniente, liberantur ægri, ut habetur *aph. 70. ſect. 7. Qui quartanâ corripiuntur, non admodùm convulſionibus tentantur; ſi verò priùs tentati fuerint ſuperveniente quartanâ, liberantur.*

Curatio.

Cùm quartana febris pertinax, & diuturna ſit, ut etiam vulgò *medicorum opprobrium, & infirmorum ſupplicium* dicatur, medicus in eâ curandâ eò majorem ſelertiam adhibere, atque in id attendere debeat, ne medicamentis importunè datis duplex, vel triplex efficiatur, vel ex intermittente in continuam tranſeat. Præcipua itàque curationis ſpes in proba diætæ conſtitutione poſita eſt, aliter ſelectiſſima remedia vix proficere poterunt, & niſi ægri obedientia cum medici induſtriâ copuletur, & ambo concorditer in malum conſpirent, incaſsùm laborant. Maxima igitur ſex rerum nonnaturalium habenda eſt ratio, & primò

Aër ſit temperatus, purus, & Lucidus, qui ad calidum potiùs vergat; æſtiva enim quartana brevis eſt. Vitetur aër nebuloſus, & uliginoſus, quia quartanarum eſt ferax, undè ſi æſtas calida præceſſerit, & autumnus pluvioſus, quartanas quaſi epidemicas producit.

Cibus ſit boni ſucci, faciliſque coctionis, ſub mole tamen mediocri, in quo cenſu ferè ſunt caro volucrum montanarum, & ſylveſtrium, ut ficedulæ

dulæ, alaudæ, perdices, phaſiani, turdi, merulæ, & non tamen partum ſuum in locis paluſtribus quærentium, ut anates, anſares, fulica &c. Conveniunt ova ſorbilia, pulli gallinacei, caro hædina, vitulina, leporina &c. Vitentur carnes porcinæ, bubalinæ, cervinæ &c. quæ viſcidum generant ſuccum.

Itèm omnium animalium inteſtina, & extremitates. Piſces ſaxatiles ſunt laudatiores, & è piſcibus omnes illos damnamus, qui in cœnoſis, paluſtribuſque degunt locis, ut ſunt anguillæ, tincæ &c. quia pingue, & glutinoſum aliquid inſertum habent. Similiter cane rabido pejus fugiantur alimenta fumo indurata, & ſale condita. Cibos ergò ſalinos, acidos, viſcidos, glutinoſos, terreſtres, & flatulentos ſummoperè repudiamus. Fructus arborum immaturi, auſteri, horarij, pyra, poma, melones, caſtaneæ, juglandes, quia ſuccum craſſum progignunt, nocent. Conveniunt amygdalæ dulces, uvæ paſſæ, poma dulcia, pruna. Nocent quoque legumina, ut fabæ, piſa, lentes, oriza, cicercula, faſeoli. Victus attenuandi, incidendi, & obſtructionibus reſiſtendi vim habeat, eapropter alimenta condiantur, & temperentur boragine, radice fœniculi, petroſelini, cichorei, capparibus, cinnamomo, croco, pipere, zinzibere. In primis tribus, vel quatuor paroxyſmis quartanarius tenuiori utatur victu, ut habetur *aph* 4. *ſect.* 1. *Victus tenuis, & exquiſitus in morbis longis ſemper &c.* Si quartana ex ſe incæperit, quia in morbi principio materia morbifica copioſior, & craſſior eſt; ſi verò alium ſecuta ſit morbum, primò ex Hippocratis præcepto, victus craſſior adhibendus eſt, atque ſenſim verſus ſtatum de eo aliquid detrahendum; non enim conſultum eſt, ut vires præcedente morbo tenuiori diætâ ab initio inſtitutâ magis debilitemus. Si æger id ferre poſſit, commodiſſimum eſt, ut die paroxyſmi nihil cibi ſumat: qui tamen inediæ aſſueti non ſunt, & jejunium facilè non ferunt, ijs aliquid cibi liquidi, & facilis coctionis poſt paroxyſmum exhibendum.

Tempus cibos exhibendi in omnibus febribus intermittentibus *aph.* 11. *ſect.* 1. deſcribit *Hip. In acceſſionibus abſtinere oportet, nam cibum dare nocuum eſt: & quibus per circuitum fiunt acceſſiones, ipſâ acceſſione abſtinere oportet.* Et *aph.* 19. *ſect.* 1. *His, qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, ſed ſubtrahere adjectioni ante judicationes.* Danda itaque opera, ut paroxyſmus ingruens, imò humorum fermentatio, quæ ante ſenſibilem paroxyſmum ſæpè ſatis diù antecedere ſolet, vacuum ventriculum inveniat; quod tempus, qui breviſſimè definiunt, ſex horarum ſpatio metiuntur; nàm cibi, qui tunc dantur, non corpori, ſed febri alimentum ſunt. Multæque tertianæ, & quartanæ producuntur non ſuâ naturâ, ſed diætæ erroribus, atque iſto in primis, quod ægri inſtante paroxyſmo, cibo non abſtineant.

Potus ſit vinum album, tenue, maturum, non auſterum, vel ſi æger vinum non bibat, utatur agrimoniæ decocto. Quies ſumma requiritur in ipſis exacerbationibus, interjectis verò diebus inter quoſque paroxyſmos, ad conſueta ſe transferat exercitia, vel equo, aut curru vehatur

æger

æger. Somnus largiuſculus ſit, non ità multùm à mediocritate diſſidens, & vigilia mediocriter ſe habeat. Excreta, & retenta ſint naturæ conſona. Alvus molliatur, quantum ejus fieri poteſt per conſuetos cibos, ſi verò hi nihil profecerint, infuſis per clyſterem utendum eſt, per initia quidèm mollibus, poſteà acribus. Si hæmorrhoides ſint ſuppreſſæ ad conſuetum fluxum proritentur, & ſi menſtruæ ſubſiſtant purgationes, procurandæ ſunt, aliàs tartarei humores coacervantur, & acidum multiplicatur. Animi paſſiones, ut timor, mæror, terror, lucubrationes, curæ &c. validæ ſunt occaſiones ad quartanæ productionem, quia ſanguinem ſpiritibus reddunt effœtum. Terrorè panico multos quartanarios ſanari poſſe ajunt, ut inopinatâ aquæ frigidæ perfuſione, ſubitaneo ſerpentum, & murium aſpectu, vel præcipitio ex alto, vel ſclopetæ ictu ſine glande.

Febris quartana, cùm ſit chronica, & obſtinata, medicus magnam ſolertiam adhibere debet, & ægrorum perſeverantia neceſſaria eſt, ut aſſiduâ medicamentorum mutatione occaſionalis cauſa concoquatur, & eliminetur: undè ſi remediorum ſeries intermittatur, unica ferè cauſa eſt, ut quartanarij incurati remaneant; ſiquidèm poſt paucorum uſum, tædio affecti, reliqua prorsùs reſpuuntur, & dedignantur. In medicamentorum curſu curare debet medicus, ne ex eorum importunâ exhibitione, vel ex ægri erratis ex ſimplici in duplicem, vel triplicem, vel ex intermittente in continuam tranſeat. Id etiam ægro præſagiendum eſt febrem hanc brevi curari non poſſe, & ſat citò curari, ſi ſat benè.

Vulgares medici indicationem curativam à causâ morbifica ſumunt, qui eſt humor melancholicus frigidus, & ſiccus, undè ut craſſus attenuandus, & incidendus, ut putridus corrigendus, & ut aduſtus refrigerandus, ac deindè idoneis medicamentis evacuandus. A principio itàque quartanarios mollioribus tractant præſidijs, acrioribus ob ſucci craſſitiem, & terreſtreitatem vitatis, qui non niſi attenuantibus cedit medicamentis; Undè ſufficit circa initia, ut mollioribus enematibus inteſtina mundentur, quaſi inteſtinorum ſtercus quartanam cuderet, poſtmodùm lenientibus medicamentis, ſiqua ſuccorum colluvies in primis vijs appareat, utuntur, ut melle roſaceo, vel mannâ, aut ejuſdem generis medicamentis, minuenda.

Ubi primæ viæ evacuatæ fuerint, de ſanguificinâ cogitant; verùm non omnes eodem vivunt voto, nàm nonnulli coctionem expectant, ut ſanguinem mittant, quia tunc temporis ſanguis fluxior, & tenuior eſt, ſed cùm morbus eſt coctus, medicus eſt decoctus. Alij in quartanâ ſanguinem non detrahunt, niſi redundantia per venarum turgentiam, & alia indicia videantur: ſed hæc redundantia rariſſime eſt in morbis Saturninis, & præcipuè ſi quartana febri mali moris ſucceſſerit.

De loco ſanguinis mittendi rixantur, ſed antiſignamus *Galenus* brachij ſiniſtri medianam ſecandam jubet, quem plerique ſequuntur vulgares, nec id ſine ratione in praxi obſervant, nàm lien in quartanâ laborat;

rat, ejuſque ſanguis fæculentus eſt, nec ſuo ſatisfacit muneri, nempè ſanguini defæcando, & hinc vitioſi ſanguinis cumulus in liene fit, qui proximè ex ſiniſtro latere evacuatur. Verùm ſiniſtri brachij vena nullam cum liene rectitudinem per ſe habet, ſed mediante hepate cum venâ cavâ lien connexionem habet. Verùm ſi fluens ſanguis craſſus, & niger appareat, liberaliùs illum mittunt, ſi autem ruber, ac floridus, ſupprimunt. Nonnulli ſanguinem in quartanâ propter craſſitiem, & frigiditatem per ſupernas venas evacuari non poſſe meditantes, ideòque *aph.* 3. *ſect.* 8. habetur: *Quibuſcumque in quartanis febribus ſanguis è naribus defluxerit, malum eſt.* Quia ſanguis fæculentus, & craſſus per ſuperas venas excerni non poteſt, niſi purus, venas infernas tundere cenſent, tùm quia per has ſanguis craſſus, & fæculentus excernitur, tùm quia rarò accidit, quin hujuſmodi febres ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus, menſtruis utplurimùm geneſim agnoſcunt, ac proindè venas in ani foramine, vel in malleolo aperiendas jubent, & poſtmodùm ad venas ſuperas aperiendas accedunt.

De tempore ſanguinis mittendi vulgares digladiantur, nec omnes in eandem ſe colligunt ſententiam, nàm plerique cum *Galeno* commodiſſimam venæ ſectionem in principio inſtituendam judicant, primis vijs evacuatis, diebus ab acceſſionibus vacuis. Aliqui in ipſo acceſſionis die ſanguinem detrahunt, quinque aut ſex horis ante febris paroxyſmum, quod utiliſſimum eſt, quia tunc temporis humores moveri incipiunt, & faciliùs educuntur. Alij venæ ſectionem in plenilunio celebratam plurimùm conferre aſſerunt, quia tunc temporis ob lunæ motum humor ille craſſus, & fæculentus ebullit, & fluxior redditur, & promptiùs per venæ ſectionem educitur.

Rixantur vulgares in quartanâ de ſanguine educendo, & perpetuò extra rem loquuntur, nàm in morbis frigidis, ut eſt quartana, ſanguinis miſſio refrigerat, & frigidiores morbi oboriuntur, ut Scirrhi, hydropes, vel contumax ſcorbutus, vel ex intermittente in continuam degenerat, & lethalis evadit, quia materia morbifica craſſior, & contumacior redditur; craſſis enim, & terreſtribus remanentibus partibus, ſubtiliores evolant particulæ, à quibus omnis excitabatur motus, & deindè calor, ac quod remanet, irreſolubile eſt, & contumacium morborum cauſa.

Non deſunt, qui in quartanâ, & morbis melancholicis ſummis extollunt encomijs venæ, quam ſalvatellam vocant, inciſionem in ſiniſtrâ manu factam inter digitum anularem, & minimum, cùm per hanc ſectionem lienem evacuari cenſeant; attamen nullam aliam hujus rei rationem adducunt præter experientiam, quæ incerta eſt, nam ut certa ſit, & omnis effectus alicui auxilio adſcribatur, ipſum ſolum uſurpatum fuiſſe neceſſarium eſt, nàm ſi plura ſimul in uſum trahantur auxilia, atque aliquis effectus indè ſequatur, cui is tribuendus ſit, dubium eſt; Id, quod etiam in ſalvatellâ locum habet: Nàm ſi alia plura præceſſerunt remedia; & poſteà ſalvatella quoque aperiatur, atque

æger meliùs abeat, certè ſoli ſalvatellæ apertæ effectus is aſſignari non poteſt. Cæterùm ſalvatellæ venæ ſectio fruſtranea, & abſque fundamento eſt, nàm ramus iſte è cubiti venis propagatur, undè nullum cum liene peculiarem habet conſenſum. Prætereà ſanguis iſte melancholicus craſſus eſt, & per talem exilem ramum commodè evacuari non poteſt.

Sanguine evacuato, materiam peccantem præparant *Syrupis de lupulis, fumariâ, de pomis, boragine, de tribus radicibus Gentilis, bizantino, vel de corticibus citri &c.* Præparatam materiam purgant *Syr. de fumariâ majori. de polypodio*, qui hîc communiter *Sueſſanus* appellatur, *confectione Hamech. Diacatholicone, diaſenâ, electuario Indo, ſyrupis magiſtralibus &c.* quæ melancholicos, ſuccos educendi vim habent. Inter pilulas utuntur *pilulis de lapide lazuli, de fumariâ, fœtidis, aggregativis &c.* Ex his varias parant formulas juxta diverſam patientium diſpoſitionem, & libitum, quùm quoad ætates, tùm quo ad ſexus, tùm quo ad corporis habitum, anni tempora &c. Et quoniam ſucci ſunt melancholici, & pituitoſi, ut in quartanâ ſpuriâ per vices eos præparant, & evacuant, ac proptereà à levioribus priùs exordiantur, & ad validiora tranſeunt, inter quæ multùm commendant *pilulas tartareas, vel de ammoniaco à Quercetano deſcriptas.*

Præter dejectoria pharmaca laûdant vomitoria contra *Hip. aph. 9. ſect. 4. Melancholicos verò plenius per inferiora eâdem ratione contraria apponentes.* Cujus rei ratio eſt, quia quemadmodum bilioſus ſuccus ob ſui levitatem faciliùs per ſuperiora purgatur, ſic melancholicus ob ſui gravitatem nequit per ſuperiora educi, nàm deorſùm ſemper inclinat. Primò vomitoria mitiora adhibent, ità ſunt *ſuccus raphani cum oximell. vel decoctum hyſſop. & ſem. aneth.* Secundò vomitoria potentiora, *ut aſarum, gratiola, ſambucus, rad. hellebor. alb. &c.* quæ ante paroxyſmum propinant, quia tunc natura materiam morbificam movet.

His viciſſim utuntur medicamentis, nempè purgantibus, & vomitorijs, quia quartana morbus chronicus eſt, & obſtinata perſeverantia neceſſaria eſt, ut aſſidua remediorum viciſſitudo, & rejeteratio illius cauſam concoquat, & expurget. Intermedijs purgationum temporibus frequentes inijciunt clyſteres, quibus naturam ad inteſtina humores noxios expellere aſſuefaciunt, & ſenſim aliquid de materiâ morbificâ per anum educunt. Miſeros itaque quartanarios in aſſiduis medicamentorum anguſtijs verſant abſque ullâ ſalutis ſpe, undè diuturno medicaminum uſu fatigati, tædio affecti, & viribus enervati omnia reſpuunt, & incurati medicam artem, & medicos devovent. Tandèm exactam, & diuturnam diætam peroſi, in cibo, & potu quùm in quantitate, tùm in qualitate delinquunt, imò cibos pravæ ſubſtantiæ expetitos avidè ingurgitant, & magno artis, ac medicorum dedecore à quartanâ liberantur.

Præter purgantia, & vomitoria in quartanæ progreſſu aperientia, & deobſtruentia uſurpant, inter quæ utiliter commendant pilulas ex chalybe præparato, poſt quarum aſſumptionem ægrum deambulare jubent; chaly-

lybis enim uſus in febre quartanâ utiliſſimus eſt, quia contumaces lienis obſtructiones, quæ illam fovere ſolent, potenter aperit, & reſoluit.

Obſervant vulgares in quartanâ primis diebus non multos ſudores, attamen in morbi progreſſu, attenuatâ materiâ, copioſos ſudores, quapropter ad naturæ imitationem diaphoretica in quartanæ declinatione ad illius reliquias diſcutiendas, ad intemperiem longo morbo contractam, ad malum corporis habitum emendandum, ac lienem, ventriculum, & alia viſcera chronico morbo debilitata corroboranda, utiliſſima cenſent. Ex his potiſſimum obtinet locum *Theriaca*, quam ʒ. j. pondere horâ unâ ante paroxyſmum cum vino, vel decocto chamædrios exhibent, & per plures paroxyſmos reiterant, ſed paulò ante paroxyſmum feliciùs operatur, quia frigoris augmentum prohibet, & humorem febris cauſam jàm effervеſcere incipientem commodiùs diſcutit, & modò paroxyſmum imminuit, vel modò, ſi materia parcior ſit, illum prorsùs tollit. Inter diaphoretica commendant quoque *Mithridatium*, *carduum benedictum &c.* & præ alijs *radices ſalſæ parillæ*, *chinæ*, quarum decoctum primarium per viginti dies ante acceſſionem exhibent, & ſecundarium pro potu ordinario, & contumaces interdùm curâſſe quartanas referunt. Cæterùm ſuccus melancholicus ob ſui lentorem, & craſſitiem ineptus eſt, ut in ſudorem tranſeat, eſtò melancholici multo abundent ſero, iſtâ ſeroſitate in ſudorem reſolutâ, quod remanet, contumacior, & fixior redditur, & in ſcirrhum degenerat, & pro tuto curando morbo, pejorem, & pertinacionem inducunt. Præterea ſi quartana eſt in declinatione, & ſudores natura movet, quia materiam attenuavit, ſudorifica, diaphoretica nullo prorſus modo conveniunt, ut innuit *Hip. aph.* 20. *ſect.* 1. *Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere oportet.* Idem repetit *lib. de humoribus* per hæc verba: *Quæ perfectè judicantur, non movere: neque medicamentis, neque aliter irritando, novare quicquam.* Si itaque vel integra judicatio facta eſt, vel adhùc fit, totum opus naturæ committere, & nihil nos novare oportet: ubi verò, ut inquit Gal. in comm. ejuſdem aphoriſmi, indeficienter judicatur, id, quod deficit, ſupplere nos convenit.

Ad liniendum rigorem utiliſſimas ſpinæ dorſi inunctiones dijudicant, quas frequenter uſurpant, quandò rigor eſt ità vehemens, & importunus, ut ægrum valdè moleſtet, fiuntque inunctiones *ex oleo anethino, chamamelino, rutaceo, coſtino, de piperibus, laurino cum Mithridatio, & theriacâ*, ut

℞. *Theriacæ* ℥. ß.
caryophyll. ʒ. j.
caſtorei ℈. j.
ol. laurini,
chamomal. ana ℥. j.
fiat linimentum.

addi poteſt aliquid *ſpiritûs Vini rectificati*: Dùm inunctiones fiunt, iteratas, ſed leves frequentant purgationes.

Tendèm ad quartanæ appropiata recurrunt, quorum tamen agendi rationem neſciunt, qualia ſunt *ſuccus abſynthii*

thi, verbenæ, radices imperatoriæ, thapſi barbati, plantaginis, decoctum geniſtæ, & inter cætera hoc commendant, ut

℞. *ſucci abſynth. recentis,*
theriacæ ana ℨ. j.
vini alb. potentis ℥. j. m.

& ægro propina tribus horis ante paroxyſmum, quod ter, vel quater repetunt. *Radicis Imperatoriæ pulueriſatæ* ℨ. *j cum vini hauſtu* ante paroxyſmum propinata, & aliquoties repetita paroxyſmum non tantùm mitigat, ſed etiam ſæpè planè profligat.

Ultimò ſupra carpos, & pulſus varia applicant topica, ut *Radices urticæ mortuæ contuſæ* carpis manuum applicat. *Tinca per medium diſſecta*, & manuum carpis applicata. *Rondoletius* jubet *folia ſalviæ, ſambuci, pedis columbini, rutæ ana* m. ß. *calthæ* p. j. *trita cum modico ſalis, & vini* carpiſque manuum alligare ante paroxyſmum, coctionis apparentibus ſignis.

Pro febris quartanæ curatione omnes intentiones eò ſunt dirigendæ, ut ſeroſitates lentæ, lutoſæ, tenaces, & tartareæ in liene, quæ ſal fixum à propriâ indole degenerare faciunt, incidantur, ſubtilientur, & fluxiles redditæ per convenientia emunctoria eliminentur; undè ſanguis arterialis in ipſo lienis corpore, mediante ſale fixo, ab humorum glutinoſitate veluti ſoluto, ſucci pancreatici affluxu fermentationis motum ſubit, & volatilis, ac ſpirituoſus evadit. Deindè ut acidum, vel auſterum ſanguini (qui dulcis, ſpirituoſus, & balſamicus eſſe debet) per ſingulos paroxyſmos impertitum, quod ſanguinis naturalem turbat fermentationem, & efficit, ut ejus ſalia fermentativa non ritè invicèm agant, edulcoretur, emendetur, infringatur, deleatur, ac ſuas veluti deponat exuvias, & ſimul efferveſcentia febrilis coërceatur, & ſanguis in naturalem reducatur ſtatum. Tandèm viſceribus valdè labefactis, ut ventriculo, lieni, hepati, & meſenterio priſtinus robur, & vigor reſtituatur. Quibus ritè peractis, quartana febris feliciter profligatur.

In febris quartanæ curatione controverſia eſt inter medicos, plerique eorum, qui ſpecificum, certumque remedium pro eâ curandâ ignorant, ſunt voti, ut febris quartana curari non debeat, ſed relinquenda, ut poſt annos ſpontè evaneſcat; ſic quod ipſi ignorant, nec per alios fieri permittunt, admonentes infirmum, ut à remedijs curativis ſe abſtineat, ne majus malum illi superveniat.

Quamplures deindè audaciores, qui ſpecificum remedium quartanæ curatiuum adepti fuêre, quàm citò fieri poteſt, adhiberi debere ſuadent; ajunt enim indignum eſſe medicum, qui morbum aliquem curare certò poteſt, illum in longum protrahere, ut infirmi naturam affligat, & excrucier.

Nos utrumque improbamus, nec ut ſpontè ceſſet quartana, expectandum laudamus, nec temerè ſpecifico remedio, excluſis, quæ materiam ſolvunt, adoriendam eſſe quartanam cenſemus; enimuerò ſpecificum remedium, quod matæriæ fermentationem compeſcit, ſed ipſam non reſoluit, & à loco non deturbat, tutum eſſe non poteſt, quippè neceſſariò vel morbi recidiva ſuccedet, vel alius morbus à materiâ non reſolutâ concitabitur.

Quar-

Quartanæ igitur curationem aggreſſuri, ægroto primò victûs rationem præſcribimus, eique imperamus, ut ab immodico aquæ potu omninò ſe abſtineat, & præſertim acceſſionis tempore, in ipſo verò vigore conceditur, & maximè cùm ſudoris eruptio, tuncque potus liberalior nonnihil concedendus, ſic enim promptiùs erumpit ſudor, & feliciter cedit febris. Secundò, hypochondria tangamus oportet, an adſit tumor, vel ſcirrhus, in ſpecie quandò quartana eſt diuturna, adeſt tumor, vel ſcirrhus lienis; nec poteſt eſſe diuturna, niſi tandèm vitium, & noxa lienis ſuperveniat, ideóque tunc in omnibus medicamentis ſimul ad lienem reſpiciendum erit, ut feliciùs eradicetur morbus. Hinc quartanæ non fiunt vitio ſplenis, ſed hujus vitio contumaces, & obſtinatæ redduntur, nàm in hujus principio hoc viſcus eſt incolume, & illæſum, ſed occaſionalis cauſa eſt nimia aquoſitas à ventriculo per vaſa brevia ad lienem deportata: hac febre diuturnâ redditâ, aut pertinaciter reluctante, vel perperàm curatâ, ſubindè ſupervenit tumor, aut ſcirrhus lienis: ſupervenit imprimis talis hujus viſceris affectus, adeóque potiùs eſt productum morboſum, quàm radix morbi originaria, cùm remota cauſa ex ſeroſitatum degeneratione in ſtomacho fabricetur.

Hinc menſtruis, vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis quartanas oriri obſervamus, ut multa extant apud auctores exempla, verùm hæ ſuppreſſiones ad has febres ſunt diſpoſitiones. Verùm horum cauſæ præcedentes in ſtomacho cuduntur, ejuſque digeſtione fundamentali totum corpus inſigniter turbante. Undè neque vaſa majora, neque minora, nec tandèm ipſum cor eſt harum febrium primarium ſubjectum, ſed adeſt certum viſcus, ſeu focus, in quo ſeminium febrile, & cauſa occaſionalis latitat, & radicatur, ut in febribus ſymptomaticis patet, (attamen juxta noſtram ſententiam omnes febres ſunt ſymptomaticæ), ſic ulcera, vel vulnera febrem inducunt, & focus eſt in parte ulceratâ, vel vulneratâ.

In hoc foco ſeminium, ſeu fermentum hoc febrile, ſeu ſal illud, quod eſt naturæ fermentativæ fermenteſcere incipit, & miaſmata, ſeu corpuſcula exotica, quæ emittit, ſanguini commiſcentur, ejuſque craſim invertunt, vitæ œconomiam ſubvertunt, ſanguinis miſtionem turbant, ejuſque ſalia naturalia confundunt, & non ritè agunt, undè ex corpuſculorum ætherogeneorum cum homogeneis actione, & reactione ſimultaneâ calor naturalis intenditur, qui cor in calefacto eſſe ponit, & non eſt de febrium eſſentiâ, ſed tantummodò ſymptoma ſequens.

Pro quartanæ igitur curatione tàm cauſæ occaſionales removendæ ſunt, quàm ſeminium febrile in foco latitans eliminandum eſt, proficua præ cæteris in quartanâ auxiliantur emetica, ſi ægrotus faciliter vomat; hæc nàmque ventriculum aquoſitatibus exonerant, & facilius materia per vomitum, quàm per inferiora purgatur. Propinanda ſunt hæc ipſa unâ, vel alterâ horâ ante paroxyſmum, movet enim hoc ipſum natura, quæ ſæpiſſimè ingruente paroxyſmo, ſe per vomitum exonerat. Emetica, quæ quartanæ materiam domant, ex du-

plici Régno, vegetabili ſcilicèt, & minerali deſumenda ſunt, & inter vomitoria vegetabilia primum obtinet locum *Aſarum*, & tanquàm ſingulare febrifugum in quartanâ commendatur, ut

℞. *Rad. aſari mediocriter pulveriſat.* ʒ. j. *vel* ℈. IV.
vini calidi ℥. IV. m.

& propina horâ unâ, vel alterâ ante paroxyſmum, blandos provocat vomitus, & æger ſtragulis benè tectus ſudores expectet. Vel alio modo præparatum aſarum blandum admodùm vomitorium ex folijs præbet, ut

℞. *Aſari folia viridia, & ſuccolenta, benè craſſa, à madore nocturno, & diurno purgata num.* viij. x. *ad* xij. *ad ſummum, hac folia convoluta ſcinde ad modum tabaci in longa ſegmenta, (non minima, quia tunc vehementiùs dant vomitorium) infundantur per noctem in aqua cardui benedicti* ℥. iv. *ſtent ità in loco tepido, manè colatur per linteum rarum, vel cum oxymel. ſimpl.* ℥ß. *detur, vel per ſe.*

& nullâ moleſtiâ vomitum movet.

Poſt aſarum eſt *Nicotianæ decoctum*, ut

℞. *Aquæ ferventis* ℥. ij.
injiciatur in illas fol. nicotianæ ʒ. j. *ſtent ſimul per horæ quadrantem, deindè aqua ſeparetur à folijs*, & infirmo exhibeatur.

Multi commendant *Sal vitrioli à* ℈j. *ad* ʒß. ſed quia aliquid remanet, quod in totum ventriculum deſtruit, & vim ſuffocantem habet, ac œſophagum, & fauces exulcerat, meritò ab emeticorum ſupellectili proſcribimus.

Verùm omnibus quibuscumque emeticis præferuntúr antimonialia, ut

℞. *Vini in Regulo antimonij infuſi per duodecim horas* ℥. ij.
& exhibe.

Vel

℞. *Croci metall. gr.* xij.
fiat pulvis, & exhibe.

Vel

℞. *Merc. Vitæ gr.* vj.
infund. per noctem in vin. alb. ℥. ij. *manè vinum coletur per inclinationem, relinquendo pulverem*, & vinum propina.

His omnibus præferimus noſtrum *Hippocras emeticum* ad cochlearia duo, vel tria.

Ex his omnibus vomitivis quodlibet eligere poteſt medicus, ut ventriculum exoneret, & quartanæ materiam in aliquâ portione educat; quòd ſi æger vomitiva non leviter ferat, tunc ſequentibus dejectivis uti poterit medicus, ſed blandiora eſſe debent, & die antè paroxyſmum præbeantur,

℞. *Tart. vin. alb.* ʒ. iij.
ſen. or. ʒ. ijß.
cinnam. acut. ℈. j.
f. omnium pulv. ſubtiliſſ. & m.
exhibe in juſculo.

Vel

℞. *Cremor. tart.* ʒ. ij.
diagridij gr. xv.
f. utriuſque pulvis,

qui miſceatur, exhibeaturque in juſculo ante prandium.

Vel

℞. *Conſ. flor. perſic.* ℥. iij. ß.

ſumat immediatè ante prandium.

Vel

℞. *Pilul. de tribus Gal.* ʒj.

& ut ſuprà exhibeantur.

Vel

℞. *Extract. Catholici* ℈ij.

f. pi-

f. pilul. iij, *inauranda.*

Vel

℞. *Extract. hellebori nigri* ℈ij.
reducantur in pilul. ij.

& infirmo exhibe ante cibum.

Vel exhiberi poſſunt *Pilulæ Tartarea Quercetani*, vel *de ammoniaco.* Quòd ſi æger pulveres, & pilulas reſpuat, & purgans medicamentum in formâ potûs exoptet, exhiberi poteſt *ſyr. de fumar. mai. helleborat.* cum ſuo decenti decocto.

Vomitu, vel ſeceſſu exonerato quartanarij ventriculo, ſi obſtructio, vel tumor, vel ſcirrhus lienem infeſtet, ad ea, quæ lienis vaſa deobſtruunt, deveniendum eſt, quæque urinam laceſſunt, ſunt hujuſmodi hæc:

℞. *Salis prunell. n. d.* ʒß.
aquæ cort. fabar. ℥ij. m.

exhibe infirmo quolibet manè per viginti dies.

Vel

℞. *Tart. vitriolat.* ℈ij.

propina quolibet manè in cochleari cum *ſyr. de quinque radicibus aperientibus* per 20. dies.

Vel

℞. *Comar. abſynth. num.* x.
contundantur parùm, & infundantur per noctem in
vini albi ℥ij.

manè fiat colatura, & infirmo per dies ut ſuprà præbe.

Vel

℞. *fruſtuli chalybis* ℥ij.
immergatur in vin. alb. lib. ij.
per XXIV. *horas.*

utaturque eo infirmus in prandio, & cœnâ per xx. dies; altero quolibet die ejuſdem chalybis in recenti vino factâ præparatione.

Vel

℞. *limatura chalybis* ℥ij.
f. ejus infuſio in ſucco limonum per 24. *horas.*

ſeparetur à limaturâ, deindè ſuccus, qui reducatur cum ſaccharo in ſyrupum longum, hujus ℞. ℥ij. & infirmo propina per 20. dies.

Tandèm tanquàm Arcanum ad quamlibet pertinaciſſimam obſtructionem ſolvendam

℞. *Salis abſynth* ʒß.
vitrioli Martis gr. vj. m.

Exhibe infirmo quolibet mane per xx. dies, augendo doſim vitrioli Martis quolibet mane duobus granis, uſque dùm ejus quantitas ſit ſcrupuli unius, & illa abſynthij ſit ſemper eadem.

Credibile non eſt quantùm hoc medicamen omnibus lienis affectibus, & reliquorum viſcerum obſtructionibus ſit proficuum; aſſignavimus xx. dierum ſpatium his deobſtruentibus medicaminibus, nàm xx. dierum circuitu ſeptem præteriêre quartanæ acceſſiones.

Pulverem cacheticum ſimplicem magnarum virium in viſcerum obſtructionibus, & præcipuè lienis. felici eventu ſemper experti ſumus, cujus compoſitionem ingenuè exaràmus:

℞. *Chalybis præp. part.* j.
caſſiæ ligneæ part. ij.
ſacch. albiſſ. part iij. m.

Doſis ejus tantum, quantum mucrone cultri arripi poteſt, detur ter quotidiè, manè jejuno ventriculo, horâ tertiâ veſpertinâ, & ituro cubitum, tamdiù donec omnis obſtructio fuerit expedita, etiam ad aliquot ſeptimanas continuando. Chalybs in bracteas tuſus tantiſper tunditur ſuper incudem, poſteà ſubtiliter pulveriſe-

tur,

tur; intus benè mundetur undique.

Proficua ſunt ſuprà notata remedia deobſtruentia, ſed potior eſt *crocus Martis aperitivus*, vel *tinctura Martis apertiva ex Andreæ Battimelli inventione in Hadriani Amynſiht Auctuario*, & plus valent unâ hebdomadâ aſſumpti, quam alia medicamenta integro menſe, quorum deſcriptionem, vires, uſum, & doſim apud eundem legere poteſtis.

Simul cum deobſtruentibus internis adhiberi debent inunctiones externæ in ſiniſtro hypochondrio circa lienis regionem, ut

℞. *Ol. de capparibus* q. v.
f. inunctio manè, & veſperi.

Vel

℞. *farinæ hordei* ℥. iv.
verbenæ cum radicib. caulis, & foliis m. iij.

contunde, & miſce cum ovi albumine, fiat cataplaſma, quod loco lienis ſuperponatur, & per tres dies recens applicetur, nàm reſudabit extra cutem cruenta lienis ſanies, reſolvitque omnes ejus morbos, ſæpèque etiam quartanam. At mirabilis erit inunctio, quæ omnes alias ſuperat, ex *oleo laterino*, cujus recipe q. ſ. locumque lienis manè, & veſperi inunge. Si lienis obſtructio, vel ſcirrhus fuerit contumacior, omnem abſoluit paginam *emplaſtrum de ſucco cicutæ, vel de Mandragorâ, utrumque cum ammoniaco diſtemperatum*; ſuccus nàmque mandragoræ ebur diſſoluit, & hinc à medicis in uſum introductus fuit. *Helmontius* in quibuſdam ſuis chirographis ſequens in quartanâ commendat emplaſtrum:

℞. *Tabaci* q. u.
adde vini q. ſ.

coquantur per mediam horam, poſt coletur, & fortiter exprimatur, colaturæ addatur

mellis communis, &
ol. comm. q. ſ. *ad conſiſtentiam empl.*

applicetur tepidè regioni lienis cum oleo capparum. Idem *Helmontius* in quartanâ extollit emplaſtrum ex paucis reſolventibus, & abſtergentibus paratum ut

℞. *Ceræ* ℥. j.
ſtyracis calamit. ʒ. ij.
ladani liquidi ℥. ß.
aſæ dulcis,
olibani opt. ana ʒ. iij.
f. empl. ſ. a.

quod lieni applicetur, cujus Archeus ab acido ſtomachi ab ipſo cenſetur ad iram commotus, ut odoratis his ille mulceatur, & ſopiatur, in quem finem, & varia commendat unguenta, quibus ſolis quartanam curare poſſe contendit.

Eximium eſt *oleum Verbenæ* à nobis in *Mantiſsâ* deſcripto ad rebelles lienis obſtructiones delendas; nàm ejus canales, ac glandularum poros craſſo, viſcido, & tenaci limo obductus, aut particulis terreſtribus infartos, vel ſale auſtero, & rigido imbutos ſolâ per plures auroras inunctione incidit, attenuat, & diſſoluit: eapropter meatus, & glandularum poros obſtructos reſerat, aperit, ac per diureticam ſemitam obſtruentem materiam exturbat.

Multæ ad demulcendum rigorem, & horrorem, quandò vehemens, & importunus eſt, commendantur inunctiones, quibus ante paroxyſmum ſpina dorſi uſque ad os ſacrum juxta ignem inungitur, fit in quartanâ ri-

gor,

gor, dùm à foco febrili elevata auſtera aciditas in paroxyſmo partes nervoſas, & membranaceas vellicat, & hinc rigor modò minor, modò major juxta vellicationis qualitatem ſuccedit; in rigore enim primariò panniculus carnoſus vellicatur, ſed abdominis partes vellicatæ corpus quatiunt. Vndè & frigus intenſum in abdomine, lumbis, cæteriſque partibus percipitur. Ingruente paroxyſmo pulſus fit minor, & debilis propter debilem ſanguinis fermentationem, interdùm verò omninò non obſervatur, & intercipitur; aciditas namque iſta maſſæ ſanguineæ communicatur, ipſamque quodammodò obruit, nonnihil quaſi coagulat, aut inſpiſſat, & cordi communicata per venas, ipſius ventriculos, & ſubſtantiam, quæ tota muſculoſa eſt, contrahit, conſtrigit, convellit, coartat, undè cor anguſtiatum ſuum motum edere non poteſt, nec arterias movere, ſed quaſi feriatur, & ſanguinem in ſiniſtrum ventriculum propellere nequit, ac ſpirituum vitalium, ex quibus animales fiunt, cum ſanguine elaboratio, ut circulatio imminuitur, undè ſpirituum pauperies, & hinc inſignis laſſitudo artus prendit, & pulſus quaſi feriatio ſuccedit, ſub qua luctâ calor naturalis ſenſim deficit corpori, & frigus notabiliter augetur, quod tamen diù non perſeverat, ſed ſubacto acido à ſale volatili oleoſo, corponitur in calefacto eſſe, circulatio augetur, & calor, & æſtus ſatis moleſtus ſuccedit, ſed remiſſior, quàm in tertianâ. Ad demulcendum igitur paroxyſmi rigorem ſequens inunctio commendatur:

℞. *Ol. laurini,*
vulpini.
de lavendulâ,
nucis moſchatæ,
terebinthinæ ana ℥. ij. m.

qua inungi debet tota dorſi ſpina, à nucâ incipiendo, & ad os ſacrum procedendo.

Vel.

℞. *Ol. moſchelini,*
de enulâ Meſuæ,
de caſtoreo ana ℥. ij. ß.
ſtyracis liquidæ ℥. ij.
theriacæ q. s. *ut f. inunctio.*

Uerùm ad frigus compeſcendum, & rigorem tollendum nil melius eſſe ſalibus fixis experientiâ comprobavimus.

His omnibus præmiſſis, inſtat nunc tempus, quo ſpecificis cum omni ſecuritate in quartanæ curatione uti poſſimus abſque recidivæ, vel alterius damni metu.

Multa per ora vulgi circumferuntur ſpecifica pro quartanâ, non tamen omnia eventûs certitudinem præſeferunt; unum tamen infallibile ſemper experitur *china china* dictum, ſeu *cortex Peruvianus febrifugus*, dicitur febrifugus, quia primum contra febres intermittentes, etiam chronicas, ſed in ſpecie contra quartanas expertus eſt, undè *Antiquartium Peruvianum* appellatur, nobile ſanè remedium nuperrimè ab Americâ ſuppeditatum, & unicum, & quo eventûs certitudinem medicus polliceri poteſt. Verùm iſto ſub cortice magna mercatorum fraus delitеſcit, dùm inſigniter illum adulterant, adeò ut inter libram unam vix reperiatur uncia una veri. Ne decipiamini, dignoſci-

de china

tur à genuino adulteratus ità: Qui eſt ſaporis ſimilis ferè cum cinnamomo, non eſt legitimus, ſed adulteratus, genuinus autem eſt ſpiſſior, & craſſior, quodammodò albicans, ſi dentibus contundatur, & in ore detineatur, primò quendam cinnamomi ſaporem pandit, paulatim deindè amariſſimum manifeſtat ſaporem, gentianæ noſtratis inſtar, undè à quibuſdam china de chinâ vocatur *Gentiana Indorum*, qua de re impoſtores ad hunc amariſſimum ſaporem ſimulandum, in aloës decoctum infundunt, ſed facilè à peritis aromatarijs ſapor à corticis Peruviani ſapore diſcernitur. Verùm hæ notæ pro illis inſerviunt mercatoribus, qui hunc corticem integrum vendunt, ſed non pro fratribus Jeſuitis, maximam quorum verſutiam & impoſturam bardi minimè effugere poſſunt; iſti nàmque in pulverem redactum, alijſque corticibus tritis refertum venditant, & hujus febrifugi libra una vix capit unciam unam veri, & magno cum quartanarij incommodo propinatur, & ubi una doſis pro debellandâ quartanâ eſt ſatis, plures non ſufficiunt.

Hujus corticis operandi modum, quomodò intermittentes ſupprimat febres, rimemur oportet, & ex ſenſibilibus qualitatibus, quibus decoratur, hoc inquirendum eſt; pollet nàmque amaritie cum aliquali ſtypticitate, ut guſtus fidelis eſt index, ut in multis febrifugis, radice gentianæ, centaurio minori, chamædry, abſynthio &c. experimur, quæ impensè amara ſunt, & hanc ob qualitatem in ſupprimendis fermentorum præternaturalium viribus maximâ pollent energiâ. Cortex itàque Peruvianus cum actu intensè amarus ſit, fermenta febrilia præcipitat, & efferveſcentias mitigat febriles, nullam inducendo ſenſilem evacuationem, quomodocumque ſumatur, & ferè in omnibus paroxyſmos tollit. Præcipitare vocabulum eſt ex chymicis deſumptum, nám ſicut cùm contenta in vaſis fundum projiciuntur: ità propter ſimilitudinem præcipitationis voce hîc utuntur recentiores. Præcipitantia ergò fermentationem febrilem compeſcunt, & ſordes efferveſcentes craſim maſſæ ſanguineæ perturbantes ſeparant, & quaſi ad fundum præcipitant. Corticis Peruviani particulæ ingeſtæ ſanguini permiſcentur, ipſumque diſcraſiâ affectum in novam adigunt fermentationem, & adeò excrementitias particulas exagitat, & febriles turgeſcentias concitat, ut completâ fermentatione, particulæ excrementitiæ, & heterogeneæ in maſſâ ſanguineâ, & in foco febrili ſeparentur, præcipitentur, devincantur, & in ſanguine innatent ſubactæ, & circulent, donec vel medicaminis ope exhauriantur vel per urinam, vel per ſudores, vel per inſenſiles evacuationes eliminentur. Quandóque materia excrementitia ſopitur, cicuratur, nec radicitus perdomatur, & quantumvis ſopita, & cicurata videatur, per aliquot dies acceſſiones ſuſpendat, poſt breve tempus, quæ relinquitur, novo arrepto fermento, veluti excuſſo ſomno exurgit, reſævitque ac novâ diatheſi ſanguinis miſtionem perturbat, tunc denuò febriles paroxyſmi conſtanter redeunt, & medicina doloſa, & curatio palliativa videtur. Cæterùm id accidere poteſt vel obſtructionis cauſâ,

ſa, quæ niſi tollatur, laterem medicus lavat, undè pari certitudine, qua iſto pulvere febriles ſupprimuntur paroxyſmi, eoſdem poſteà reverti obſervamus: remotâ itaque obſtructione, à qua febris fovetur, unicâ iſtius pulveris doſi, vel nullâ ſponte diſparet. Verùm hujus pulveris reiteratio ſat erit idonea, cùm paroxyſmorum nimiâ aſſiduitate ægrotantium vires plurimum atteruntur, hoc modo inducias procuramus, ut natura vires reaſſumat, & impoſterùm hoſti validius reluctetur, etiam ut quartana febris, durante autumno, & hyeme, minori cum moleſtia traducatur, hic cortex commodè adhibetur: qui autem à febris iſtius inſultibus longiores exoptant inducias, pulverem hunc minori doſi, & crebriori vice aſſumere debent, ſcilicèt ʒij. vel iij. per tres continuò periodos capiat, ſive acceſſiones redeunt, necnè; hac methodo diutiùs immunes perſiſtunt, & uſque tamen hoſtem licèt ſopitum intùs latentem retinent, quouſque his anni temporibus tranſactis, adventante vere, vel æſtate, unicâ pulveris exhibitione vel inquilinum expugnent, vel tempeſtatis anni ope, vel alius medicaminis ſuppetijs ſanguinis diathesis in melius alteretur, adeòque febris ſenſim evaneſcit.

Peruvianum corticem non tantùm febribus, quæ cum frigore ægros corripiunt, ut quotidianis, tertianis, & quartanis ab alijs, & à nobis mederi compertum eſt, ſed eas quoque quas nothas appellant. & continuas curare novimus. Item hypochondriacis, & cachectivis ſingulo mane ad unius drachmæ pondus cum vino, quatuor horis ante prandium prodeſſe teſtis eſt quotidiana experientia.

Nonnulli rudes medici de chinâ uſu hæſitare cœperunt, timent nàmque ne ejus uſus hecticam pariat febrem, ſed undè talem conceperunt timorem, ipſi ignorant, cùm hectica à nutrimento acidiori derivetur, & ad partium aſſimilationem ineptiore reddito, quæ eadem acidum corrigentia expoſcit remedia. Non ergò ejus uſus ob febrem lentam, vel hecticam imminentem formidandus eſt, ſed eos certiores faciat experientia, vel ſaltim experto credant Roberto. Si verò intellectum habent limitatum, & hujus uſum reformidant, nova excogitent febrifuga, vel noſtris infraſcriptis utantur, quæ nunquàm nos, nec febrientes deluſerunt.

De tempore chinam de chinâ exhibendi certant medentes, & multi in eâ verſantur ſententiâ non præberi corticem niſi aduſtis febribus, & in longum propugnatis, vel ſaltim per multos dies confirmatis, præſertim in tertianâ ſperandum eſt tempus, ut bilis miteſcat, & in quartanâ, ut melancholici humoris lentor attenuetur. Imò nonnulli coctionem expectandam eſſe arbitrantur, ne coctionis lex, quam tantoperè commendat *Hip. ſect.* 1. *aph.* 12. *Concocta medicari, atque cruda non movere, neque in principiis, modò non turgeant, plurimà verò non turgent.* & medentes ſeveriſſimè obſervant, frangatur. Præte reà quartana morbus eſt chronicus, à multis morbis præſervat, multùm intermittit, nec vitæ periculum minatur, licèt producatur coctio. Cæterùm non expectandum eſt tempus, ut febris altas emit-

tat radices, quia non facilè eradicatur; febris nàmque leviuſculè oboriri incipit, & adeò adoleſcit, ut vehementior magis, magiſque fiat, donec tandèm in exaltationem deveniat, & febrientes periculis obnoxios reddat. Tempus acutum eſt, & ſingulis horis aliquid novi affert, non itàque medicus tempus negligat, quia ſuam detigit inſcitiam. Nova ſemina ſubiti morbi extemplò opprimenda ſunt, & in principio levi medicinâ curantur, pòſt verò minimè. Ità cecinit *Ovid lib.1.de Remed.amoris.*

Principiis obſta: ſerò medicina pâratur:

Cùm mala per longas convaluêre moras.

Expectent, ut per productum tempus bilioſus miteſcat humor, & melancholicus attenuetur: ſed quis nobis fidus hujus rei ſponſor, & pollicitator erit? Nonnè immitis, vel craſſior, tenaciorque fieri poteſt cunctando? Obſtinata iſtarum febrium prolixitas nos, ut ſubitam manum adhibeamus medicam, admonet, ne malum interim augeatur, & inſanabiles morbi, ut obſtructiones, ſcirrhi, cachexiæ, & hydropes, viſcera corripiant, vel ex ſimplici in duplicem, ex intermittente in continuam, & ex benignâ febre in mali moris degeneret, ut pluries nobis obſervare datum fuit. Beatam coctionis ſpem exoptant, quæ præſertim vix illuceſcit poſt plures menſes, & annos, & interim vanis præſidiis ægros diù torqueri, & febris diuturnitate extenuari permittunt. Equidèm coctio non ità juxta auctoris aph. mentem intelligenda eſt: Concocta medicari oportet, non cruda: per hoc medicari intelligitur quæcumque evacuatio, ſivè fiat per urinam, ſive per ſudorem, ſive inſenſibiliter, ſive per alvum per cocta ſeparata. Prætereà cortex Peruvianus materias excrementitias, ad novam adigendo fermentationem, ſeparat, præcipitatque quod eſt concoquere, ut ſuprà innuimus, undè in ſanguinis maſsâ velut caput mortuum innatant, & ſic ſeparatæ, & præcipitatæ excerni poſſunt per ſua enunciatoria. Inſuper in his febribus, quas cortex curare poteſt, datur urgentia, ideòque non expectatâ humoris coctione, ſine morâ præbendus eſt cortex, nàm diuturnæ eſſe ſolent, & pertinaces obſtructiones, ſcirrhos, cachexias, & hydropiſim ſibi aſciſcunt; non enim ſolùm in brevibus, & acutis datur urgentia, ſed etiam in diuturnis, ſuperadultis, & in iis, qui magnos minantur languores. Noſtra itàque ſententia eſt, ut ſine cunctatione, omni poſthabitâ ſegnitie, nec diù expectatâ coctione propinandus ſit cortex ſub quacumque præparationis larvâ, quia occaſio præceps, atque adeo dicimus cum *Ovid.lib.* ut ſuprà:

Sed propera, nec te venturas differ in horas,

Qui non eſt hodiè, cras minus aptus erit.

Illa medicamenta, quæ Altiſſimus ad hominum utilitatem de terrâ creavit, medicus propter imperitiam, vel lucri cupidinem abhorrere non debet, ne fructum afferant in tempore ſuo. Ægri decumbunt, languent, torquentur, ſquallent, exeduntur, pereunt, opem petunt, & non eſt, qui porrigat eis: actutùm ergò porrigatur cortex, alioqui quæ utilitas in eo?

Vulgò præcipitur, ut hujus corticis uſui lienis præmittatur purgatio, verùm nos ſine præviâ pharmaciâ ſolitariè hanc obtulimus, & extinctâ febre poſtmodùm pharmacum præbuimus; præſtat enim patientem abſque febre expiare, quàm cum febre, ità nàmque materias excrementitias, febrifugus cortex præcipitavit, purgans deturbat, quòd ſi ante corticis uſum purgamus, remotâ febre, iterùm ad purgans deveniendum eſt, aliàs ſi quæ relinquuntur in morbis non eliminantur, recidivam faciunt. Hac etiam methodo in quibuſdam imbecillis, vel lecto affixis utimur, & ſemper laudabiles obſervavimus effectus, & unâ, vel alterâ doſi quartanas, quæ ad anni medietatem, & ultra duravêre, profligavimus.

Peruviani corticis doſis ab aliquibus præſcribitur drachma una, ab alijs drachmæ duæ, hîc verò ʒijß. tunduntur, & in pollicem rediguntur. Cœterùm varianda eſt pro ætatis, temperiei, & adjunctorum ratione; in tenellis nàmque & delicatulis minor doſis propinanda eſt.

Infunditur chinæ de chinâ pulvis horâ unâ, vel duabus, vel tribus ante paroxyſmum in vino, & inchoante febre cum partium extremarum refrigeratione, vel febrili frigore ſumitur tota doſis præparata, ægerque ſe componat in lecto, vel ſumi poteſt horâ unâ antequàm febrilis paroxyſmus invadat. Poteſt minùs in vino macerari, & vix infuſo pulvere, extinguntur febres, imò quandòque in ipſo acceſſionis articulo cum vino miſcuimus pulverem, & ſublata fuit febris. Prætereà aſſumptum poculum poſt horæ quadrantem evomiſſe, & febrem curatam fuiſſe notavimus. Vel diutiùs in vino maceratur, ut per duodecim horas, quadraginta, & quinquaginta, mò poſt triduum, quatriduum, per octiduum &c. & eoſdem laudabiles effectus peperiſſe comperuimus. Poteſt infundi non ſolùm in vino, aquâ cardui ſancti, & ſero lactis, ſed multifariam præparari, aliquas in tyronum gratiam deſcribemus formulas, ut

℞. Chinæ de Chinâ ʒj. *vel* ij. *vel* ijß.
fiat pulvis ſubtiliſsimus,
qui infundatur per tres, vel quatuor, vel ultra horas ante acceſsionem in
vini albi generoſi ℥iij. *vel* IV.

& in acceſſionis initio, cùm jam extrema frigent exhibeatur infirmo vinum ſimul cum pulvere, nàm poſt illam acceſſionem ampliùs non recurret quartana, & dignum eſt admiratione, quod licèt poſt horæ quadrantem, ut ſuprà notavimus, hoc medicamen ob ventriculi nauſeam, vel imbecillitatem vomitu rejiciatur, non proptereà infirmus febris curatione defraudabitur.

Pro puerulis, & delicatulis:

℞. Chinæ chinæ ℈ß. *vel* ℈j.
infunde in vin. alb. generoſi ℥j.
poſt trium horarum ſpatium infuſionem decanta, & propina, nàm virtus vino impreſſa ſatis eſt ad febres fugandas; adultis quoque corticis infuſionem per decantationem reddimus claram,

& rejecto pulvere, pari laborantium emolumento exhibemus.

Ex eodem cortice parari poteſt *Tinctura*, ut

℞. *Corticis peruviani* ℥j.
f. pulvis ſubtiliſſimus.

quem injice in vas vitreum, ſuperaddendo

vini ſublimati lib. ß.

orificium vaſis deindè exactiſſimè obſtruatur, & ſepeliatur in ventre equino per xv. dies, poſt quos aperiatur vas, & vinum ſublimatum pulcherrimè tinctum à facibus ſepara per inclinationem, & ſerva in vaſe vitreo optimè clauſo, & pro exigentiâ

℞. *Tinct. cort. Peruviani* ʒj.
vini generoſi ℥ij. m.

& exhibe quartanario, incipiente paroxyſmo; ceſſabit enim quartana, non ſecus ac ſi poculum chinatum devoraretur.

Vel *Tinctura* hoc alio modo parari poteſt, ut

℞. *China de chinâ* ℥iij.
ſalis tartari ʒj.
ſpiritûs vini q. ſ.
extrahe l. a. tincturam.

Joannes Zuvelfer, in pharmacopœiâ Regiâ ex chinâ chinæ cum adjunctis *Extractum antifebrile* itâ parat:

℞. *Cort. china china* ℥ij.
rad. calami aromatici ℥i.
gentianæ,
flor. Centaurij min. ana ℥ij.

ex inciſis, & craſſiusculè contuſis eliciatur cum ſufficiente quantitate ſpiritûs vini repetitis vicibus affuſi, virtus tota, quouſque ſpiritus vini colore rubro inficiatur: ſpiritus tincti omnes filtrati in alembico vitreo per M. B. ad extracti ſpiſſioris conſiſtentiam deſtillando, leniter abſtrahatur.

Servetur extractum reſiduum ad uſum, quod præſentaneum eſt remedium in febribus tertianis, & quartanis, cùm intermittentibus, tùm continuis, inſtante paroxyſmo, vel horâ unâ, aut alterâ antè exhibitum. Doſis ℈j. aut ʒß. ſive in formâ pilularum, ſive in liquore appropriato ſolutum. Nota: ex ſolâ coctione chinæ chinæ (quæ Romæ, & Venetijs venalis proſtat) extractum ſimpliciter confectum, eaſdem obtinet virtutes paroxyſmos, fermentumque febrile exſtinguendi, & diſſipandi, quo certè præſentius remedium, aut febrifugum hucuſque non ſit inventum, vel rarò, vel nunquàm fallens medicum, aut ægrum, modo debito tempore, opportunè, ac præmiſſis præmittendis exhibeatur.

Corticis Peruviani pulverem in pilulas etiam redegimus, & unâ, vel alterâ horâ ante acceſſionem pari eventu propinamus, ut

℞. *Cortic. Peruv* ʒj.
f. pulv. ſubtiliſſ. &
cum ſyr. de card. ſancto f. pil. vij.
& deaurentur.

Itèm cortex cum purgantibus miſceri poteſt, ut

℞. *china china* ʒj.
diagrydij gr. viij.
ſalis abſynth ℈ß. m.

Vel ℞. *China de china* ʒj.
ſcammonij gr. vij. m.

& exhibe in fine paroxyſmi. Vel miſcetur cum ſudoriferis.

Habemus nos nobile *extractum febrifugum* in noſtrâ *Mantiſſâ* deſcriptum, & ob ejus eximias virtutes placet hîc etiam deſcribere:

℞. *flor. centaur. min.*

fol.

fol. abſynth.
cardui ſancti,
ſcordij ana. m. j.
rad. gentianæ,
chinæ de chinâ ana ʒj.
imperatoriæ,
ariſtoloch. rotund. ana. ʒjß.
cort. cupreſſ. median.
rad. fraxini ana. ℥ij.
aurant. exterior. exſicc. ℥ß:
lign. viſci querc. ℥ij.
nuc. moſch. num. iij.
caſſ. lign. ʒijß.

Contundenda, & incidenda contundantur, & incidantur, affundanturque in vini ſpiritum rectificatum ad trium digitorum eminentiam, ſtent in loco tepido, extrahatur tinctura, & novus ſpiritus reaffundatur, & iterùm extrahatur, quod tinctum eſt, & toties fiat infuſio, & extractio, donec ſpiritus non ampliùs tingatur. Tincturas omnes filtra, & ex cucurbitâ vitreâ lento igne extrahatur ſpiritus ad extracti liquidi remanentiam, cui poſtmodùm admiſceantur ſequentes pulveres tenuiſſimi, ut

myrrh rubr. ʒij.
caſtorei ʒj.
croci or. ℈ij.
ſalis ammoniaci volatilis ʒj. m.

& lentiſsimo igne reduc ad extracti conſiſtentiam, & ad ſequentes uſus ſerva.

Omnes febres abigit, potiſſimùm quotidianam, tertianam, quartanam, hemitritæum, & febres omnes cum rigore, & partium extremarum perfrigeratione invadentes. Ante paroxyſmum, vel inſtante ʒj. in pilulas tres redacta exhibetur, & tribus vicibus has exterminat febres.

Sed ne D. O. M. ijs remedijs Europeos privâſſe, quibus Americanos ditavit, proponemus corticem alium arboreum, qui nil chinæ de chinâ in febrium intermittentium curatione cedit, noſtrâ induſtriâ, ex proprietate ſaporis in noſtris regionibus repertus, & uſu, ac experientiâ confirmatus, ſi eodem modo, & eâdem Peruviani corticis quantitate exhibeatur, hactenùs hoc remedium inter arcana habuimus, nunc primùm ex pauperum commiſeratione in publicum proferimus, cùm arbor, à qua cortex evellitur, in omni regione ſit frequens, illa *Cupreſſus*, quæ quamvis feralis, & funebris ſit, magna tamen condit contra mortis ſpicula medicamina: Menſe ergò Maij in ipſâmet cupreſſi arbore rami decorticentur uſque in ligni duritiem, ità tamen ut decorticatio incipiat fieri à parte trunci, & proſequatur verſus extremos ramos, à quibus non omninò auferantur, ut ſponte ſicceſcant, ijs appenſæ remaneant cortices, cùm ſicci erunt, indè auferantur, & ſub tecto ſerventur, in quo liber ſit aër, & eò ſicceſcant, quò in pulverem redigi poſſint:

℞. *Horum corticum* ʒijß.
f. pulvis ſubtiliſſ. &

ut de chinâ chinæ ſcripſimus, exhibeatur.

Idem experimentum præſtat *cortex ramorum viſci quercini*, ſed neceſſe eſt, ut bis, vel ter repetatur, inveniuntur tamen certæ cujuſdam arboris viſci rami, quorum cortex cùm quartanam, tùm epilepſiam curat, ſed id palàm facere tempus non eſt opportunum.

Injuria fuiſſet nobis natura, & illam ut iniquam Novercam accuſare debe-

deberemus, ſi pro intermittentibus febribus exſtinguendis ab Indijs occidentalibus remedia mendicaremus. Actum eſſet de curationis ſpe, ſi à diſſitis terræ plagis, ſi ab ultimâ Thule pro noſtratibus curandis morbis exotica expectaremus præſidia, quæ ſubdolus quæſtûs libidine allectus in noſtras magno cum noſtro impendio oras aſportat mercator. Profectò in noſtratibus plantis adhuc ſummæ virtutis medicamina latitant, quibus graſſantes noſtris in regionibus morbos curare valemus: ità cupreſſi, & viſci querni cortex, & præter hunc multis alijs potimur, & præ omnibus *Gentianæ radice*, cujus ſapor eſt acris, & impensè amores fortiter penetrans, & aliquantiſper adſtringens, & hinc meritò Peruvianæ cortici, quæ gentiana Indorum dicitur, ſubſtituitur, cùm adamuſſim omnes hujus gaudeat notis, nec adulteratur, & ante Americani corticis in noſtras regiones aſportationem in magna veneratione habita fuit, & in percurandis tertianis, & quartanis tùm chronicis, quùm nothis uſitatiſſima, & proficua ſemper experta, & etiam nunc à cordatis medicis felici eventu propinatur tàm ſub pulveris, vel decocti, quàm extracti, vel ſalis volatilis formâ.



Poſt gentianam planta febrifuga eſt *Centaurium minus*, quod terræ fel nominari ſolet, propter egregiam, & expertiſſimam virtutem, quam exerit in febribus intermittentibus quibuſcumque ſive ſint ſimplices, ſive compoſitæ, ſive erraticæ, ſive periodicæ &c. eliminandis, & perſanandis, & profectò nullum datur melius vegetabile in febribûs intermittentibus.

Inter febrifuga non infimum tenet locum *Abſynthium*; hoc enim quaſcumque ſtomachi cruditates potenter abſtergit, & quodcumque in corpore vitioſum acidum corrigit, & emendat, craſſos incidit, & attenuat ſuccos, & in ſpecie quaſcumque intermittentes ſanat febres.

Cæterùm hæc febrifuga in formâ pulverum, vel potionis ingrata ſunt, quoniam non parùm amaricant, præſcribi poſſunt extracta plantarum febrifugarum ſub formâ pilulari tàm ſolitariè ad ſcrup. j. vel ʒß. quàm concomitanter, quia virtus fortior, vt

℞. *Extracti gentianæ,*
centaur. min.
abſynthij ana ʒß.
formentur pilul. xv.
& deaurentur

quarum quinque aſſumantur unâ horâ ante paroxyſmum, præmiſſis univerſalibus, & his curata eſt febris. Nos pro hominibus tenuioris fortunæ ità cum fructu præſcribimus:

℞ *Rad. gentianæ ʒ j.*
flor. Centaur. min. ℈ *j.*
pulveriſa, & cum theriacâ
formentur pilul. XII.
pro duabus doſibus.

Imperatoriæ radix contra febres intermittentes quaſcumque ceu expertum ſpecificum commendatur, ſive adhibeatur eſſentia in formâ liquidâ, ſive ſal fixum, quod velut catholicum febrifugum æſtimatur à ℈ *j.* ad ʒß. ante paroxyſmum.

Inter

Inter hæc vegetabilia febrifuga ſummoperè commendatur *Myrrha*, & in ſpecie in quartanâ, quæ propinatur ante paroxyſmum à ℈j. ad ʒß. vel ſolitaria, vel etiam ſecundum antiquorum methodum cum caſtoreo, & id non eleganter. Utrumque caſtoreum, & myrrha permiſcetur ad ℈j.& propinatur in hauſtu vini ante paroxyſmum.

Antiquiſſima fuit Galeni methodus in curanda quartanâ, primò propinando vomitorium, & ſequenti die bibendum abſynthij ſuccum dedit, tandèm duabus horis ante paroxyſmum theriacam præbuit, & ſic quartanas omnes curabat Galenus.

Nos multos quartanarios curavimus, propinando per octo dies ſyr. de quinque radicibus cum cremore tartari, & poſtmodùm ſpecificum Crollij exhibuimus, & curata eſt quartana. Itèm prægreſſo vomitu, in paroxyſmo propinavimus *Cumini*, & *nucis moſchatæ ana* ʒj. *in vino generoſo infuſ.* per tres vices, & multos quartanarios curavimus.

Præterea *Sal Ammoniacum* eſt egregium, & nobiliſſimum febrifugum in febribus intermittentibus, & præſertim in quartanâ, cujus curatio perfecta in hoc ſale conſiſtit, ſi præmiſſis præmittendis, in ſpecie vomitu, ante paroxyſmum exhibeatur, & melior eſt expectandus ſucceſſus, ſi maritetur cum lapide cancrorum, ut

℞. *Salis ammoniaci depurati gr.* xv.
Lapid. cancrorum ℈ß.
m. f. pulvis.

Raró bis aſſumitur, niſi altas egerit radices, quin febris ceſſet quartana. Cœterum ejus ſpiritus eſt febrifugum catholicum, ſi cum appropriato vehiculo aſſumatur à guttis x. vel xv. ad ſummum. Ejuſdem efficaciæ etiam erunt flores ejuſdem ſalis.

Lazarus Riverius Centuriâ 3. inſigne antiquartium in omnibus ſuarum centuriarum obſervationibus eximijs decantatum encomijs exhibet, quod nos in noſtrâ *Pyrotechniâ ſophicâ lib.* 4. *cap.* 3. *art.* 4. explicuimus, cujus ipſe obſcuram, & tenui velo obvolutam, fidelem tamen, & omni fraude vacuam deſcriptionem proponit, quam nos hic in quartanariorum gratiam libamus, inquit enim: *Componitur ergò pretioſum hoc medicamentum ex triplici Hercule duodecim laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tandèm quartus athleta additur, operis complementum efficiens.* Paratur *ex auri, & vitri antimonij ana* ʒß. *Mercurij vivi* ʒiij. *unumquodque ſeorſim in ſuâ aquâ ſolvitur, ſolutiones omnes conjunge, & aquas deſtilla, iterum affunde, & rursùs abſtrahe ad* XII. *uſque cohobationem, tunc iſti pulveri præcipitato vini ſpiritum affunde, quem renovatum ab eo abſtrahe, donec fixus, & inſipidus evadat, tunc ſub tegulâ igniatur; quibus tandèm de ſcammonio nonnihil additur, operis complementum efficiens.* Hinc eſt, quòd vomitum, ſudores, & ſedes movet ratione vitri antimonij non ritè correcti.

Helmontius poſtquàm omnia ſcholarum contemnit remedia, & irridet, febrifugum univerſale proponit tract. de febribus cap. 14. vocatque *præcipitatum diaphoreticum*, vel *Mercurium diaphoreticum*, quem dùm deſcribit, margaritas ſubtrahit porcis, & velum adhùc perſpicaciſſimis ante oculos objicit. Eſt iſte Mercurius diaphoreticus fixus, & tinctus cum ſul-

phuræ Veneris, ſeu elemento ignis ex vitriolo Veneris, de quo fuſiùs in noſtrâ *Pyrotechniâ* libro ut ſuprà.

Febrifugis extinctâ quartanâ, infirmi corpus purgandum eſt poſt quartum diem ab aſſumpto febrifugo, id alijs omnibus dejectivis præſtantius efficit conſerva ex floribus perſicorum, quæ cùm ſit maximè ſolutiva, & hydragoga, ſiquid aliud ſupereſt in liene reſolvit, illudque tùm per inteſtina, cùm per veſicam deturbat.

Cæterùm ſi tumor, vel durities aliqua in liene ſuperſit, non erit incongruum, ut omninò recidivæ timor auferatur, ſuprà deobſtruentia notata poſt ſpecificam curationem iterùm exhibere; nàm illorum uſus nec medicum, nec infirmum pænitebit.

Pro noviſſimâ intentione perſolvendâ reſtat viſcerum corroboratio, & acoris peccantis major emendatio, pro qua in uſum revocandæ ſunt miſturæ confortativæ ex *aquis cordialibus temperatis*, *lapidibus cancrorum*, *antihectico Poterij*, *corallis*, *ſaccaro perlato*, *margaritis pro divitibus*, *pro pauperibus cornu cervi præparato*, *martialibus*, & ſimilibus acorem abſorbentibus, & ſanguinis craſim, ac viſcerum tenorem emendantibus.

Tædet hùc omnia medicamenta referre, quæ proficua eſſe poſſunt, cùm nauſeam potiùs quàm quid boni lectori pariant; ſelectiora, & magis ſalutaria deſcripſimus, & quæ indubitata nobis experientia patefecit. Præſtat quiſque ut paucis, & optimis contentus ſit, quàm plurimis, & fruſtraneis uti.

Conſentaneum eſſet pro quartanæ curatione medicamenta extrinſeca recenſere, ut quæ carpis admoveri ſolent, cùm non infimæ ſortis auctores illis aliquid tribuant, ut eſt *Radix urticæ contuſa*, *Ranunculus*, *folia rutæ*, *Tinca per medium diſſecta*, *allium contuſum cum croco*, *aceto &c.* Sed non voto reſpondent: ſunt medicamenta ab impoſtoribus excogitata, tunc cùm omnia incaſſùm tentârint, ut eorum applicatione expectent beatam curationis ſpem, optatos quandòque peperiſſe videntur effectus, quia poſt longam applicationem venit *beata illa Vetula, quæ accedit in fine morbi.* Nonnulli vulgares medici magnifaciunt *Amuleta* contra quartanam, ut *tres plantaginis radices ante ſolis ortum collectæ*, *& ex collo ſuſpenſæ. Aranea viva in putamine nucis avellanæ*, *& de collo ſuſpenſa. Scarabæus vivus in marſupilio incluſus*, *& de collo geſtatus*, perſeverat febris, vivente ſcarabæo, mortuo verò exſtinguitur. Nonnunquàm tanta eſt medicorum ignorantia in curandâ quartanâ, ut ægri, ademptâ omni ſalutis ſpe, ad incantationes, ſuperſtitiones, & maleficia, vel ad amuleta, quæ ridicula poſteà inveniuntur, pro valetudine comparandâ confugiunt. Non inutile erit hùc referre quaſdam febres curatas per amuletum ridiculum deindè compertum: Erat quædam Vetula, quæ multis menſibus quartanâ laborabat, fruſtrà omnibus vulgarium calicibus exhauſtis, ſalutis anxia, ſecretum, ut à tàm pertinaci, & rebelli febre ſe extricaret, percontabatur: quidam Monachus feſtivus ex joco ſe infallibile arcanum pro ſanandâ quartanâ habere dixit, eique promiſit, exindè quotidiè angebatur ab anu, ut promiſſis ſtaret, tandèm impatientiſſimus ſchedulam conſ-

conſcriptam, fortiter obvolutam, & vinctam illi conſignavit, mandavitque ne eam reſeraret, aliter curandi febrem facultas amitteretur, impoſuitque, ut inſtante paroxyſmo, brachio alligaret, quod alacriter peractum fuit, nec præconcepta ſpes eam fefellit, nàm ex alligatione febris ampliùs non rediit. Vagabatur ſchedula hæc per urbem, & curando febres quotidianas, tertianas, & quartanas, increvit rumor, pervenit tandèm in cujuſdam febrientis manus, qui, abactâ febre, tanti arcani exemplum ſecum retinere cupiebat, clam cum agnatis, ſoluto nexu, recluſa, ac viſâ ſchedula, hæc verba Italicè conſcripta oculis deprehendit: *Zia Antonia, quando eri giovane, eri puttana, adeſſo che ſei vecchia, ſei ruffiana.* Quot fuère crepitus, riſus, & cachinni, non eſt facile aperire, & ſchedula contra febres omni virtute caſſa jacuit.

Si quæras, quomodò febres per amuleta, etiam ridicula aliquoties curentur? Reſpondemus in his ſolâ imaginatione, & forti Ideâ curam peragi, citra ullam materiæ occaſionalis excretionem, naturâ reliquum ſatagente.

Præter febrem quartanam, quæ quarto quoque die recurrit, ſi paroxyſmi quinto quoque die recurrant, dicitur *Quintana*; Si ſexto, *Sextana*; Si ſeptimo, *Septana*; Si nono, *Nonana* vocatur. Quin & dantur febres *Menſtruæ*, ſingulis menſibus redeuntes, talem febrem menſtruam obſervavit *Lindanus* in muliere, quæ toties quoties menſtruam patiebatur purgationem, ordinariò per triduum febricitabat. Imò dantur febres *Anniverſariæ* ſeu ſingulis annis certo tempore redeuntes: Verùm quia hæ febres infrequenter eveniunt, de his nullam habemus rationem.

CAPUT XXIV.

De Curatione febris, quæ ab excrementis per inteſtina deſcendentibus concitari ſolet.

De ſeroſitatibus, quæ in ventriculo ab ingeſtis ſeparantur, jàm egimus, nunc de craſſis eorum fæculentiis, quæ per inteſtina excerni debent, erit ſermo.

Duplici modo excrementa, quæ per inteſtina deſcendunt, febrem excitare poſſunt, vel quia nimium exſiccata moram in ijs faciunt, & opportuno tempore non excernuntur; vel quia ob digeſtionum errores in fluorem adiguntur, & intempeſtivè præcipitant; ſi primum eveniat, dicitur inteſtinorum conſtipatio; ſi ſecundum, inteſtinorum fluxus.

Signa.

Hîc non loquimur de omnimodâ inteſtinorum conſtipatione, in qua nihil per inferiora excernitur, qualis in Ileo contingit, ſed tantûm de pigrâ, & tardâ alvi dejectione, qua ciborum reliquiæ raró pro aſſumptorum ratione dejiciuntur, cui febris ſupervenit, undè ſiquis quotidiè fæces ciborum quantitati reſpondentes non excreverit, & capitis dolore vexetur, cibum non appetat, vel ingeſtum ægrè ferat, circa veſpertinas horas totum corpus languidum ſentiat, facies paulatim palleſcat, ſignum eſt febrem ex alvi conſtipatione imminere ſi

urinæ exceſſus excrementorum defectum non ſuppleat, febris hæc excitari ſolet levi cum calore, dolore capitis, & ſiti; circa veſperas aliquantulùm invaleſcit, noctes facit aliquandò vigiles circa auroram remittitur, ſed ad integram infebricitationem non pervenit, & à cibi aſſumptione iterùm invaleſcit. Urinæ vel aqueæ ſunt, vel languidum præſeferunt colorem.

Cauſæ occaſionales.

Cauſæ, quarè alvi fæces in expulſione remoram contrahant, multæ ſunt, ut quandò non ſtimulant, quia ad inteſtinum rectum non perveniunt, vel quia nullæ adſunt, vel ob earum paucitatem ex paucis aſſumptis alimentis, vel propter ineptitudinem ad periſtalticum inteſtinorum motum: quandò enim ineptæ ſunt in motu, fit, ut inteſtinorum cellulis, imprimis coli ſtagnant, & non poſſunt protrudi; vel ineptæ ſunt propter exſiccationem, & indurationem, & in calidâ corporis conſtitutione, febribus ardentibus, & cæteris, in quibus viſcerum humiditas reſolvitur, & fæces indurantur. Quidam ſalivantia quotidiè uſurpant, quibus ſalivæ ubertas in os attrahitur, & tàm opiparè expuitur, ut ſæpè totum pavimentum ſputo madeat, iſta humiditas ab inferioribus partibus ſurſùm rapitur, ità ut inteſtina tùm ſimiliter parum ſucci retineant, ut etiam his accidit, qui conſuetudinem arrogant ad quoduis verbum expuendi. Itèm hoc idem his, qui in ſuis cibis radicibus, vel ſeminibus diureticis, vel diaphoreticis delectantur, undè major humiditatis pars quotidiè aſſumptæ ad renes, vel cutis poros tranſit, ac per urinam, vel ſudorem educitur.

Duritiem contrahunt, quia nimis exſiccantur, quod provenit ex cibis nimis ſiccis, ità ſunt ova ad duritiem cocta, carnes aſſæ, caſeus vetuſtus, hyppax, cæteraque lacticinia, vel ſi pauco diluantur potu. Itèm edulia conſtipantia, & auſtera, quæ in delicijs habentur, ut mala cydonia, meſpila, ſorba, ceraſa cum nucleis comeſta, amarenæ, corni, amygdalæ dulces, caſtaneæ, glandes, præſertim ſi primâ ſumantur mensâ.

Si per aliam viam fæces reijciantur, ut contingit in Ileo, alijſque vomitionibus ab inteſtinis cauſatis, ut & in vulneribus, ac per tunicas penetrantibus inteſtinorum ulceribus.

Idem accidit inteſtinorum vitio, ſi inteſtina ſuperiora occudantur, & fæces ad inteſtinum rectum non deſcendant propter tumorem, ſcirrhum, inflammationem, gangrænam, vel ſi coaleſcant, ut *Marcellus Donatus de nobili equite Carolo Nuvolono* refert *de hiſt. mirabili lib.* 4. *cap.* 10. *Huic enim cùm aluus ſupprimeretur, nec alijs modis aperiri poſſet, undecimo die mortuus eſt. Corpore aperto, inteſtinum rectum ità in parte ſuperiori per digiti tranſuerſi longitudinem cojuiſſe, & coaluiſſe inventum eſt, ut vix tenuioris funiculi craſſitiem æquaret, utrinque in confinio inteſtini partibus in tumorem quendam velut glanduloſum elevatis.* Nonnunquàm poſt dyſenteriam in fine ità coaleſcunt, & invicem conſolidantur inteſtina, ut exindè non rarò poſtmodùm lethalis alui ſuppreſſio ſequatur. Idem accidit, ſi ſtupore,

pore, vel paralyſi laborent, nàm etiam tùm temporis parum, aut nihil excernitur. Undè non rarum eſt, ut in apoplexiâ fruſtrà inijciantur chyſteres propter inteſtina paralyſi affecta, Vel muſculorum abdominis vitio, qui in fæcum excretione expultrici opem ferunt, quia vel in ipſis vicinis abdominis partibus affectus aliquis eſt, qui dolorem parit, ob quem ipſorum motus impeditur.

Siccior redditur alvus à fæcum viſciditate inteſtinorum parietibus adhærente, quæ impedit, quò minus excerni poſſint. Undè ij, qui uberibus alimentis craſſis, & viſcidis utuntur, ſeu qui eadem in copioſum mucum ex depravatâ digeſtione tranſmutant, alui obſtructioni obnoxij eſſe ſolent; hinc hypochondriaci, quorum inteſtina hac referta ſunt mucagine, ſemper de alui obſtructione queruntur: Sic qui vitam agunt ſedentariam.

Vel tandèm aluus tardè ſuum deponit onus, quia fæces non ſtimulant, vel quia nullæ ſunt, vel eſto adſint, mordacitate, & acrimoniâ vacant; hæc autem irritatio in inteſtino recto fieri debet, & licèt in reliquis inteſtinis fæces adſint, tamen ſi ad inteſtinum rectum non deſcendant, nulla fit irritatio, ut diximus in vomitu, Ileo, vel ob alios inteſtinorum ſuperiorum morbos, vel ſi per alium excernantur locum, ut per vulnera, & ulcera. Vel non deponit onus venter; quia mordacitate carent, vel dùm ex alimentis viſcidis, & craſſis genitæ ſunt fæces, mordacitas nàmque viſcidis obtunditur, & non ſentitur, Vel quia bilis, quæ inteſtinis pro fæcum excretione inſervit, deeſt, vel aliò transfertur, ut fit in ictericis, vel evacuata eſt, undè poſt medicamenta purgantia aluus ad unum, vel plures dies ſubſiſtere ſolet, donec novus bilis proventus regignatur, & inteſtina excrementis ſint referta. Vel eſtò acrimonia ſentiatur, retineantur fæces, in retentione aſſueſcunt, & indurantur, ut ijs accidit, qui propter forentia, vel alia negotia præter debitum tempus retinent.

Præterea immediata alui retentionis cauſa eſt ſuccus felleus, vel pancreaticus malè affectus, & à ſuâ naturali indole recedens vel ſecundum quantitatem, vel qualitatem delinquens; undè ſi ſuccus felleus, qui vulgò bilis dicitur, non deferatur ad inteſtina propter ductum bilarium obſtructum, vel bilem in calculos concreſcentem, vel pituitam viſcidam ipſum ductum obſtruentem, & id ob aſſumpta alimenta viſcida, & ſimul pinguia, vel quoties ob alimenta craſſa ejus ſal volatile obtunditur, vel parcior quàm par eſt, vel debilior, ut eſt in mulieribus, ad inteſtina defertur, vel ſi iners, & viſcida reddatur, perpetuò alvinarum fæcum ſecretionem remoratur. Hoc ità eſſe inprimis oſtendit Icterus: in hoc ipſo enim quia hujus ſucci ad inteſtina denegatur tranſitus, ob ejus abſentiam aut omninò, aut maximâ ex parte indaratæ fęces eſſe albicantes, nec tinctæ prodire ſolent. Peccat ſuccus pancreaticus, ſi ſuam non ſervet craſim, ut ſi acidior, acrior, acerbior, vel auſterior ſit. Hinc hypochondriaci, itèm mulieres hyſtericæ ut plurimùm obſtructâ laborant aluo propter nimiam ſucci pancreatici auſteritatem, cujus auſteritate induratæ fæces diu-

tiùs in inteſtinis ſubſiſtunt.

Diximus alibi, quòd peractâ ventriculi fermentatione, & æthereâ ciborum parte ſecretâ, ac per fibrarum intercapedines in univerſum corpus pro nutritione diffuſâ, ciborum reliquiæ per pylorum in inteſtina deſcendentes, quia æthereæ ſubſtantiæ portionem in penetralibus, quæ non integrè ſecreta fuit in primâ fermentatione, vinctam continent, ſecundâ indigent, adhoc ut excutiatur: ad hunc finem natura quatuor utplurimùm tranſverſis digitis ſub pyloro ductum biliarium & pancreaticum implantavit, per primum ſuccum biliarium è ſuo folliculo, & alterum pancreaticum immittit, qui ciborum reliquijs ſe commiſcentes, magnam excitant effervescentiam; ſuccus nàmque bilarius ſuo ſale volatili, & oleoſo, ut pancreaticus ſuo ſpiritu ſubacido abundat, ut ex ſalſo, & acido magnam effervescentiam in multis operationibus ex chymiâ petendis excitari obſervavimus. Hinc ciborum reliquæ inciduntur, fluentes redduntur, & ætherea, ac ſpirituoſa pars à fæculentijs ſe extricat pro corporis nutritione, & fæces omni æthereâ parte depauperatæ per inteſtina ad anum detruduntur, & foràs eliminantur.

His cauſis occaſionalibus tàm mediatis, quàm immediatis adductis, dicimus, quòd fæces per inteſtina deſcendentes febrem concitant ob nimiam moram, qua mediante earum ſulphur fit fætidum, degenerant fæcum proprietatem amittunt, acquiruntque indolem naturę inteſtinorum hoſtilem. Hinc ſtatim principium motûs inteſtinorum œconomiam gubernans, ſuos depravatos motus edere cogitur ob degeneratarum fæcum præſentiam, & conſequenter nutrimentum in inteſtinorum fibris degens depravatur, quod deindè motûs depravationem proximiùs ſuſtentat, & fouet, uſque dùm cordi fit particeps, & exoritur continua febris.

Prognoſis.

Alvi conſtrictio malum frequens eſt, nec lethale, ſed ſi diù protrahatur, ſecundum magis, vel minus perculoſum eſt, & pro minori, vel majori cauſarum gravitate lethum inferre poteſt ſive mediatè, ſive immediatè, ſequente Ileo, de quo in noſtrâ *Trutinâ* diximus. Si ab inflammatione, vel alio inteſtinorum tumore, graviſſimum, & plurùmque lethale eſt, & præſertim ſi à coaleſcentiâ ortum ducat. Quandòque tàm pertinax, & diuturna eſt alui conſtrictio à ſcybalis induratis, ut colicos dolores diuturnos faciat, qui ſemel ſedati, frequenter recurrunt, quia purgantibus aluus ſoluta licèt videatur, & excrementa liquida eliminata ſint, vel nova fit fæcum exſiccatio, vel non pauca excrementa indurata, & ſolida in inteſtinis ſubſiſtunt, quæ novos pariunt dolores; excrementa enim liquidiora præterfluunt, & ſicca, & dura adhærent. Undè non nulli bardi vulgares, quia in latere ſiniſtro colon fit anguſtius, & ibidem hærentia ſcybala talem inferunt dolorem, quem pro ſplenico accipiunt. Alvi conſtipatio multa ſecum vehit ſymptomata, ità ut in excrementorum nixi, & expulſione interdùm ſuperveniat animi deliquium, narium hæmorrhogia, enterocele, aneuryſma &c. Tandem obſtructa

alvus

alvus; ſemper capitis ſymptomata augere ſolet, corpus ingraveſcit, ventriculi coctio læditur, reliquæ coctiones malè ſe habent, & flatus generantur. Præſtat propterea tàm in ſanis, quàm in ægris aluum quotidiè ſuum peragere munus, quàm adſtrictam eſſe. Hinc præmonentur in capitis vulneribus, & quibuſcumque capitis affectibus, ut alvus ſervetùr libera propter conſenſum, quem mediantibus nervis copioſiſſimis omnia interna viſcera, in ſpecie inteſtina, habent cum ſuo principio cerebro.

Quoad febris ab excrementis per inteſtina deſcendentibus concitatæ prognoſim attinet, dicimus: ſi diſpoſitiones ab exceſſibus, quos ſuprà notavimus, conſtipationi præceſſerint, peſſimi moris febris expectanda eſt, nàm eo caſu nutrimentum malè diſpoſitum inter inteſtinorum fibras à conſtipatione fit degener, & fovebit illam febrem, de qua latiùs infrà agemus, ubi de nutrimento degenerato; Verùm ſi exceſſus, & diſpoſitiones non præceſſerit, conſtipatio fæcum potiùs in chronicum morbum, quàm in acutum properat, in obſtructionem ſcilicèt, & hypochondriacum affectum.

Curatio.

Indicatio in hujuſmodi febribùs curativa eſt, ut venter primò emolliatur, & ea conveniunt, quæ fæces fluxiles faciunt, & vias lubricant; deindè ea adhibenda ſunt, quæ ſtimulant, & hæc ſalina ſunt, quæ leniter inteſtina irritant, quod primò enematibus tentare oportet, & ità præſcribenda ſunt:

℞. *Decoct. com. herb. emoll. q. ſ.*
olei, & mell. viol. ana ℥iv.
diacatholic. ℥j. m.

fiat injectio per ſedem uno, atque altero mane. fiat etiam inunctio per univerſum abdomen hoc modo:

℞. *Butyri recentis q. ſ.*
abluatur quinquies cum vino albo, & eo inungatur abdomen bis in die.

His peractis, & victûs ratione inſtituta, ſi febricula illa perſeveraverit, ad ea, quæ per os aſſumpta conſtipationem tollunt, deveniendum eſt. Fugienda ſunt in fæcum conſtipatione purgantia, quæ ſolvunt; hæc enim lædunt potiùs quàm proficiunt, cùm poſt eorum uſum alvus ſiſti, & adſtringi ſoleat, ut diximus. Sunt adhibenda, quæ leniter ſtimulant, & quæ aperiendo abſtergunt, ad hunc finem:

℞. *Cremoris tart.* ℥ß. *vel* ℥j.
fiat pulvis,

qui infirmo exhibeatur in juſculo ante prandium. Vel exhibeatur *Diatartarus in formâ pulveris* alibi à nobis deſcriptus.

Vel

℞. *Tartari alb.* ℥ij.
fiat pulvis, qui
ebulliat in aqua font. ℔iij.
ad dimidiæ libræ conſumptionem, tunc injice
fol. ſen. or. ℥j.
cinnam. contuſi ʒij.



bulliant parùm, & auferatur vas ab igne, quo refrigerato, fiat colatura abſque expreſſione, & hujus *Aquæ ſolutivæ ſimplicis* exhibe infirmo ℥viij. ſingulis diebus per tres dies.

His peractis, & abactâ febre, ſi conſtipatio perſeveret, inſtituenda eſt curatio emollientibus, & irritantibus,

tibus, & primò omnes cauſæ occaſionales, quæ aluum deſidioſam reddunt, detrahendæ ſunt: Poſtmodùm cauſæ internæ, quæ multiplices ſunt, appoſitâ medelâ auferendæ. Si ſcilicèt inteſtinorum inflammatio, aliuſque tumor, ſi ícterus, ſi ani ſtupor, & conſimiles cauſæ ſint, tollantùr ijs medicaminibus, quæ in proprijs capitibus deſcripta ſunt; non enim tàm varias cauſas uno capite explicare, & his mederi facile eſt. Semper conſtipationis cauſæ contrariam cauſam admovere oportet juxta vulgarium medicorum famigeratum effatum: *contraria contrarijs curantur*; Undè ſi ciborum paucitate alvus ſit conſtipata, cibi plures, ſi ſiccitate humidiores præbendi ſunt: ſi auſteritate, & acerbitate dulcibus, & pinguibus cibandi ſunt ægri. Si conſtipatio oriatur ratione ætatis, ut habetur *aphor.* 20. *ſect.* 2. *Quibus juvenibus alvus humecta eſt, ijs ſeneſcentibus exſiccàtur.* His nullum, vel leve auxilium adhibeatur, aluſque interim cibis lubricantibus laxa per vices ſervetur, & omnia contraria adſtringentia vitentur.

Ad ſcybala fluxilia reddenda, & inteſtina leviter irritanda, ut eorum motus periſtalticus concitetur, & contenta ejiciantur; primo exhibendi ſunt cibi alvum lubricantes, ut *ſpinächia*, *blitum oleo*, *vel butyro condita*, vel quæ ſimul acria, & nitroſa ſunt, ut *braſſica*, *beta*, *mercurialis*, & pro certo ventrem laxat, ſi *fol. beta*, & *mercurialis ana m. j. coquantur in aliquo vulgari juſculo*, idque capiatur horâ unâ ante paſtum. Plurimi ſunt fructus, qui ventrem ſolvunt, quia facilè corrumpuntur, præſertim ſi diù in ſtomacho retineantur, verùm ab ijs abſtinendum. *Ficus* alvum ſubducunt, ſi in hordei decocto coquantur, cæterùm nimius ficuum uſus improbandus eſt, quia pediculos generat, quòd an verum ſit, ambigimus. *Ova ſorbilia* inſigniter alvum movent, & quo magis ſorbilia, eò magis movent, imò in aliquibus ſubjectis parvam quaſi diarrhœam excitant, quod procul dubio evenit, cùm in cruditatem nidoroſam ova degenerent, quàm per alvum natura exturbat. Ex *paſſulis* præcipuè *zibibis* fit *vinum paſſulatum* gratiſſimi ſaporis, & odoris, ac velut Deorum Nectar, delicatulis egregium ad ciendum aluum remedium; paſſulæ nàmque nihil aliud ſunt, quà muſtum concentratum, temperatæ in ſe, & quæ blandam irritandi vini habent. Itèm paſſulæ aſſumptæ egregiè hypochondriacis, quibus alvum ſuſtinent apertam, conveniunt. Ex paſſulis multæ concinnantur compoſitiones, quæ laxativæ dicuntur, quarum deſcriptiones in pharmacopœis videantur.

Inter medicamenta alvum cientia utiliſſimam cenſemus *Aloëm*, ſi ℥ß. ad ℥j. horâ unâ ante cœnam exhibeatur, nec copioſè, nec aſſiduè, nàm ſi alvus valdè laxatur, & ſequentibus diebus adſtringitur. Hæc vitioſos humores in primis vijs ſtagnantes ſubducit, eſtque medicamentum ſtercoraceum, & ex purgantibus ſola aloë cen-

ſetur

ſetur innocua, quia ſtomachum, & inteſtina à ſubjectis vindicat excrementis; imò inteſtina, & ventriculum roborat, eorum expulſionem ſollicitat, pituitam ijs ſubſtratam abſtergit, & vim expultricem irritat. Eſt naturæ balſamum, quod corpus à putredine conſervat, noxia detergit, & abſtergit, eſt ſpecifica vermium antidotus, quos enecat, & expellit, eſtque arcanum ad vitam longam, undè Italicè dicitur: *Chi vuol vivere l'anni di Noe, prenda l'aloe.* Perperàm præſcribitur aloës lotio, quia per hanc pars mucilaginoſa, in qua tota purgandi vis conſiſtit, facilè per aquam ſeparatur, & relinquitur pars adſtringens, & ex medicamento purgante fit adſtrictivum. Verus parandi modus eſt per ſuccorum imprægnationem, & dicitur inſuccatio; ſic cum ſucco roſarum vocatur *Aloë roſata*, cum ſucco violarum *Aloë violata* &c. Verùm qui ſiccâ corporis conſtitutione ſunt præditi, aloëticorum uſum vitent, undè ſenibus propter ſiccitatem non convenit, ſed potiùs cibis laxantibus eorum alvus emollienda eſt. Nec propinanda ijs, qui fluxui hæmorrhoidali obnoxij ſunt, quia aloë cùm ſit media inter reſinas, & gummata, facilè ani extremitati, vel inteſtino recto adhærere poteſt, & hæmorrhoidum fluxum aſſiduâ ſuâ irritatione, & apertione provocare; undè aloeticas pilulas ſuppreſſis hæmorrhoidibus utiliter adhibemus: Mulieribus verò utero gerentibus non convenit aloë, ſolet námque menſes proritare, & expellere fœtum.

Serum lactis leniter obſtructam proritat alvum, & præcipuè ſi obſtructio ex ſucco pancreatico nimis auſtero, & acido fæces coagulante eveniat; nàm ſerum lactis præbet ſalſum nitroſum volatile, cujus ratione ſalis ſucci pancreatici auſteri, & ſubtilis acrimoniam temperat, & unà fæces emollit, ſive ſolum uſurpetur, ſive per tamarindos imprægnetur, quod egregiè febribus tàm ardentibus, quàm malignis, & ſcorbuticis confert, quia moderatè ſanguinis effervеſcentiam compeſcit, & blandè alvum ſubducit.

Ad ſubducendam alvum conſtipatam mirificè prodeſt *Diatartarus Petri Caſtelli ad* ℥j. ſumptus immediatè ante prandium. Itèm *ſyr. fol. ſen. or.* poſt cœnam. Ad hunc etiam finem obtinendum variæ conſervæ laxativæ parari poſſunt, ut *conſerva roſarum rubrarum, roſarum moſchatarum, vel violarum*, & præcipuè ſi ſacchari loco addatur *Manna corporis Calabrina.* Nos felici eventu utimur *conſervâ prunorum*, quæ ità fit:

℞. *Prunor. Damaſc. exſicc. ſine oſſibus lib.* j.
infunde calidè in decoct. ex
fol. ſen. or. ſ. ſ. ℥jß.
polyp. querc. ℥iij.
aniſorum ʒijß.

donec turgeſcant, deindè bulliant, & cum ſaccharo ſimplici, vel ſyrupato, vel cum mannâ fiat conſerva. Doſis eſt cochlear. j. vel ij horâ unâ, vel duabus ante partum. Leniter movet alvum, lubricamque conſervat, & potiſſimùm ubi clyſteres odio habentur, prodeſt.

Quandòque alvus per multos, & ad longos dies obſtructa eſt, & ſcybala indurata, & ità exſiccata, ut medicamenta per os aſſumpta alvum vince-

vincere non poſſint, & periculo ſunt plena, ne per os rejiciantur, & paſſio ſuccedat Iliaca: tunc ab alvum moventibus abſtinendum eſt, & per clyſmata ſubducenda, & ſcybala rejicienda, hæc námque via compendiaria eſt, tuta, & abſque pernicie. Primò itáque parentur ex emollientibus clyſteres, & pluries ingerantur ex *oleo olivarum*, itèm *ex oleo lini*, vel injiciantur communes, vel ex decocto communi, quibus addi poteſt *caſſia extracta*, *diaphœnicon*, *diacatholicon*, *benedicta laxativa*, *mel roſatum ſolutivum*, *vel mel violatum cum oleis* juxta curantis medici peritiam. His nihil proficientibus, in obſtinatiſſimâ alvi obſtructione fiat clyſter *ex juſculo carnis cum melle roſaceo ſolutivo*, cui addantur *ſalis gemmæ* ʒij. Hoc námque ſal quaſcumque induratas emollit fæces, & fluxile reddit. Quòd ſi ſal gemmæ non ſufficiat, commodiſſimè in clyſteribus incoquitur *pulpa colocynthidis*, *vel trochiſci Alhandal*, *pulpa colocynthidis ad* ʒj. *in nodulo ligetur*, *bulliat in decocto*, & *exprimatur*. Nonnulli in deſperatâ alvi conſtipatione ad ultimum clyſterem confugiunt *ex croci metallorum infuſione*, *vel ex aquâ benedictâ in decocto emollienti*: Verùm tutus non eſt, quia poſſet affectum in Ileum commutare. Sed quia clyſma eſt ani remedium, meritò repudiamus, & tanquam belluinum, & inſtrumentum . . . . . devovemus, medicis tamen vulgaribus conſignamus. Præterea periculo pleni ſunt clyſteres, nàm ſi nimiùm quàm par eſt, ſunt calidi, inteſtinum uſtulant; ſi nimiùm frigidi, ingentes excitant cruciatus; ſi in injectione diſtortè injiciantur, inteſtinum excoriant, exulcerant & difficillimè curatur, quia locus humidus eſt, & excrementis dicatus. Inſuper peſſimum eſt frequenti clyſmatum uſu naturam ſollicitare, quandoquidèm aſſueſcit, torpeſcit, & tandèm ſemper illis irritari vult, ut alvum deponat: melius ergò eſt eis non aſſueſcere, ſed alijs ſuprà notatis medicamentis votum obtinere.

Poſt clyſteres ſuppoſitoria conducunt, quæ parantur ex ſale gemmæ, melle, & pulvere hellebori, vel ex trochiſcis Alhandal, hierapicra cum paucâ quantitate ſalis gemmæ, quorum formulas in pharmacopœis videre eſt. Cœterùm pudendum petulantium eſt remedium, quod in unâ ex illis civitatibus, quas ultor ignis combuſſit, inventum fuiſſe cenſemus: Undè ex hac ratione, & quia facillimè inteſtinum rectum inflammari poteſt, à recentium medicorum aulâ receſſit, tantum ſuppoſitoria, & glandes apud vulgares in frequenti ſunt uſu.

Multa externè adhibentur unguenta laxantia ad motum periſtalticum procurandum, ut alvus laxetur, & proſtat in officinis *Unguentum de Arthanitâ majori*. Itèm *emplaſtrum de felle tauri*, & *colocynthide* umbilico applicatum.

Verùm ſi in fluorem inteſtinorum excrementa adigantur, id vel optimè valentis naturæ robore eveniet, & criticus tunc erit fluor, qui dignoſcitur, ex eo quod ceſſato fluore, natura ad integram tranquillitatem ſe componet; vel ab aliquâ prævia materiâ pertinaciter infixâ natura laceſſita, & irritata fluorem concitat, & tunc ſymptomaticus erit fluor, & licèt

cèt ceſſet; quià cauſa intùs remanſit, morbus ſequitur.

Si chronicus fluor fuerit, nihil, aut parùm agendum ſupereſt medico, nàm licèt incipiente fluxu, febris concitetur, eodem ceſſante, ceſſabit etiam febris, & in hoc caſu victûs ratio eſt infirmo præſcribenda, exterioribuſque fotibus eſt ventriculus roborandus, mulcebitque inteſtinorum irritamentum drachma dimidia optimæ theriacæ.

At ſi ſymptomaticus fuerit fluxus, omnia poſt illum in infirmo pejora ſe habebunt, & ob cauſam occaſionalem fibris infixam, quæ vel omninò à concitatione fluoris deſiſtet, & ad interiora ſe vertet, & peſſimi moris continuam febrem fovebit, de qua latè in ſequenti capite agemus; Vel in inteſtinorum cavitates omnes corporis ſuperfluitates convocabit, & diarrhœam, lienteriam, cœliacam, fluxum hepaticum, dyſenteriam, alioſque inteſtinorum morbos excitabit, de quibus opiparè in noſtrâ *Trutinâ Medicâ lib.* 4. per propria capita tractavimus.

Admonitos hîc vulgares, & ſanguinarios medicaſtros volumus nos in febrium curatione, quas tribus capitibus precedentibus tractavimus, nullam ſanguinis miſſionis mentionem feciſſe; non ex eo quod à ſanguinis miſſione abhorreamus, ſed ex eo quod dictæ febres ſanguinis evacuationém non requirunt: in ipſis enim ſanguis præter motum, quem à cauſis occaſionalibus patitur, inculpatus omninò eſt, & nullo crimine reus, nec motus, quem patitur, adeò vehemens eſt, ut ventilatione ob partium rarefactionem indigeat; nec temerè fundendus eſt ſanguis, cùm indicatio pro eo mittendo in ægroto non inveniatur, ut plerique medicorum faciunt, credentes ſanguinis miſſionem obeſſe non poſſe, ubi non profuerit, nàm non ſolùm obeſſe poteſt, ſed in ultimam perniciem infirmum adducere, ubi indicatio non fuerit, teſte *Galeno in lib. de curatione per ſanguinis miſſionem, in lib. de arte curativâ ad Glauc. in lib. de criſibus, & alibi.*

CAPUT XXV.

De Curatione Febrium, quæ à degenerato partium nutrimento foventur.

Eodem tempore, quo à cibis per digeſtionem in Ventriculo ſeroſitates à Liene ſuguntur, & craſſa excrementa per pylorum in inteſtina deſcendunt; pars illorum nobilis, eſſentialis, & nutritioni apta in penitiores corporis lares fertur, ut ſuo muneri ſatisfaciat.

Hanc ſubſtantiam nutrimentalem vaſa ſanguinis ingredi, ut in ſanguinem tranſmutetur, creditur ab illis, qui à ſanguine nutriri corpus exiſtimant; nos per demonſtrationes, pro quibus adducendis hîc tempus non ſuppetit, cognitum habemus ſubſtantiam nutrimentalem, quæ ſeparatur à cibis, non vaſa ſanguinis ingredi, ſed fibrarum partes conſtituentium interſtitia pervadere in formâ tenuis liquoris albi, qui per fibras ipſas in cerebrum, & ſpinalem medullam fertur, ut ibi pro proximâ ſanguinis materia elaboretur.

febris malig[illegible]

Verùm, ut rei novitas confuſionem non pariat, admonitos volumus medicos, ut cùm partium nutrimentum dicimus, intelligant ſubſtantiam illam roridam, & quodammodò viſcoſam, quæ per ſubſtantiam ventriculi, inteſtinorum, meſenterij, peritonæi, ſeptitranſverſi, mediaſtini, pleuræ, aliarumque membranarum, partiumque corporis ſolidarum eſt diffuſa; has partes humorem quendam inter ſuas fibras habere compertum eſt, nemo eſt, qui unquàm negavit, vel qui negare poſſit; nàm in animali nuper mortuo ipſis oculis, & tactu humentes eſſe obſervantur, nec ſanguine eas humeſcere dici poteſt, nàm albæ ſunt, & ſi prælo exprimantur, album reddunt ſuccum: hunc ſuccum nos roridum partium ſolidarum nutrimentum appellamus, quod temperie, & motu fibrarum ipſarum partium ſolidarum regitur, conſervatur, perficitur, fluit, & reſolvitur; quoties ergò partes ſolidæ ſecundum naturam moventur, & actiones earum ſecundum naturam ſunt, nutrimentum per ipſas diffuſum ſecundum naturam etiam ſe habet, diſponiturque ſecundum naturæ exigentiam, ut animal in ſanitate conſervetur; at ſi præter naturam ſe habeant, depravari neceſſe eſt.

Signa.

Antè febris adventum laſſitudines, artuum dolores, ventris conſtipationes, ventriculi nidores, inſomnia, & inquietudines erunt febris prodromi, adveniet deindè febris cum extremorum refrigeratione, & totius corporis horrore, cum capitis dolore, artuum doloribus, ventriculi nauſeâ, pulſuum ſuffocatione, quæ uſque in acceſſionis ſtatum perſeverabit, calor poſt frigus debilis, ſed pungens cum vigiliâ, & ſiti, cum urinis turbidis, & pallidis; his altera ſuperveniet acceſſiò, in qua refrigerationem vix perſentiet æger, incaleſcet cum ingrato quodam ſopore, pulſus languidi, frequentes, & inæquales erunt, urinæ eædem, & ſpumoſæ, nox inſomnis, & omnium inquietudinum genere referto, lingua alba, tenacique limoſitate oblita; his, vel ex his aliquibus ſignis in primâ, & ſecundâ acceſſione apparentibus judicabit medicus ægrotum febre eſſe correptum, quæ tum in quantitate multum, tùm in qualitate pravum ſuccum nutrimentalem pro fomite habet; prædicet etiam tunc, quod talis febris quolibet die nova, & horrenda pariet ſymptomata, quæ erunt omnium facultatum lapſus, lumbricorum excretiò, effloreſcentia exanthematum per cutem, linguæ aſperitas, & livor, abſque eo quod infirmus ſe ſitire ſentiat, corporis ſupinus ſitus, mentis confuſiones, phrenitis, paraphrenitis, coma, carus, lethargus, ſudor frigidus, excretiones ſymptomaticæ, animi defectus, lipothymiæ, oculorum rubor, in diebus paribus exacerbationes, parotides, & quamplurima alia his pejora ſymptomata ſunt expectanda, quæ non ſolùm materiæ morbificæ coctionem, ſed ſemper morbum in principio eſſe arguunt, & ſpem ſalutis omninò non adimunt.

Harum febrium ſigna non adeò certa, & infallibilia ſunt, ut non ſolùm vulgares medicos, ſed etiam peritos decipiant; eſt enim morbus inſidio-

dioſus, qui clam hominem carpit, & non abſimilis homini maligno, qui aliud habet in ore, & aliud in corde: Et velut canis, qui caudâ adulatur, & mordet; ideóque fallacia, & optimæ notæ medicos infamant: in principio latent hæ febres, & malignitas altiùs agit radices, & interim opportunum agendi tempus præterit, & æger in vitæ diſcrimen ruit. In principio non eſt tanta malignitatis vehementia, quanta aliquandiù in obſcuro deliteſcit, & interim benigniorem mentitur febrem, nec ſe manifeſtat, donec tota domus irreparabilem concepit ignem, & cordis arcem occupavit lethale venenum. Eapropter ſigna diligenter ponderanda ſunt, ne cum ægrorum detrimento addiſcamus, nec febris, quæ maligna non eſt pro tali habeatur, ut quidam noſtrates medicaſtri faciunt, qui inſpectâ febre continuâ, vel auctâ, ſtatim pro malignâ buccinant, vel ſi maligna ſit, pro benignâ accipiatur. *Pulſus* ſæpius initio naturali ſimillimus eſt, aut non nihil ab eo diſcrepare, & febricitare non videtur; attamen ex eo deprehenditur malignitas, quia poſtmodùm ſubitò fit debilis, & parvus: interdùm mox ab initio formicanti ſimilis, id eſt minimus, & frequentiſſimus. *Urina* quandoque eſt bona, & ſanæ ſimilis, ac ſuſpecta, interdùm in ſtatu concocta apparet, licèt ægri ad interitum properent. Quandòque urina nullas patitur alterationes, & febre malignâ correpti cum urinis optimis, & ſanorum ſimillimis intereunt, undè *Galenus* ſolitus dicere: *Pulſus bonus, urina bona, & æger tendebat ad necem.*

Nullum ex his ſignis, quæ adduximus horum febrium, verè pathognomonicum dari notamus, quo poſito, febris maligna neceſſariò ponatur, quo ablato, auferatur: Verùm ex omnium ſignorum ſyndrome, & collatione certum ſignum facilè ſtabiliri poteſt. Notamus, quòd omnia ſigna à nobis adducta in omnibus febricitantibus non reperiuntur, ſed tantùm eorum partem, quæ tamen ad morbi ſpeciem adamuſſim conſtituendam ſufficiat.

Cùm nullum pathognomonicum ſignum habeat febris maligna, ne incautis imponat Medicis, per quædam inter ſe improportionata ſymptomata malignitatem rimabimur, tanquàm per celeberrinum malignitatis ſignum. Quandò ægri de intenſiſſimo calore interno conqueruntur, & partes externæ parùm, aut nihil calent, pravum malignitatis ſignum. Quandò ſitis intenſa caloris febrilis modum ſuperat; quandò verò non ſitit cum intenſâ febre, & linguæ ſiccitate, utrumque malignitatis indicium eſt. Si potus ad reſtinguendam ſitim porrectus non ſolùm nihil proſit, ſed etiam lingua ſcabra, & arida fiat, malignitatis indicium portendit. Si ægri inſigniter calent, & de nullâ conqueruntur ſiti, etiam malignitatem ſubeſſe certum eſt. Cerebri, & partium nervoſarum morboſæ affectiones ſubitò inductæ, neque legitimam ſervantes proportionem, malignitatem denotant. Alvi, & veſicæ excreta inſigniter fœtentia peſtilentem ſignificant malignitatem.

Sunt aliqua præter illa, quæ deſcripſimus ſigna, quæ præſentem arguunt malignitatem, ut cardialgia, quam tanquàm malignum damnat Hippo-

crates: ſed in ſpecie ubi hæc tria ſymptomata in genere reperiuntur, primum ſubita virium proſtratio: Secundum ſitis admodùm intenſa, & appetitus dejectus citra cauſam ordinariam, & manifeſtam: tertium vigiliæ pertinaces, aut leve delirium citra cauſam manifeſtam, ut plurimùm malignitatem argumentantur.

Putant aliqui proprium, & pathognomonicum febrium malignarum ſignum eſſe exanthemata, ſeu maculæ purpureæ pulicum morſibus non abſimiles, peticulæ, vel petechiæ à recentioribus appellatæ, præſertim in lumbis, dorſo, & pectore apparere ſolent, & proprium, ac pathognomonicum dicunt, non quod neceſſariò in omnibus febribus malignis hujuſmodi exituræ apparere debeant, cùm multoties non exoriantur, ſed cùm apparent, inferre licet: ergò febris eſt maligna, quia peculiariter febrem malignam ſignificant, & nullo in febrium genere reperiuntur, niſi ubi malignitas adeſt. Verùm apparent aliquandò in alijs affectibus citra febris malignitatem quædam maculæ dictis conſimiles, ſed à diversâ prodeuntes causâ, à nimiâ ſcilicèt ſanguinis tenuitate, qui à calore agitatus extra capillares venas in cute effloreſcit.

Exituræ, quæ malignitatem ſapiunt, in cute erumpunt cum aliquali, licèt nimiâ, ipſius cutis elevatione, & tunc propriè exanthemata appellantur, & nullatenùs cutem in tumorem elevant, ſed tantum apparent in eâ maculæ pulicum morſibus aſſimiles, & propriè papulæ appellantur (vulgò *Paſticci*,) vel petechiæ. Differunt à pulicum morſibus, quia iſtæ punctum in medio non habent, ut morſus pulicum. Diſtinguuntur etiam petechiæ à pulicum morſibus per experimentum, quod *Zacutus Luſitanus lib. 3. prax. admirand. obſ.* 14. docet: Experimentum facit cum farinâ lupinorum cum aceto, aut oximellite ſubactâ: quæ ſi applicetur pulicum morſibus, hi ipſi morſus ſubitò evaneſcunt: maculis verò malignis applicata hæ ipſæ non diſparent.

Cauſæ Occaſionales.

Si motus, & actiones partium ſolidarum ab aliquâ cauſâ præter naturam ipſas partes ſolidas lædente depraventur, ſubſtantiam nutrimentalem per ipſas diffuſam etiam depravari neceſſe eſt, & exoticam, naturæque hoſtilem qualitatem acquirere; undè degener fit, & tantùm abeſt, ut ipſas partes recreet, & reſtauret, ut potiùs illas vellicet, laceſſat, diſtrahat, eóque agitet, ut in furorem adactæ, omnimodè earum œconomiam ſubvertant, totiuſque corporis actiones depravatas reddant; hinc febres oriuntur continuæ, peſſimi moris, quas malignas ob ſymptomatum ſupervenientium multitudinem communiter appellant, quæ rarò mortis periculo vacant, rarò remedijs cedunt; ſæpiſſimè omnem ſalutis ſpem adimunt; quandòque vitam in diſcrimine ponunt, & ſalutis ſpem non auferunt, cujus ratio eſt, quia natura partium ſolidarum, cui incumbit cauſam morbi concoquere, ſeparare, & expellere, adeò ſubverſa eſt in hujuſmodi febribus, ut ſemper pejora, nunquàm meliora moliatur.

Præter ergò quantitatem, pravam ciborum qualitatem, & præter inte-

ſtinorum excrementa, quæ occaſiones eſſe poſſunt, ut tùm fibræ ventriculi, tùm inteſtinorum ad depravatum motum irritentur, & per conſequens evenit, ut ſuccus nutrimentalis per eas diffuſus à naturali ſuâ indole degeneret, quòd niſi diſpoſitiones præcedant, non faciliter evenit, præter inquam dictas rationes aliæ in ægroto præcedere poſſunt, quæ vel ipſas partes ſolidas inſolentibus motibus irritantes, vel ipſum ſuccum nutrimentalem indebitè agitantes, vel utrumque ſimul peragentes; febres ex nutrimento degenerato producere poſſunt, ſunt quidèm ipſæ.

Primò, ſi quis laboribus ſupra vires corpus exercuerit, ex nimio enim labore, motuque fibræ relaxantur, debitamque temperiem amittunt, undè & ſuccus nutrimentalis in ipſis paulatim degenerat, torpeſcit, nidorem concipit, tandémque febrem excitat.

Secundò, ſi quis vel motû, vel calore externo vehementer incaleſcat, ſtatimque deindè refrigeſcat, & hoc multoties eveniat, ſuccus nutrimentalis, qui calore fluebat, frigore congelaſcit, & in his extermis ſuam temperiem perdit, fitque febris materia.

Tertiò, ſi quis meraci vini potu ſe impleat, frequentibuſque commeſſationibus vacet, nutrimentum in quantitate ſuperfluum producitur, quod à ſolidis partibus regi, ſubigique non poteſt, ceditque in naturæ onus potiùs quàm in ſuſtentamentum, promovetque continuam febrem.

Quartò, ſiquis aſſiduâ Venere præter modum utatur, partes ſolidæ cremantur, diſſolvuntur, & areſcunt, ac per conſequens nutrimentum, quod regunt, marcidum reddunt, tr anſitque in peſſimæ febris cauſam.

Quintò, ſi quis aſſiduis animi affectionibus, irâ, odio, invidiâ, ambitione, timore amittendę vitę vel exiſtimationis excrucietur, tùm partes ſolidas, tùm nutrimentum ijſdem impreſſionibus imbuit, ſubvertunturque ità ut lethales producant febres.

Sextò, ſi quis per longum tempus omnimodè vigilet, vel longiſſimo ſomno indulgeat, in eaſdem ex nutrimento degenerato poteſt incidere febres.

Septimò, quæ ex aëris intemperie, & mutatione epidemiales producuntur febres, etiam in degenerato nutrimento fomitem habent.

His præcedentibus occaſionibus ſucci nutrimentalis naturales diſpoſitiones immutantur, & præter naturam fiunt, concitantque febres continuas, malignas, & ut plurimùm lethales. Sedulò ergò eas debet inquirere medicus, nàm pro ipſarum occaſionum vehementiâ, duratione, aſſiduitate, complicatione, ſubjectorumque diſpoſitione certum, infallibileque febris judicium proferre poterit.

Prætereà eſt advertendum, quòd ſuccus iſte nutrimentalis degeneratus multoties in quantitate, & qualitate peccat, multoties in qualitate ſolùm, quod ex proprijs ſignis dignoſcitur, & ex erroribus ægroti, qui febrem præceſsêre.

Prognoſis.

Febris ex nutrimento degenerato, ſeu maligna ſæpiùs peſſimi ominis eſt,

eſt, ideóque prudens medicus de morbi eventu ſuum judicium differre, & ſuſpendere debet, cùm mox, & inopinatè ad vitam, vel mortem terminetur, ut habetur *aph.* 19. *ſect.* 2. *In acutis ſunt incertæ prædictiones vitæ, & mortis.* Ridiculi ſanè ſunt aliqui noſtrates medicaſtri, qui inſpectâ febre non intermittente, ſtatim pro malignâ, & venenatâ accipiunt, & lethali, at quia æger in nullo vitæ diſcrimine verſatur, miracula patrâſſe videntur. Proponemus nos præcipua, quibus mediantibus magnam conjecturam educere poterimus, an febris ſalutariter, an lethaliter finitura ſit, quorum ope quid metuendum, aut ſperandum de ægroto augurari poterimus, ne dubiâ ſpe decipiamur; compertum nàmque habemus plurimos cum pernicioſiſſimis ſignis evaſiſſe, alios verò cum ſalutatibus occubuiſſe: peculiaria igitur ſigna prognoſtica adducemus, quorum adminiculo ſecutiorem prognoſim elicere poterimus, quam ex diagnoſticis petimus, & hîc tria attendenda ſunt, virium robur, ſymptomata, & coctionis ſigna.

Primò virium Vigor ſpectandus eſt, nàm ſicut viribus conſtantibus, nil mali contingere poteſt; itá cum earum diſpendio nihil ſalubre expectandum. Virium robur, earumque jactura ex pulsûs vigore, & languore deprehenditur; pulſus nàmque quò magis eſt æqualis, & tenorem ſervat, licèt febris maxima appareat, eò aliquid ſpei pollicetur: contrà verò inordinatus, inæqualis, debilis, & quaſi contractus, periculoſus, præſertim ſi in morbi principio appareat. Quò pulſus eſt major, (quod raro contingit) eò melior, quò minor, eò deterior; nihilominùs tamen pulſus parvi non tàm ſunt mali ominis in febribus malignis, quàm in benignis. Pulſus in febre malignâ intermittens lethalis eſt, attamen licèt lethalis, plurimos pueros, & ſenes cum pulſu intermittente evaſiſſe à nobis compertum eſt, juvenem verò neminem: Attamen *Riverius* inquit: *In febribus tamen malignis nos juvenes non paucos pulſum intermittentem per multos dies habentes evaſiſſe vidimus.* Nihilominùs pulſus intermittens in febre ardente ordinariò eſt periculoſiſſimus. Pulſus minutus, & frequens, qualis eſt formicans, aut miurus lethalis; ſignificat enim vires ſenſim deficere, & in proximam ruinam delabi. Non ſolùm pulſus parvus, rarus, & debilis, ſed etiam ſano ſimilis cum alijs pravis ſignis admodùm periculoſus eſt. In febribus malignis interdùm ægri febre carere videntur, cùm tamen in pejus, & ad interitum ruant.

Secundò, Symptomata ſupervenientia expendenda ſunt, ex quibus harum febrium variatur eventus, ac proindè partes principes, earumque actiones, ut animales, vitales, & naturales ſedulò præ occulis medicus habere debet; his nàmque benè conſtantibus, bonum: contrà verò ſe habentibus, malum.

Quod ad actiones læſas, & facultatem animalem attinet, inquit *Hip. aph.* 33. *ſect.* 2. *In quovis morbo mente conſtare, & benè ſe habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contrà verò ſe habere, malum.* Eſt autem mente conſtare, agere, & loqui, quæ rationi conſona ſunt, & conſuetò, ac decorè omnia agere: mente non conſtare ægri dicun-

cuntur, qui aliquam actionem voluntariam non rectè faciunt, & præter conſuetudinem vel parùm, vel multùm, vel ferociùs, vel abſurda, aut obſcæna loquuntur, manus in vanum jactant, feſtucas colligunt, lodices veluti ſarcinas colligunt, obſcænas denudant partes. Quæ omnia breviter complexus eſt *Hip. Præter conſuetudinem aliquid facere, & velle aliquid priùs non conſuetum; aut contrà, pravum, & delirio proximum.* Hinc ſi febri malignæ delirium ſuperveniat, periculum portendit, ut multi apud *Hip.* paſſim extant aphoriſmi. 2. *coac. aph.* 14. *In homine moderato ferox, & audax reſponſio malum.* 1. *progn. aph.* 23. *Qui à febre continuâ, aut pulmonis, aut capitis dolore manus ad eos fert, aut fruſtrà venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte evellit pilos, aut de pariete ſtipulas carpit: id omne malum exitialeque.* Ideòque nullum delirium eſt tutum. Verumenimverò delirium, quod cum riſu fit, tutius: quod verò cum audaciâ, & furore, periculoſius, & hoc omnium peſſimum. Si perpetuum non eſt, & per paroxyſmos recurrat, & leve, minùs periculoſum, verùm attendendum eſt, ut pulsûs robur, reſpiratio inculpata, & appetitus ſalvus ſit, ne medico imponat. Et quamvis delirium perpetuò malum ſit, ex eo tamen ægrotantis interitus non eſt perpetuò prædicendus, niſi cum eo alia ſigna mala, & lethalia concurrant. Eſt minùs periculoſum illud delirium, quod ſomnus excipit, ut habetur 2. *aph.* 2. *Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum*, & præſertim ſi copioſus ſudor ſimul conjungatur; poſt ſomnum autem perſeverans admodùm periculoſum eſt.

Somnus comatoſus in febrē acutâ periculoſus, & cum virium imbecillitate proximam mortem portendit: quandò autē hujuſmodi coma diuturnis ſuccedit vigiliis, eſt magis pernicioſum ob ſpirituum abſumptionem; ſignificat enim omnimodam caloris nativi extinctionem, & ſic quandò phrenetici comatoſi evadunt, jàm morti ſunt proximi, attamen lethargus comate, & carus utroque periculoſior eſt. *Siquis laborioſâ febre obſtupeſcat, & veluti cathoche afficiatur, morbo laborat peſſimo lib.* 1. *coac.* 47. nàm ſicut coma in febribus acutis eſt periculoſum, ſic cathoche multo periculoſior eſt, quæ fit à matèriæ acidioris tranſlatione in cerebrum, & nervos, undè nervorum tenſio, atque ideò qui hac affectione laborant, in eodem ſtatu manent, inquo reperiuntur & apertis oculis rigidi conſiſtunt, & ita à comatoſis differunt, qui perpetuò oculos habent clauſos. In eo, qui periculosè ægrotat, inſomnia mortuoaum, ſepulchrorum, & ſacerdotum, futuram mortem, prænunciant; moriturus enim aliquando animæ ſuæ à corpore ſeparationem præſentit, eamque corpori per inſomnia repræſentat, per ſpecies eorum, quæ mortem ſignificare valent.

Surditas in febribus malignis periculoſiſſima eſt juxta Hip. doctrinam, verùm id in principio apparens, militat, ſed in ſtatu in his febribus apparens, ſalutaris eſt, ut nos multoties obſervavimus, quantumvis periculoſis ſymptomatibus exiſtentibus; denotat enim cerebrum ſatis validum, & noxios humores ab internis ad externas detrudere partes.

Si per ſomnum candidæ partis oculo-

oculorum demiſſis palpebris aliquid appareat, nec alvi fluor, nec inedia in cauſa eſt, nec ità æger dormire conſuevit, vitioſum indicium, lethaleque admodùm eſt; facultatis enim palpebras moventis extinctionem ſignificat. *Si in morbo aucto oculus unus altero minor fiat, lethale eſt, Hip.* 1. *progn.* denotat facultatis regentis imbecillitatem, quæ illum oculum deſerere incipit. *Si autem perverſa fiat, aut pallida palpebra, aut labrum, cum aliquo aliorum ſignorum ſcire oportet, morti proximum eſt. Lethale etiam eſt labra reſoluta pendentia, & frigida, & alba eſſe reddita. Hip.* 1. *progn.& aph.* 49 *ſect.* 4. *In febre non intermittente, ſi labrum, palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat; jam debili exiſtente corpore: quicquid horum eveniat, mors proxima eſt.*

Lingua tremula in acutis, mortifera; ſignificat enim maximam animalis facultatis imbecillitatem, & ſummam cerebri læſionem, ideóque in phreneticis jàm morti proximis lingua hoc modo contremiſcere ſolet.

Fauces exulcerati cum febre malum, verùm ſi aliud ſuperveniat ſignum eorum, quæ diximus, peſſima eſſe, prædicere oportet, cum periculo eſſe hominem. Hip. 2. *progn.* Hæc nàmque exulceratio à pravâ, & malignâ causâ generatur, & periculoſa eſt, & cum illâ non poſſunt non apparere alia ſigna prava. Oportet itaque alia ſigna conſiderare, & ſi aliquod aliud pravum appareat, mortis periculum prædicere.

Multa corporis jactatio, anxietas, & inquietudo in febre acuta mala; oſtendit enim humorum feritatem, & turgentiam, qui cùm tenues ſint, & valdè mobiles, & vehementer in corpore agitentur, fit, ut maximum immineat periculum, ne in principes irruant partes, & pernicioſum producant effectum. Jactatio, anxietas, & inquietudo multa de morte exhibent præſagia, ut ſi æger varias decubitûs formas mutet, nec uno loco quieſcat, ſed variè ſe jactet, ac moveat, modò ſe attollat, modò dejiciat, modò in latus, modò in ventrem, modò in dorſum decumbat, nec ullam ſervet figuram, dummodò criſim non præſagiat; *Si ſeipſum æger continere non valens, ſubindè ad pedes delabatur, funeſtum, Hip.* Significat enim virtutem animalem eſſe propemodùm extinctam, ut corporis pondus regere, aut ſuſtinere non poſſit, undè illud propriâ gravitate ad inferiora prolabitur. Pernicioſum etiam eſt pervolvere ſe ad marginem lecti, ac primùm pedes excludere, deindè corpus erigere, niſi cohibeantur, vel excidere, vel ſurgere; obſcurum enim delirium, & adeò funeſtum oſtendit, ut ex hoc ſigno nemo convaluit.

Stillæ ſanguinis è naribus paucæ effluentes malæ, ſicut & quælibet excretio exigua, & in paucâ quantitate, vel poſtquàm apparuerit, illicò ceſſaverit; denotat enim naturam in opere decumbentem vel ex ſucci malitiâ, aut ejuſdem mole proſtratam: ſiquidèm omnis excretio in morbis acutis, quæ inchoatur tantùm, & non perficitur, maximè damnatur ab Hip. quia major eſt ſecuritas in febribus, in quibus natura nihil excernit, quàm in quibus pauca, & inutilia. Adde, quòd nulla apparente ſtillâ, materiæ beni-

benignitas eluceſcit, quæ inepta eſt ante tempus naturam irritare.

Nares præter modum dilatatæ in morbo acuto periculum portendunt; denotãt enim magnam facultatis animalis imbecillitatem, quæ cùm thoracem ſufficienter dilatare nequeat ad ſummum temperandum incendium, in dilatatis naribus compenſare conatur, ut per illas aër copioſior attrahatur.

Quid per actiones vitales in febribus malignis de ægri ſalute, & morte præſagiendum ſuo ordine dicemus: Cordis palpitatio, ſyncope, vel lipothymia in hiſce febribus ſūmum vitæ prænunciant periculum, ſive cor per conſenſum, ſive per eſſentiam afficiatur; indicant enim vitalis facultatis dejectionem, & cor in anguſto eſſe poſitum à cauſâ malignâ, & rarò mortem effugiunt, ſed citò ob ſpiritûs exolutionem intereunt.

Reſpiratio præternaturalis peſſima eſt, undè *Hip.* 4. *aph.* 50. inquit: *Ubi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale*; quia duo vitæ principia cor nempè, & cerebrum vehementer læſa ſunt, & ad mortem conjurant, utraque autem paſſio, ſpirandi ſcilicèt difficultas, & delirium diù perſiſtere debent, ut lethalia dicantur: nàm in perturbatione criticâ utrumque ſalutariter interdùm contingit. Magna, & rara reſpiratio cum febre acutâ peſſima; delirium enim vel præſens eſt, vel imminet, mens námque à ſpecierum ubertate valdè occupata eſt, quæ in delirio repræſentantur, facultatem muſculos thoracis moventem aliò avertit, ut non fiat reſpiratio, niſi magnâ urgente neceſſitate, undè rara efficitur, ſed raritas magnitudine compenſatur. Hac eâdem etiam ratione melancholici, & amantes non rarò hujuſmodi reſpirationem magnam, & raram habent, quia profundis defixi cogitationibus reſpirare obliviſcuntur. Frigida ſpiratio in morbis acutis proximam mortem ſignificat; indicat enim caloris nativi extinctionem.

Quò ad actiones naturales læſas: *Dejecta omnino in morbis appetentia, valdè periculoſa.* Quibus cum ſtrepitu alimenta in ventriculum deſcendunt, ut in puteum projici videantur, malum; ſignificat enim œſophagi fibras eſſe reſolutas, ut deſcendentia alimenta continere nequeant, & ad ventriculum veluti manu ducere, ut in naturali diglutitione fit.

Si quis in laborioſâ febre ſingultiat, morbo laborat peſſimo, 1. *coac.* 47. fit enim ſingultus à malignis humoribus interiorem ventriculi tunicam vellicantibus, quæ ad eorum expulſionem inſurgit, & ferè nullus febre malignâ correptus, cui ſingultus ſupervenit, ſervatur.

Vomitus paucus, & laborioſus in acutâ febre, malus; quæ enim decretoria ſunt, exigue non ſecernuntur, ſed quæ ità evacuantur, omnia duorum alterum ſignificant, aut materiæ copiam, quam natura tolerare nequit, & ex eâ aliquid ſymptomaticè effunditur, vel naturæ imbecillitatem, quæ ſuperflua fruſtrà expellere nititur. *Vomitus ſynceri, & impermiſti in acutis febribus, mali*, 10. *Prorhet.* Nàm humor ſyncerus non tantum eſt crudus, ſed etiam incoctilis, & omnem coctionis actum, & poteſtatem excludit, cujus generatio vel

particularis alicujus vitio fit, vel fervore, & incendio febrili, exhauſtâ aquosâ, & ſerosâ parte: ideóque in acutâ febre magnum intûs incendium latere oſtendit, plerúmque à naturâ invincibile. Sic vomitus variegati, ex multis humoribus conſtantes mali. Vomitus porraceus, æruginoſus, lividus, niger, aut fœtidus lethalis. Itèm dejectiones ſynceræ in morbis acutis peſſimæ. Pingues, viſcoſæ dejectiones lethales. Spumoſæ dejectiones in febribus acutis malæ. In febre vermes prodire, malum, tàm vivos, quàm mortuos, potiſſimùm ſi ſoli, & ſine ſtercore exeant. Si lumbrici in morbi declinatione exeant cum excrementis, apparente coctione, bonum.

Uberior alvi dejectio in quolibet morbo, mala, vires námque maximè reſolvit, & naturam proſternit, & animæ defectionis periculum imminet. At ſi cum ventre tumido, & creſcente efferatur, peſſima; ſignificat enim nativi caloris exolutionem, undè cruditates, & multi flatus generantur, quibus venter intumeſcit. Paucæ dejectiones, vel quæ ſtatim ubi incæperint, ſiſtuntur, malæ; paucæ enim inutiles ſunt, nec ad morbi cauſam tollendam ſufficiunt: at ſi incæperint, & cohibeantur, ſignificat pravos humores, qui per inteſtina ferebantur, aliò eſſe converſos, ubi gravem noxam inferre poſſent. Liquida dejectio, quæ cum morbo aucto incipit, & cum eodem perſeverat, mala. *Alvi dejectiones vitellinæ, virides, æruginoſæ, nigræ, aut valdè fætidæ, malæ. 2. progn.*

Urinæ in febribus malignis, atque peſtilentialibus ſubſtantiâ, colore, & contentis urinæ ſanorum ſimiles exitioſæ; denotant enim venenatam qualitatem, & nihil ſuccorum noxiorum per urinas excerni, quod ſummè perniocioſum eſt. Urina, quæ inſcijs ægrotis, & non recordantibus mingitur, peſſima; vel enim cerebrum valdè læſum ſignificat; vel partium naturalium robur extinctum, ut ſuas functiones ampliùs exercere nequeat. Urina, quæ craſſa, turbida, & confuſa meijtur, deindè per ſeipſam clara evadit, & limpida, bona; ſignificat enim victoriam naturæ ſecernentis heterogenea, & quod ſibi noxium eſt, expellentis, & eò magis, ſi poſt hujuſmodi clarificationem craſſior pars in fundo ſubſideat alba, lævis, & æqualis. Urina, quæ clara meijtur primùm, deindè verò poſt aliquod tempus conturbatur, bona; denotat naturam coctionem inchoâſſe, & illius inſigne rüdimentum ediſſe. Urina craſſa, turbida, taliſque permanens, ut igni appoſita clareſcere non poſſit, mala; Si vires fuerint cònſtantes, chronicum ferè morbum oſtendit; Si imbecillitas adſit, ægri mortem prænunciat: fit enim ex crudorum, & craſſorum humorum copiâ, quos multi ſtatus ijs permiſti conturbant, & exagitant, atque ità ſi vires ſint debiles, periculum eſt, ne ab hujuſmodi humorum copiâ ſuffocentur; ſi verò validiores ſint, longo indigent tempore, ut materia illa concoquatur, & edometur. Urina, quæ turbida mingitur, & talis permanet cum fœtore inſigni, peſſima; ſignificat in veſicâ, aut alijs vicinis partibus gangrænam adeſſe. Urina nigra in morbo acuto apparens, pernicioſa, Denotat inſignem humorum torre-

torrefactionem, quæ in atræ bilis naturam eos degenerare facit, undè lethales producuntur effectus. Urinæ ſubſiſtentes in morbis acutis pernicioſæ; talis enim urinæ ſuppreſſio fit vel ab igneo calore ſerum ſanguinis prorsùs abſumente, vel à naturalium functionum extinctione. Urinæ ſedimenta livida, aut nigra, peſſima. Enæorema divulſum, inæquale, aut nigrum, malum. Nubecula juxta urinæ ſuperficiem circuli modo evecta in morbis acutis, peſſima; inſtantem denotat phrenitidem, & ex eâ mortem. Urina pinguis, oleaginoſa, nigra, & livens cum ſedimento nigro, vel liveſcente certum exitium pronunciant.

Sudores quoque ſæpè in febribus accidunt, & ipſi etiam ſalutem, vel mortem prænunciant. Sudores, qui cum manifeſtæ coctionis ſignis die critico, & rigore præcedente, ex toto corpore, calidi, copioſi, ſtillantes, & cum vapore erumpunt, & quibus febris, vel perfectè ſolvitur, vel admodùm imminuitur. Ex his boni ſudoris conditiones, & regulas elicimus; bonus itàque ſudor ſex conditiones habere debet, quarum *Prima* eſt, ut ante ſudoris eruptionem coctionis ſigna apparere debeant. *Secunda*, ut boni ſudores die critico erumpant. *Tertia*, ut boni ſudores criticum aliquem ſequantur rigorem; natura ſiquidèm cùm è venis tenues, acutoſque humores detrudit, & in corporis habitum propellit, vellicatis partibus ſenſibilibus, quas illi humores prætergrediuntur, rigorem concitat cum partium extremarum refrigeratione, rigorem verò, & refrigerationem, ſi natura ſatis robuſta fuerit, calore foras erumpente, febris acuta, & magna conſequitur, cujus calore humores extenuati in copioſum reſolvuntur ſudorem. *Quarta*, ut ſudores copioſi ſint, & calidi, atque ex toto prorumpant corpore. Tunc enim robuſtam denotant facultatem, cùm æquè per omnes corporis partes calorem diffundat, ipſoſque ſuperfluos humores in ſudorem digerat, & æquè per omnes partes reſolvat; quòd ei quidèm prælanguidæ non ſuccedit, aut cùm maligno laborat morbo: ſudores enim tunc inæqualiter vacuantur, in quibuſdam partibus plùs, in quibuſdam parùm, vel nihil. *Quinta*, ut ſudor ſtillans effluat, & cum vapore; oſtendit enim naturam pravis humoribus dominari, eoſque valdè ad ſuperficiem expellere. *Sexta* tandèm, ut ex eo ſudore morbus tollatur, vel admodùm minuatur.

Ex allatis boni ſudoris notis faciliùs, qui mali ſunt, ſudores innoteſcunt, ac proindè ſudores in morbi principio apparentes, mali; in principio nàmque omnia ſunt cruda, & nihil poteſt ſalutariter excerni, niſi priùs debitè concoctum ſit. Idcircò vera eſt hæc doctrina de omni evacuationum genere, quæ in principio morbi nunquàm poſſunt eſſe ſalutares. Sudores, qui die non critico contingunt, mali; ſunt enim ſymptomatici, à vi morbi concitati, qui enim à naturæ motu benè operantis fiunt, diebus tantùm criticis contingunt. Si inter ſudandum horror, vel rigor ſæpiùs recurrat, malum; Novus iſte naturæ conatus magnam illius perturbationem denotat, quæ non

non poteſt propoſitam evacuationem convenienter perficere, ſed denuò inſurgit cum magno virium, & vitæ periculo. Undè *ſect.* 7. *aph.* 4. *A ſudore horror non bonum.* Sudatiuncula omnis præcipuè, quæ circa caput, & cervicem apparet, mala. Hæc ſudatiuncula plerùmque contingit ob magnam imbecillitatem virium, quæ humores circa cutem exiſtentes continere nequit, ut videre eſt in syncope, ubi exiguus ſudor circa caput, collum, aut pectus emanat, aut etiam in moribundis talis ſæpenumero ſudor contingit, qui Diaphoreticus vulgò nominari ſolet. *Frigidi ſudores cum acutâ quidèm febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi ſignificant. aph.* 37. *ſect.* 4. Frigidi ſudores fiunt à calore naturali partium ſolidarum penè emortuo: cùm nimirùm ſudor ob calorem febrilem intùs ferventem erumpens in partibus exterioribus calore naturali jàm deſtitutis refrigeratur. Et quidèm ejuſmodi ſudores ſemper mali ſunt, quomodocúmque erumpant, ſeu copioſi, ſeu pauci, ſeu ex toto corpore, ſeu ex capite, collo, pectore: pernicioſiores tamen, qui circa caput ſolùm, aut extremas partes conſpiciuntur. Sudor, qui cùm erumpere cœperit, ſtatim deſinit, malus; ſignificat enim naturam excretionem moliri, & præ imbecillitate non poſſe opus complere. Sudores aſſidui, ſive modici illi, ſive copioſi in febre acutâ, mali; denotant enim naturę imbecillitatem, quæ humores retinere non poteſt, ideóque qui continenter ſudant, ſed modicè, ſi evaſerint, diù ſaltèm ægrotare ſolent: At ſi crebrò magnam ſudoris copiam profundant, palam eſt non multò poſt eorum virtutem reſolutam iri. Addimus, quod ſudores quicumque qui per plures dies perſeverant, ſymptomatici ſunt, quia critici intra unum diem abſolvuntur. Sudor, qui non effluit, ſed inſtar granorum milij in cute apparet, malus; hujuſmodi námque ſudor in capite, aut cervice tantùm apparere ſolet per ſyncopes, aut alias virium exolutiones, quæ copioſum ſudorem effundere non poſſunt, ſed exiguum tantùm, qui in tales globulos granis milij ſimiles efformatur. Fœtidi ſudores in morbo acuto peſſimi; ſummam enim corruptelam ſignificant, quæ naturalem corporis œconomiam deſtruit, & evertit. Sudor multus in febre acutâ apparens, eam non imminuens, malus; oſtendit enim humorum multitudinem, quam natura difficilè ſuperare poteſt, & non niſi longo pòſt tempore, quod in morbis acutis non conceditur: ideóque periculum eſt, ne natura ſuccumbat, antequàm coctionem perficere potuerit.

Reſtat tandèm, ut advertamus, quæ mortis, vel ſalutis ſigna exituræ præſagiant: Maculæ purpureæ, quantùm eſt, ex vi coloris ſalutem portendere ſolent, cùm plures ſunt, majores, & coloris benignioris, ità & albicantes, & ſubpallidæ, quoniam mitiores ſuccos peccantes denunciant, & criticè erumpunt, ac naturæ victoriam oſtendunt. Si verò pauciores, minores, & pravi coloris, ut violaceæ, virides, vel lividæ, aut nigræ, ſymptomaticè excernuntur, & naturam ſuccumbere ſignificant, & certam mortem ſemper pronunciant. Præterea ſi poſtquàm apparuerint, & re-

retrocesserint, peſſimum ſignum eſt; indicant enim materiam morbificam ad interiora refluere, & mortis formidinem augent, & eò magis ſi in exiguâ quantitate fuerint, nec alia ſigna ſalutaria habeant annexa. Exanthemata in varijs partibus apparentia majoris malignitatis ſoboles ſunt, quàm maculæ purpureæ, atque adeò majus portendunt periculum.

Tertiò attendenda ſunt coctionis ſigna, quibus etſi non ſit fidendum, cùm ſucci maligni coctionem non admittant, tamen ſi cum alijs annectantur ſalubribus ſignis, ſalutem portendere ſolent; ſemper autem in hujuſmodi caſibus generalis conſtitutio attendenda eſt, quæ ſi utplurimùm ad ſalutem terminatur, bonus ſperandus erit exitus: ſi verò ad mortem, nequaquàm erit fidendum.

Non incongruum erit hîc in prognoſis calce, ea ſigna, quæ proximam animæ exhalationem arguunt, ſubnectere, præter ea, quæ notavimus, ut cùm mors præ foribus adſit, domeſtici magis curent patres ſpirituales vocare, qui præſtò ſint in animæ auxilium.

Frigida ſpiratio in morbis acutis proximam mortem ſignificat, denotat enim caloris nativi extinctionem. Si corpus adeò grave eſt, ut ungues, ac digiti lividi ſint, expectanda continuò mors eſt. *Ungues nigri, digiti pedum frigidi, nigri, demiſſi, vel proclinati mortem proximam eſſe portendunt. Hip.* 8. *aph.* 12. *Si oculi caligant, vel lucem averſantur, qui ſomno multo, & æſtu detinetur, extra ſpem eſt.* aph. 15. *facies*, quàm Hip. penicillo deſcribit, quæ *Hippocratica* vocatur, mortem ante oculos denotat: *fuerit autem ſanè facies hujuſmodi, oculi concavi, nares acutæ, collapſa tempora, aures frigidæ, & contractæ, cutis in fronte dura, intenſa, & arida, color pallidus, vel niger, lividus, aut plumbeus.* Quæ omnia ex peſſimis cauſis internis contingere ſolent.

Peſſima eſt reſpiratio, quæ fit cum ſtertore, qui omnibus ferè morientibus accidit, ut aliquandò ante mortem in gutture quædam veluti ebullitio, fervor, ſeu ſtrepitus audiatur (Italicè hic *ſpera* vocatur): quicumque igitur morbo ingraveſcente, ſtertor pertinaciter perſeverat, & intenditur, proximi ſunt morti, & unum, aut alterum diem ante obitum apparere ſolet, & ægrum veluti laqueo ſuſpendit; ſignificat enim extinctam omninò facultatem, quæ excrementa ab aſperâ arteriâ, & faucibus excernere nequit. Eſt tandèm etiam morti proximus, & extra omnem vitę ſpem poſitus æger, tunc cùm inferior venter à ſuo motu quieſcit, & thorax tantùm ſe movet, & hoc ceſſante, ſcapulæ cum claviculis, nariumque pinnis moventur, & his tandèm motu quieſcentibus, mentum per tres vices movetur, & tunc de ægri vitâ conclamatum eſt.

Curatio.

Cùm continuarum febrium lædendi modus non ſit in omnibus unus, & idem, & ex lęſionis, ſymptomatumque modo indicatio pro curatione deſumi debet, regulam tradamus oportet, cujus

cujus uſu in curationis indicatione deſumenda eſt, ne error committatur; ſciendum itáque eſt, quòd ſuccus nutrimentalis, dùm degenerat, & in continuæ febris fomitem tranſit, in quatuor differentijs eſſe poteſt; Primò, ſi quantitate, & qualitate ſui pravâ eò naturam in ſolidis partibus opprimit, ut earum motus non ſolùm depravet, ſed etiam retardet, feréque aboleat; Secundò, ſi quantitate paücus, qualitate peſſimus, idem præſtabit. Tertiò, ſi quantitate multus, qualitate verò non adeò pravâ, naturam gravabit, ſed non adeò ſubvertet; Quartò, ſi tandèm neque quantitate, neque qualitate adeò pravus, ipſam naturam irritabit, ſed non opprimet.

Primò, & ſecundo modo eas febres pariet ſuccus nutrimentalis, qua continuas cum accidentibus appellavit Galenus, medici communiter malignas indigitant.

Tertiò, & quarto modo eas concitabit febres, quas Galenus continuas abſque accidentibus appellavit, medici communiter continuas ſub typo duplicis tertianæ malignitate carentes indigitare ſolent.

Uniuſcujuſque modi ex quatuor aſſignatis ſigna, & ſymptomata docuimus, ut certa, & non ſcrupuloſa ex eorum cognitione norma curationis emergat. Si quantitate multus, & in peſſimam qualitatem degeneratus ſit ſuccus nutrimentalis, ex eo quia aliqua ex ſuprà enumeratis diſpoſitionibus præceſſerit, aſſignavimus ſigna.

Hoc febris genus ſicut & aliarum duplici debellatur præſidio, diętetico ſcilicèt, & pharmaceutico; diæteticum in ſex rerum nonnaturalium regimine conſiſtit, & quòad primum.

Aër ſit purus, ſerenus, lucidus, & temperatus, & ſi talis naturâ non ſit, ſaltèm arte paretur: ſit itáque ex calido temperatus. Nimis calidus vitandus, quia febrili combinatus magnum incendium, & ſuffocationem, vel ſaltem ex ſpirituum reſolutione maximam virium imbecillitatem pareret; frigidus maximè arcendus, poros námque occludit, & diaphoreſim inhibet, quæ in hoc febris genere ſummoperè medicamentis promovenda eſt, imò omnes ægri febre malignâ laborantes, aëri frigido ſe exponentes, omnes moriuntur, ut pluribus compertum eſt exemplis.

Cibus debet eſſe rarus, & paucus, ſed optimus, & facilis coctionis, qui non faciliter corrumpatur, talis erit panis contritus in pulli juſculo excoctus, à carne omninò abſtinendum, nàm in hujuſmodi febribus vis ventriculi digeſtiva ferè penitùs adimitur & caro in peſſimam abit corruptionem, & cadavereſcit; ſorbitionibus itaque potiùs, quàm cibis ſolidis alendos eſſe ægrotos inquit *Hip. aph.* 11. *ſect.* 2. *facilius eſt impleri potu, quàm cibis.* Ejuſmodi enim diæta naturæ magis convenit, citiùs námque reficitur natura his, nec revocatur à pugnâ, quam cum morbo inivit. Vitanda plurium ciborum ingurgitatio, ne in febrilem degeneret materiam, quia qui tali laborant febre *Corpora* habent *impura, & quò magis nutries, eò magis lædes. ſect.* 2. *aph.* 10. Medicus, & adſtantes in ægri incolumitatem conſpirare debent, aliter ſi adſtantes, quæ medicus præſcribit, aut omittunt, aut intempeſtivè adhibent,

aut

aut inconſulto medico aliquid circa ægrotum moliuntur, certè in ægri vitam conjurant. Verumenimverò noſtrates mulierculæ, quæ ægrotis inſerviunt, affines, & amici, qui ægrum adeunt, ad vires ſuſtentandas, ut nugantur, pluribus, & varijs edulijs, ac crebrò in eorum perniciem infarcire ſolent. Verùm victûs ratio virium incolumitatem, & per accidens curationem reſpicit. Non tantùm mulierculæ inſimulandæ ſunt, ſed etiam medici, qui politici evaſerunt, nimium ægrotis indulgentes, & tantùm ſtudent, ut nobilibus, & plebeis placeant, ac de ægroti viribus ſolliciti eſſe videantur, quarum conſervatio non ex nimiâ eduliorum ingurgitatione, ſed ex exactâ diætâ, & commodâ remediorum adminiſtratione dependet, nec quod ingeritur, ſed quod digeritur, nutrit, nec cibus, aut potus eſt graviorum morborum medela, ſed medicaminum eſt ſanatio. Febrientium ventriculus unà cum toto ægrotat, febris nàmque morbus univerſalis eſt, nec natura materiam morbificam, & cibum ſimul concoquere poteſt, ſed deficit ambobus, & interim materia febrilis cumulatur, & ob alimentorum copiam læditur digeſtio, fermentatio corrumpitur, febrili cauſæ fomentum, & fomitèm præbet. Hinc *Hip. aph.* 55. *ſect.* 7. inquit: *Si quis febricitanti cibum præbeat, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.* Infarciunt febrientes carnibus contuſis, quæ in nidoroſam, & cadavericam tranſeunt corruptionem, itèm juribus conſumptis, ovis ſorbilibus, teſtibus pullorum, avium, caponum, vitulorum aſſatis, vel elixatis cum endivia, cicorio, aut borragine, & pro ſecundâ menſâ fructibus, & bellarijs non ſine inſigni multorum pernicie, & morte. Ità *Aſclepiades* Romæ olim ægris balnea, vinum, carnes, & quicquid gratum, & optatum erat, concedebat, & ſic Civium Romanorum mentes mirabili artificio ad ſe trahebat non ſine diſcrimine, & morte. In acutiſſimis ergò ut plurimùm quatuor primis diebus tenuiſſimus requiritur victus, procedente verò tempore pleniuſculo utendum eſt. Non poſſumus non commendare Turcas, qui ſtatim ac in febrem incidunt, per tres dies neque cibum, neque potum aſſumunt, & perfectè abſque medicis curantur. Sed hìc obſervari debet anni tempus, ætas, & morbus, quibus in febribus expedit, aut non, juxta *aph.* 17. *ſect.* 1. *Quibus etiam ſemelne, an bis, & plus, minuſvè, & gradatim præbere cibum conveniat, ſpectandum. Dandum etenim aliquid tempori, regioni, ætati, & conſuetudini.* Fructus horarij, & omnes, aut ex fructibus parata, & olera, fermentando ſunt nocua; nàm omnia, quæ augere, & ciere fermentationem poſſunt in febribus nocent. Mellita, ſaccharata, alimenta nimis ſalita, & aromatica quæcumque in febribus inſigniter lædunt; hæc enim admodùm fermentativa ſunt adeóque fermenteſcendo fermentationem præternaturalem intendunt, & febrem adaugent. Non impellendi ſunt febricitantes ad cibum neque blanditiis, neque minis, aut quovis alio modo, quia alimenta quæcumque citra appetitum, & cum nauſeâ ingeſta non digeruntur, ſed putreſcunt, & ſcorias febriles adaugent, undè in continuis febribus ad aliquot dies nihil comeda-

tur, hinc conſultius eſt ad cibum non cogere, vel perſuadere ægrotos. Cibandi tempus docet *Hip. aph. 11. ſect. 1. In ipſis tamen exacerbationibus cibum adimere oportet; nàm præbere noxium eſt, & cùm per circuitus redeunt morbi, in ipſis acceſſionibus abſtinendum.* Qua in re hoc noſtro ævo multùm peccatur, ut diximus, in quo plurima hominum pars indiſcriminatim alunt ægrotos, nullâ obſervatâ temporum ratione; Natura enim dùm in acceſſione adverſus morbos congreditur, conficiendo alimento minùs intenta eſt, quo fit, ut illud non fermentatum febrem, ejuſque ſymptomata augeat.

Quò ad *potum* attinet, abſtinentiam à potu in febribus deteſtamur, eſtò febris in Galeniſtarum opinamento ſit paſſio calida, & ſicca, cui frigida, & humida correſpondere debet. Anhela ſitis magnum eſt ſymptoma in febribus, & de nullo alio queruntur febrientes, quàm de hoc, nec alio reſtinguitur, niſi potu, cujus interdictum ingentes ſuſcitat moleſtias, cruorem, ſolidarum partium alimenta cum viribus, & humidum deprædatur innatum; ideóque ſtricta ſitis ſex millies, & ultrà aquarum latrocinia patravit, & totidemquæ medicis attulit opprobria. Interdicitur aquæ potus à vulgaribus ſub pænâ mortis, ſed febrientes vulgarium mortem non expaveſcentes, potiùs morti ſe deſtinant, quàm ſitim tolerare velint; fracto funeſto decreto, reſtinctâ ſiti, & per ſudorem abactâ febre, rigidos deludunt medicos. Vulgares ad febrientium ſitim deludendam, circa thalamum varios arte factos aquarum ſalientium fontes imponendos jubent, præter frondentium arborum ramos, quibus parietes, & pavimentum ſternunt, ut aquarum murmure pellatur ſitis. Miſeri febrientes medijs in aquis aquam quærunt, & parem cum Tantalo ſortiuntur ſortem? Itâ *Horat. lib. 1. Serm. Satyrâ 1.* cecinit:

Tantalus è labris ſitiens fugacia captat
Flumina

His ſic ſtantibus, aquam non affatim potandam concedimus, ſed intra limites: *Nè quid nimis.* Non calidam præbemus, quia febrientes non appetunt, quia talem non ſitiunt: frigidam autem in remiſſo, non in ſummo gradu, & in ſummo calore; non igitur ſitis toleranda, nec quidèm ſubter ſudorem, & tùm potus calidus eſto.

Febrientium potus ſit *aqua cardui ſancti, ſcorzoneriæ, vel galegæ,* ſed his omnibus palmam præripit *decoctum cornu cervi,* quo nos pro ordinario in febribus præſertim malignis utimur, & plus auxilij hoc, quàm omnia alia medicamenta affert. Maximoperè *aquam cardui benedicti, vel communem, in qua gelatina cornu cervi diſſoluta ſit,* commendamus, vel *ſerum lactis optimè depuratum,* depurari debet, ne pars caſeoſa remanens malum exaſperet, & cum pomo abſque acido, in taleolas diſſecto purificatur. Vulgares extollunt *Lactis ſerum depuratum, & ſucco citri acidulatum.* Itèm ad malignitati, & pravitati obſiſtendum, in potu addunt *citri, aurantiorum, limorum, vel granatorum acidorum ſuccum, ſpiritum vitrioli &c.* Verum acidularum in his febribus uſus tutus non eſt.

Vini potus à vulgaribus medicis

artè

ſtrictè interdicitur, cùm febris in eorum ſententiâ non ſit, niſi merus calor, & ab Hippocrate ignis vocatur, ac proindè febricitanti vinum præbere eſt veluti oleum ad extinguendum ignem: ſed peſſimo utuntur conſilio, nàm calor, ſeu Hippocratis ignis in febris definitione perijt, cùm non ſit febris conſtitutivum, ſed accidentaliter conſequens, & calor, & febris ſunt radicaliter diſtincta; & conceſſo, quòd calor augeatur, non per hoc & augetur malignitas: creſcit calor, quòd vita fortiùs ad cauſæ occaſionalis expulſionem inſurgit, imò ſi caloris moleſtia vini potu increverit, virium fœnore compenſatur, quæ morborum ſunt medicatrices. Vini hauſtulum in febre malignâ nos non improbamus; eſt enim virium conſervator, & præſtantiſſimus reſtaurator: calor, qui timetur, eſt à ſpiritu volatili, in integro verò vini generoſi hauſtu vel ſcrupulus unus, vel drachma dimidia continetur: quæ noxa à tàm parvâ doſi contingere poteſt? Vinum nàmque eſt humanum nectar, ideóque naturæ amiciſſimum, & vitæ noſtræ analogum continet ſpiritum, eſt ſummè cardiacum, vires inſigniter conſervat, & deperditas reſtaurat; imò pars ejus ſpirituoſa nutrit, & non raró ſanguinem adeò promovet, ut ad diaphoreſim, vel diureſim diſponat. Qui modicè in febribus vino utuntur, vires conſervant, & faciliùs convaleſcunt, qui vino non utuntur, vel naturæ beneficio evadunt, vel diù valetudinarij decumbunt. Nemo ambigit, quin peſtis ſit febris atrociſſima, acutiſſima, & celerrima, quin abſque ſudoribus, & vini meracioris potu ſolvatur. Vinum lymphaticum in febribus tanquàm valdè proficuum, malignitati maximè adverſum, & ut ventriculi languentis lenimen concedimus, verùm à nimio potu abſtinendum hortamur.

Motus, & quies modum ſervent, ne ſuccorum degeneratorum particulæ ob motum nimiùm agitentur, nimiam concipiant fermentationem, & febrem adaugeant, conveniunt tamen frequentes, & vehementes frictiones, adhoc ut natura ad noxij expulſionem excitetur, Quies magis convenit, ut continuatâ diaphoreſi corpus per inſenſilem evacuationem degeneratos ſuccos deturbare poſſit, ut priſtinus reſtituatur tonus: Verùm nimia quies nocet, particulæ nàmque magis torpeſcunt, & ob cunctationem pejorem nanciſcuntur naturam, quæ deindè ob nimiam copiam turgeſcunt, ſanguinem turbant, & febrem intendunt.

Somnus, & vigilia debitam ſervent viciſſitudinem, quòd ſi alterutra excedant, debitis emendentur modis; eſt tamen infeſtus ſomnus ſub primum morbi acceſſum initus, verùm poſt ſtatum multùm eſt neceſſarius, præſentim ſumpto ſudorifero, quia tempore ſomni ſudores copioſè fluunt, Et *ſomnus omnem evacuationem tollit præter ſudorem*. Itèm ſomnus poſt cibum, & horis quietioribus procuretur.

Sic animus in tranquillitate detineatur, & animi pathemata, ut in primis cura, terror, puſillanimitas, mœror, excandeſcentia ſeduló vitentur; his enim vitam, ſanguinem, cæteroſque ſuccus alterandi vis ineſt, vel rectæ rationis moderamine ſaltem compeſcantur, aliter febriens in his in-

compeſcibilis majorem ſibi febris malignitatem comparabit, & mortem accelerabit; forti itàque ſit animo, & ſperet in Deo, & ipſe eum eripiet.

Excreta, & retenta in ſtatu naturali conſerventur, & alvus, niſi ſuum deponat onus, arte quotidiano clyſmatum, vel glandium uſu ad ſcybala deponenda proritetur, quibus addenda hiera, ut naturam ad aliquid moliendum promoveat.

Perluſtrata diætetices orâ, Chirurgiam, & Pharmaceuticam peragrandam aggredimur, & primò, an in hac febre ſanguis ſit detrahendus, ambigimus. Veteres Galenici in his febribus, præmiſſo clyſtere, ſanguinem mittunt, præſertim verò circa febris initia, aliqui non ultra quartum, alij ulteriùs, cùm vires conſtent, quia in his præter malignitatem adeſt etiam putredo, & *Saluberrimum eſſe in omnibus putridis ſanguinem mittere*, ità dictante eorum Anteſignano *Gal.* 11. *meth.* cenſent. Vel quia ut plurimùm malignitas à putredine ortum ducit, ubi autem ingens fuerit putredo, ingens quoque malignitas, & pariter erit incendium præſertim circa viſcera; quapropter ingens deſideratur ventilatio, & refrigeratio, & præcipuè ſi adſit, vel immineat aliqua interna alicujus viſceris inflammatio, quæ non rarò febribus malignis contingere ſolet. Ad duo itaque ſpectant vulgares vel ad malignitatem, vel ad putredinem; Si malignitas putredini prævaleat, minori copiâ ſanguinem educunt: Si malignitas putredo magis quàm malignitas prævaleat, majori copia detrahunt, quia ex putridis humoribus intra venas tranſlatis maligna oritur febris, tutò phlebotomiam ſemel, bis, aut ter reiterant, donec tota putridi humoris in venis contenti ſarcina exonerata ſit, & præſertim ſanguinem fundunt, ſi ab aliquâ evacuatione ſanguineâ ſuppreſsâ ortum habuerit febris, ut in mulieribus ſunt menſtrua, in viris hæmorrhoides, vel hæmorrhagia.

Cæterùm vulgares in ſanguinis miſſione hallucinantur, & præſertim in febris principio, nàm vires, morborum medicatrices, quæ tantoperè in ſuperando hoſte tàm maligno neceſſariæ ſunt, perfringuntur, & vix deindè pro ferendo, & vincendo morbo ſufficient, & malignitas, quæ velut anguis in herbâ latebat, vires colligit, eas exſerit, & ſævitiem intendit. Prætereà febris hæc non eſt cognitu facilis, ut non tàm vulgarem, quàm etiam cordatum decipiant medicum, quia non ſtatim oſtentant pravitatem; blanditur enim hæc, & fallit canum inſtar, qui caudâ blandiuntur, non latrant, & acriùs mordent: Veluti ſirenes, quæ cantûs dulcedine ſopiunt, ſopitos demergunt, devorantque demerſos. Inſuper in febrium principio nunquàm ſanguis mittendus eſt, quia maxima adeſt humorum cruditas, & detracto ſanguine, calor imminuitur, & cruditas eò magis augetur.

Neſcimus, qua ratione in omnibus putridis ſanguinem mittere ſaluberrimum eſſe putârit Galenus; ſupponit enim ipſe ex humorum putreſcentiâ putridas oriri febres: Verùm ſi febres putridæ darentur, omnes tali laborantes febre, eſſent veluti tunc ex putri nati, & putridi abſque ullâ ſalutis ſpe interirent, quia ſecun-

dum

dum vulgatum ſcholarum axioma: *Quod tangitur à putrido, putreſcit.* Dicant quæsò, quomodò putridum à ſano adimunt in harum febrium curatione? Venæ ſectio plethoræ, & non putredini debetur; non ſanguinis miſſione putridi humores evacuantur, ſed aliâ ope medicâ indigent. Prætereà putridi humores vel ſunt intra venas, vel extra; ſi intra, vel in parietibus adhærent, vel cum ſanguine fluctuant; ſi in parietibus, fruſtratoria eſt ſanguinis miſſio, nàm etſi totus auferatur ſanguis, cauſa febrilis intacta remanet, imo illæſa, quia aufertur ſanguis, qui ipſam eluere, vel diſſolvere poteſt. Si in venis fluctuant, & totas occupant venas, quantum libet minutas, non proficies, ex eo quia quod remanet, eodem modo ſe habet ad vires debilitatas, ac ſe habet totus ſanguis ad vires integras. Si non totus corruptus eſt, quis pro te ſpondeat venæ ſectione corruptam tantùm partem, & non bonam extrahi? Si extra venas eſt febris cauſa, ad quid ſanguinis miſſio? forſan ad trahendam, ut vulgi volunt, illam intra venas? Quicquid ſit de hoc, certum eſt ſanguinis miſſione vires minui, & conſequenter morbum augeri. Incertum tamen eſt in vulgarium opinione ipſam juvare, quia ipſorum confeſſione etiam non demonſtrationes, ſed probabiles conjecturæ ſunt, quæ pro illâ afferuntur: In ambiguis autem melius eſt vires ſervare, quàm perdere. Adde, quòd febres tenuem expoſtulant victum ex quo etiam minuuntur vires, quod agnoſcentes medici, *Hippocratem*, & *Galenum* deſeruerunt, imò rationem, & experientiam, atque in ſtatu morborum pleno victu uti coguntur, ex eo quia venæ ſectionibus, & purgationibus ægrorum vires ſuſtulère, & magis læduntur à venæ ſectionibus afflicti ægroti, qui in ſtatu pleno utuntur victu, quam ij qui illarum tyrannidem experti non fuère, ex eo quia ob imbecilles vires concoquere benè non poſſunt; quapropter cumulantur excrementa, viæ occluduntur, per quas forſan natura criſim tentare vult, & ipſa defatigatur, undè morbo, & medico ſuccumbit. Ad id, quod dicunt venæ ſectionem conducere, ut ſanguinis maſſa ventiletur, & calor ſupprimatur, merum figmentum eſt, nàm adhoc ut ſanguis ventiletur, aëri exponi, vel intra venas aërem attrahi neceſſe eſt, quod doloſum eſt effugium, cui praxis repugnat: Nàm ubi ſanguis eſt inſigniter calidus, & in vaſis coarctatur, vix ebullitioni ſufficiens ſpatium habere poteſt, tunc ſanè quandò vena aperitur, potiùs effervefcentia augetur, quia pro ebullitione majus adipiſcitur ſpatium. Tandèm ſuppreſſæ evacuationes, ut menſtruorum, hæmorrhoidum, vel hæmorrhagiæ, ſunt harum febrium cauſæ mediatæ, non verò immediatæ.

Venæ ſectionem in hujuſmodi febribus tanquàm noxiam, & maledictam repudiamus, quia ſanguinis effluvia, quæ calida ſunt, dùm è venis, & arteriis per corpus diffunduntur, tùm materiam reſolvere, tùm naturam ſublevare poſſunt, quæ omninò tor-

pet, ut ad pugnam ſe accingat; quòd ſi è venis educatur ſanguis, cum novus non regeneretur ex coctionis ventriculi defectu, ceſſat unica illa ſpes effluviorum ſanguinis pro caloris corporis conſervatione: præterquam quòd in harum febrium principio ſemper adeſt virium imbecillitas, & facultatum lapſus, quibus præſentibus, ſanguis mitti non debet. Præterea malignitas ſanguinis miſſione non tollitur, ſed alexipharmacis. Itèm ex ſanguinis miſſione vaſa concidunt, & diaphoreſis non facilè procuratur, & natura ſegnior facta criſes moliri non poteſt, ſed morbo ſuccumbit; in ſpecie verò in febribus cum macularum, vel puſtularum excretione conjunctis venæ ſectio inſtituta eſt lethalis, quia criſim ad cutem factam impedit. In his itàque febribus ſanguinis eductio nullum habet locum, adeò ut quò malignior ſit febris, eò magis noceat; idque eò magis quò ſeriùs fuit inſtituta. Tandèm vulgares febres malignas venenatas vocitant, atque ideò in his ſemper venenum inculpant: atqui venenum ſumentibus ſanguinem non detrahunt, nàm ex ſanguinis detractione venenum magis ad partes internas diffundi dicunt: ità neque in hac febre venenatâ ſanguis mitti debet, nàm ità venenum, ſeu malignitas augebitur, & magis in partes nobiles irrepit. Neque dicant vulgares, quòd diſparatio de veneno eſt, nàm in veneno nulla febris adeſt, nullaque putredo. Non ità dicant, nàm quotquot *aquam Tuphaniam*, quæ venenum eſt, quod febrem inducit, ſumunt; omnes, quibus vena ſecatur, è medio tolluntur; quibus intactus eſt ſanguis, omnes evadunt abſque alexipharmaco, quod appropriatum eſt limonis, vel citri ſuccus. Ex his itàque colligimus febres malignas ſectâ venâ magis pernicioſas fieri, imò ipſa phlebotomia eſt ipsâ malignitate malignior, & in certum vitæ diſcrimen conjicit ægrum, & pauci, quos æquus amavit Jupiter, evadunt. In morbis, qui epidemicè graſſantur, ut in pleuritide, dyſenteriâ, ophthalmia, catarrho, anginâ, febribus &c. ſanguinem mittere eſt certò ægrum jugulare. Infelices, qui in morborum epidemiis decumbunt primi, quia antequàm ſpecificum, & appropriatum remedium per ægrorum funera, quod morbum exſtinguit, comperiatur, omnes morti ſuccumbunt.

Neque in his febribus audiendi ſunt illi, qui hirudinibus per venas ſedis febris materiam educere exiſtimant; nàm ſanguis ille innocens eſt, & omninò inculpatus, favetque ſuo calore meſenterij partes, in quibus febris materia copioſior ſtagnat: quòd ſi ſanguinis eductione meſenterij partes refrigerarent, omninò de ſpe ſalutis, & vitâ infirmi actum erit.

Uno tantùm modo extractus ſanguis in febribus nocere non ſolùm non poteſt, ſed multum prodeſſe: eſt ille, ſi ſcarificatâ cute, cucurbitulis ſanguis educatur, ſed cornettis educi præſtat; ſanguis enim cutaneus in his febrib. veluti grumeſcit, & non ſolùm naturæ non opitulatur, ſed illi onus adauget, impeditque ne per cutem febris materia reſolvatur; extrahi poteſt ad libræ pondus ſemel, aut bis, poſt quartum, vel ſeptimum febris diem pro morbi acutie, & validitate.

Maximoperè apud noſtrates medi-

caſtros in febribus malignis curandis in ſtatu decantantur Veſicantia, taliter appellata, eo quod veſicam quandam tenuibus repletam ichoribus in partibus, quibus applicantur, excitant: componuntur autem *ex cantharidibus præparatis, ſeminibus ſinapi, euphorbio, fermento veteri, & aceto ſcillitico*, nàm horum præſidiorum ope plures ab his affectibus vindicatos fuiſſe, aut ſaltem plurimum utilitatis conſequutos quotidianæ ferè teſtantur obſervationes. Sed quoniam nullum in arte medicâ extat præſidium, quod adeò ſit tutum, ac felix, ut nullâ indigeat arte, ſed indiſtinctè in omnibus affectibus, naturis, & quovis tempore adhiberi poſſit; propterea de veſicantium uſu plurimæ ab authoribus inſtitutæ fuêre diſceptationes, nùm ſcilicèt eorum uſus ſalutaris ſit, in quibus morbis, aut quo tempore conveniant, & quibus in partibus ſint applicanda, & inter plures ſignanter opus hoc aggreſſus eſt *Hercules Saxonia in ſuo opere de Phœnigmis*, quorum etiam utilitatem inſigniter commendat *Hoëferus in Hercule Medico.*

In frequenti uſu veſicantia ſunt apud Italos, Gallos, & Hiſpanos in febribus malignis, in ſtatu, ad magnitudinem thaleri, in carpis manuum, vel in pedibus ad promovendam malignitatis expulſionem, quoniam raro ſudorifera uſurpant. Prodit ex veſicis quidam ichor, quem humorem venenatum, malignæ febris cauſam appellant, & in primis commendant tunc cùm externa frigent, & interna uruntur. Itèm in tumoribus aperiendis, præſertim malignis, in bubonibus, & anthracibus commodiſſimè tales veſicas excitare ſolent, nè venenata materia introrsùm verſus regurgitet, & ità cum præſenti ægri periculo repellatur. Similiter ad capitis affectus apprimè convenire dijudicant, in affectibus ſoporoſis, apoplexiâ, vertigine, lethargo, caro, comate, ſi hæ veſicæ in nuchâ excitentur, quoniam ibi opus eſt, ut concitetur dolor, & vigilet æger & ſi veſicantia ſint lenia, & non excitentur cum doloribus veſicæ, tunc ſine fructu adhibentur. Tùm etiam in oculorum affectibus cum fructu applicant, in ſpecie in inflammatione, lippitudine, & ſimilibus affectibus. Vel dentium doloribus applicant pone utramque aurem in ſemilunæ formam. Ad catarrhum veſicatorium cervici, & ſcapulis adhibent. Itèm tanquàm optimum præſidium commendant à capite in deſtillationibus. Tùm etiam in arthritide, & dolore iſchiadico, & ſimilibus morbis à lymphâ acidâ oriundis optimè conducunt pro evacuandâ tali lymphâ, ut ejus motus inhibeatur. Tùm quoque in hydrope, ut lympha mali cauſa evacuetur, ſed veſicantia hîc non adeò ſunt tuta, eſtò nonnulli aliquandò profuerint, quia partium calor puſillus facilè extinguitur, & gangrænam ſæpè afferre ſolent. Tùm tandèm in paralyſi, & atrophiâ, ac ſexcentis aliis affectibus, ut alimento commeatus concedatur.

Profectò hos non infimæ notæ authores circa tàm pernicioſum medicamentum deliraſſe, & inſudâſſe, ac hoſtem pro amico, & pro alexipharmaco venenum expiſcatos fuiſſe obſtupeſcimus, omnia veſicantium ingredientia ſunt malefica, & venenata, abundantque ſulphure inflammabili,

nimio

nimio ſale volatili, acri, exurenti, & cauſtico, principale quorũ fundamentum ſunt canthàrides. Hæc ſulphura, & ſalia mobilitate ſuâ, & volatilitate in ſanguinis maſſam ſe inſinuant, ejuſque miſtionem conturbant, febrilem calorem adaugent, mictum ſanguineum cum dyſuriâ excitant, & cum lotij ſtillicidio ſanguinem extrahunt, eroſis vaſis non ſine intolerabili ardore, & anguſtiâ; hinc perennes vigiliæ, quæruli dolores, inquietudines, virium lapſus, facultatum proſternationes, & ægrotantium clades. His cruciatibus non medela, ſed bina in die tonſorum laniena adjungitur. In tantâ ſymptomatum procellâ natura, quæ eſt morborum curatrix, in varios præternaturales tumultus agitata, à materiæ morbificæ coctione diſtrahitur, & à futurâ criſi, quam forſan moliretur impeditur. Omittimus ulcera, (ſi quandóque ægri evadant) quæ utplurimùm tùm ob cachexiam, tùm ob malam curandi rationem ſæpè chronica, vel cachectica fiunt.

Hoc fallacis medicamenti genus corticem attingit, & nucleum intactum relinquit: corporis ſuperficiem diſcerpit, & hoſtem in centro latentem non perſtringit: centrum laborat, & inſontem laniat peripheriam: & quot ſpei lineas ducit, omnes ad mortis centrum properant. Ichor ex veſicis extillans non eſt niſi latex ſanguini innatans, in àquam mutatus, non aliter ac in ambuſtis obſervamus, nec ichor iſte eſt malignæ febris cauſa, quia per veſicantium lanienam eductus, febris, vel ſalem malignitas imminueretur, quod oppoſitum experimur. Celebrant vulgares in affectibus ſoporoſis veſicantia, ut in lethargo, caro, comate, &c. at non ſoporoſus, quia dormit, malè ſe habet, ſed quia malè ſe habet, ideò dormit, nec ſomnum impedire utile eſt, ſed ſolùm ſomni radicem tollere neceſſe eſt. Qui itàque per dolorum lanienam ſomnum ſuſpendunt, ejus radicem non tollunt, & ægrum crudeliter perimunt.

Unicam tantùm indicationem habere poſſunt veſicantia brachijs, & crucibus applicabilia, quam habet ſanguis ſcaraficatâ cute cucurbitulis eductus; verùm ſi veſicantibus tantùm ſpes ſalutis infirmi reponatur, de illius vitâ actum jàm eſt. Pro ſigno, non pro horum effectuum curatione applicari poſſunt veſicantia, quia applicatis his, ſi nulla ſequatur operatio, nulla excitetur veſica, certiſſimâ mors expectanda eſt. Hinc etiam corporibus mortuis veſicatoria etiam fortiſſima applicata, nullam excitant veſicam; undè ſi in ægro non operentur, curatio ad mortem terminatur, ſic etiam ſi excitatâ veſicâ, nullatenùs purgatio ſequatur mors imminet, ſed hoc ſignum multoties fallax experti ſumus: Unum tantùm pro certo aſſerere poſſumus; quòd quandò locus veſicatus nigreſcit, de vitâ ægri conclamatum eſt.

Expediti à primâ medicinæ columnâ, nempè à Sanguinis miſſione, ad ſecundam tranſitum facimus, ſcilicèt ad purgans Medicamentum, quibus tota vulgarium medicina per ſanguinem, & merdam innititur: appellant enim vulgares has duas columnas duo magna præſidia; quibus indiſcriminatim omnibus in magnis morbis utuntur, & pro his inquit *Hip. Magnis morbis magna præſidia*

convenient. Verùm, an in febre malignâ purgans medicamentum conveniat, & quandò, maximoperè ambigimus. Eapropter dicimus nullo modo convenire, quia purgante turbata ſanguinis miſtio non tollitur, & purgatio directè cacochymiæ, non verò febri, & præſertim malignitati debetur; hæc námque antidotis ſolùm, ſeu alexipharmacis expugnatur. Si ergò conveniat, id indirectè ſolùm, & per accidens, quatenùs ſcilicèt unà cum malignitate quoque in corpore magna nutrimenti degenerati illuvies primis vijs, ſtomacho, inteſtinis &c. inhæreat ex prægreſſis erroribus in potu, cibo, cæteriſque à quibus non ſolùm malignitas fovetur, ſed etiam augetur; ſic enim degeneratorum ſuccorum ubertas minuitur, primæ viæ mundantur, natura faciliùs ſublevatur, criſeſque molitur. Id ex appetitu proſtrato, nauſeâ &c, hariolamur ventriculum à peccantibus humoribus eſſe gravatum, qui priùs evacuari debet, nàm aliàs alexipharmaca, & ſudorifera, ſi dentur, in ventriculo pravis ſuccis immiſta infringerentur, & non facilè clauſtra perrumpere poſſent.

Purgans medicamentum præter quàm in principio, primâ die, & non ultra ſecundam vel tandèm tertiam exhiberi poteſt abſque infirmi damno; in principio diximus antequàm quamcumque excretionem aliam per cutem moliatur natura, elapſa eſt, quia occaſio præceps: ſed abſque ſpe, quod multùm prodeſſe poſſet, primâ enim, & ſecundâ die turbata, atque confuſa adeò natura non eſt, ut ad purgantis ſtimulos aliquid moliri non poſſit, quod ſaltem aliquam materiæ portionem non deturbet, id etiam ab authore aphoriſmorum inſinuatum fuit, *aph.* enim 29. *ſect.* 2. *Cùm morbi inchoant, ſiquid movendum videtur, move: cùm verò conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere.* Et *aph.* 10. *ſect* 4. *Purgandum in valdè acutis, ſi incitet materia, & eâdem die, differre enim in talibus malum eſt.* Et generoſus eſſe debet medicus in hujuſmodi febribus, ſi cauſæ pro ijs præceſſerint, primo, vel altero die in purgante medicamine exhibendo; fieri enim poteſt, ut à purgante ſollicitata natura contra materiam febrilem inſurgat, & in poſterùm ſub illius onere torpeat, quod multùm intereſt ad morbi curationem. Caveant medici, ne quæcumque propinent purgantia in ſpecie in morbi curſu, & à quocumque apparentibus ſudoribus, petechijs, aut maculis, & à quocumque ſtimulo abſtinendum, & ne quidèm ad clyſteres, aut ſuppoſitoria accedendum ſit, quia ſic inſigniter naturæ motum retardant. Purgantia itáque ab initio tradenda ſunt, quo planè elapſo, omittenda, fortiora nocua ſunt; nihil enim exitialius eſt, hominem febre malignâ correptum certiùs ad interitum trahit, quàm quæcumque in ſpecie ingens, & ſuperflua purgatio, ut pluries experientiâ comprobavimus. Purgantia itáque ab initio tradenda ſunt, quo planè elapſo, omittenda, fortiora nocua ſunt. Lene medicamentum eſſe debet, quod vulgares minorativum appellant; propinant iſti duo purgantium genera, minorativum unum, quod utique in harum febrium principio admittimus; eradicativum alterum, quod improbamus,

bamus, & itâ vocari credimus, non quia febrem, ſed unà febrientem è viventium terrâ eradicat.

Inter medicamenta, quæ ſuccum nutrimentalem degeneratum à fibris educunt, inteſtina, & ventriculum non lædunt, & naturam non laceſſunt, primum habet locum conſerva florum perſicorum, ut

℞. *Conſ flor. perſic.* ℥. iv.

Exhibe infirmo immediatè ante prandium.

Mirabiliter etiam id præſtat *extractum catholicum*, vel ſequentes Pilulæ, ut

℞. *Pilul. de tribus Gal.* ʒj.
reduc in v. *pilulas*,

& infirmo exhibe. Reduci etiam poſſet in formâ potûs nobile medicamen hoc modo:

℞. *fol. ſen. or.*
polyp. querc.
tart. pulveriſati ana ℥j.
mannæ coactæ ℥iij.
cinnam. contuſ. ʒiij.
aquæ font. ℔j.

fiat decoctio in vaſe clauſo, & deindè colatura abſque vehementi expreſſione, de qua

℞. ℥viij. *& in eâ diſſ.*
ſyr. flor. perſicor. vel
de ſucc. roſ. perſic. ℥iv.
m. f. p. & exhibe.

Deſcribemus nobiliſſimum, & gratiſſimum medicamentum, quæ *Manna potabilis* vocatur, vulgò hîc *Aqua Angelica*, quæ pulchrum nanciſcitur colorem, & facilè delicatulis, infantibus, & his, quibus nauſeâ premitur ventriculus, & qui ſolo aſpectu medicamentorum odorem perhorreſcunt, propinari poteſt; hæc namque adeo guſtui, & palato grata redditur, ut languentibus in delicijs ſit, ut

℞. *Tart. opt. pulv.* ʒvj.
bull. in aquæ borag ℔j.

ad medietatis conſumptionem, coletur, & in colaturâ infunde per noctem

fol. ſen. or. ſ. ſ. mund. ℥ß.

& manè factâ levi ebullitione, coletur, & diſſ. in eâ

Mannæ elect. Calabrenſis ℥iv.

Clarificetur cum albumine ovi, & trajiciatur per manicam Hippocratis. Si libet, addatur aqua cinnamoni, vel florum Namph. Aliqui addunt *ſucci limonum, vel citri portionem*, ut potio acida reddatur ad guſtatûs oblectamentum, alij in odoratûs gratiam addunt *aquam florum citri, vel aurantiorum, &c.*

Hac methodo omnes potiones ſolutivę clarificari poſſunt, & loco mannæ addere ſyrapia ſolutiva, confectiones, electuaria ſolutiva, &c. convenienti doſi, clarificando cum ovi albumine, & trajiciendo per manicam Hippocratis.

His lenibus purgantibus in formâ potûs in decocto ſemper admiſcent laudabiliter vulgares aliqua in pravitatis gratiam, ut ſunt *cortices citri, radix tormentillæ, ſcorzoneræ, ſcordium, ulmaria, ſucciſa, vincetoxicum, vel contrayerva, &c.* & in ipsâ potione *Tryphera Perſica unicam unam* diſſolvunt.

Initio in hujuſmodi febribus purgans exhibemus medicamentum non ad malignitatem eliminandam, nàm non habemus medicamentum purgans, quod malignitatem evacuet, ſed ob rationes ſuprà allegatas, tùm antequàm vires concidant, & ſuccorum congeries, febris, & malignitas augeantur, & latè intra corpus diſper-

per-

pergantur, tùm antequàm caput petant, & deliria, vel lethargum &c. excitent, antequâm cor opprimant, ac ſyncopes excitentur, & ideò magis hoc faciendum ſuademus, quia in his non eſt expectanda coctio; maligni coctionem non admittunt. Verùm hanc doctrinam non in omnibus indifferenter commendamus, ſed ſolùm particulariter in aliquibus caſibus, & Primò, ſi febris valida & acuta ſit. Secundò, ut diximus, ſi magna degeneratorum ſuccorum congeries in primis vijs ſtagnet, à qua ægrum ſublevari expediat. Tertiò, ſi degenerati ſucci ab initio in motu aliquod membrum motum minentur, vel ſi aliqua turgentiæ ſpecies in corpore appareat, verùm hæc turgentia rariſſimè contingit.

Si ventriculus ſubverſione, vel nauſeâ infeſtetur, vel adhuc cibo ſit repletus, provocandus eſt vomitus, quatenùs ventriculum evacuat. Ex vomitorijs præferuntur cæteris antimonialia propter ſulphur malignitati reſiſtens. Pro vomitu itàque ciendo medicamentum proponimus, quo, qui hujuſmodi febribus correpti uſi ſunt, (primâ, ſecundâ, & tertiâ die, ſed non ultra, quibus exactis, eſt potiùs febrientem necare, quàm curare) omnes mortem evaſerunt, nec unquàm nos fefelliſſe recordamur, cùm illud multoties exhibuerimus: Hoc eſt medicamentum metallicum ſpagyricâ arte paratum, quod *Mercurius Vitæ* à pharmacopolis communiter appellitatur. Circumfertur etiam in aliquibus chartulis ſub *Algorethi* nomine, ob inventoris cognomentum, qui fuit *Victorius Algorethus*. Vis hujus medicamenti ex ſulphure antimoniali dependet, quod per artificium à ſuo corpore fuit extractum, & univerſum corpus mundificandi, & naturam ſublevandi vires obtinet, nàm unico actu profuſiſſimos movet ſudores, & per ſuperiora, & inferiora ventriculi, & inteſtinorum ſaburram exturbat; hujus medicaminis effectus non admirantur niſi ij, qui illud in frequenti habent uſu: modus exhibendi hic eſt:

℞. *Mercurij Vitæ gr.* vj.
f. ejus infuſio in
vini alb. generoſi ℥ij.

ſpatio decem horarum, ſeparetur tunc vinum à pulvere, & vinum infirmo exhibeatur.

Optimum quidèm emeticum eſt Mercurius Vitæ, ſed omnibus emeticis vehementior eſt, & eo non niſi in robuſtis, & in ſummâ virium fiduciâ utimur, & adeò potentiſſimè humores à toto corpore eradicat per vomitum, ſeceſſum, ſudorem, & urinam, & unà cum his pravitatem eliminat, ut nihil relinquat, quod recidivam faciat, & ſicut aurum integrè ab omni inquinamentorum genere purgat antimonium, itâ corpus humanum ab omni impuritate abſtergit; ideóque primis diebus cùm vires vigeſcant, propinandum curamus. Sed cùm non omnibus liceat ire Corinthum, pro debilibus, & delicatulis cautè, & multâ circumſpectione in hoc exhibendo opus eſt, ac pro his *Mercurij vitæ* vehementia cicurari debet, ne evadat *Mercurius mortis*. Nos ex Mercurio vitæ nobiliſſimum, tutiſſimum, & blandiſſimum præparamus emeticum, quod *Hippocras emeticum* appellamus, infundendo

Mercurij Vitæ ℥ijß.

cinnam. acuti,
caryophyll. ana ʒjß.
in vin. alb. generoſi ℔ij.

& poſt levem ebullitionem clauſo vaſe in igne arenæ cum omnibus ingredientibus ſervatur ad uſum, & in exhibitione decantatur. Tanta eſt inexhauſta hujus noſtri Emetici virtus, ut lapidem philoſophorum æmuletur, nàm quò magis de emetico exhauries, & magis reaffundes, in infinitum, & ultrà emetica exhauritur virtus. Eſt blandum emeticum adeò tutum, ut puerulis ad cochlear unum, adultioribus ad duo, & robuſtis ad tria exhiberi poſſit; Leviter omnem ſaburram in ſtomacho, & duodeno ſtagnantem per vomitum rejectat, & lenes movet ſeceſſus: nàm trium horarum ſpatio univerſum corpus ſudore, vomitu, & ſeceſſu purgabit, & ceſſatâ medicamenti actione, quod dignoſcitur, ſi per mediæ horæ ſpatium infirmus non ampliùs vomat, cibo refocilletur ſolido, nàm liquidum facillimè revomet.

Idem præſtat, ſed non adeò efficaciter, crocus metallorum, ut

℞. *Croci metallorum* ʒj.
fiat pulvis,
infundatur in vini generoſi ℥ij.

per decem horas, vinum à pulvere coletur, exhibeatur eodem modo, quo de Mercurio vitæ ſcripſimus. Ad idem, ſed minori efficaciâ, valet *Calix chymicus ex Regulo antimonij conflatus*, ut

℞. *Vini generoſi* ℥ij.

injiciantur in calicem chymicum, ibi detineantur per duodecim horas, deindè infirmo eodem modo exhibeantur, quo ſuprà.

Eſt advertendum, quòd dùm infirmi ex dictorum medicaminum aſſumptione vomunt, ſi per vices parum calidi juſculi ſorbeant, faciliùs voment, & medicamen tolerabunt. Robuſtis, juvenibus & ætate conſiſtentibus abſque ullo ſcrupulo exhiberi poſſunt præſcripta medicamenta, cautè verò cum ijs procedendum in pueris, gracilibus, & ſenibus; iſti námque ſecuritatem, incolumitatemque in noſtro *Hippocras emetico* ſolummodò nanciſcentur.

Verumenimverò ultra ſecundam, & tertiam diem in hujuſmodi febribus purgans medicamen, vel vomitum ciens exhibere temerarium eſt, & contra antiquorum regulas, documenta, & contra ipſam rationem; nàm poſtquàm natura infirmi unum, atque alterum febris inſultum paſſa eſt, confuſa eſt in ſuis operationibus, neque agit niſi id, ad quod à morbi materiâ urgetur, & non ampliùs in ſuâ poteſtate eſt ad opportunos fines medicamentum dirigere. Præthereà per illos duos inſultus morbi materia in penitiores corporis partes ſe inſinuavit, & quia ſeparata non eſt, ſed per univerſum corpus per minima diffuſa per motum medicaminis non ſolùm non purgatur, ſed vehementiùs agitur.

In his ergò ultra ſecundam omninò medici parere debent *Hippocratis* textui 1. *aph. Concocta medicari, atque movere non cruda, modò non turgeat, & Galeni regulis in comm. ejuſdem textûs, & libro quos, & quando purgare oportet*, ſcilicèt quòd niſi in urinis coctionis ſigna appareant, interdictum ſit medicis ijs remedijs movere naturam, quæ illam urgere poſſunt ad agendum id, quod in ſtatu ſalutis agere non ſolebat; Remanet tamen

ci

ei libertas ea conferre naturæ præſidia, quæ ad illas agendas actiones eam promovent, quas in ſalutis ſtatu exercere ſolebat, ac propterea licet medico injectionibus per ſedem inteſtinorum excrementa ſollicitare, urinam ciere, & præcipuè inſenſibilia effluvia per cutem affluenter promovere: nàm degenerato nutrimento nullum expeditius eſt ad exitum iter, quàm illud per cutis poros, in quod naturaliter inclinat, licet ergò medico hæc omnia tentare, & ſi opportunè id fecerit, morbi victoriam per naturæ criſim reportare feliciter poterit.

Notamus interdùm eſſe febrem purè malignam, & interdùm eſſe cum febre continuâ ardente conjunctam, & rarum eſt febrem ardentem eſſe, cui non ſubſit modò major, modò minor malignitas: in tali ergò caſu morbi ſunt quaſi complicati, & ad illud, quod magis urget dirigenda eſt præſertim curatio, adeóque interdùm ad malignitatem reſpiciendum eſt per alexipharmaca, interdùm febri per nobilia præcipitantia, quandóque utrique per moderata acida, aut ſulphura metallica fixa antimonialia, nàm hæc & ardentibus, & malignis conveniunt. Conſiderandum itáque, an in febribus malignis pura, ſcilicèt ſimplex adſit, an conjuncta ſit febris ardens, ut pro circumſtantiarum varietate medicamenta propinanda nunc præcipitantia, nunc ſudorifera, nunc ſola, nunc miſta invicèm variare poſſumus

Injectionum per ſedem variæ ſunt formulæ, ſed hæc erit præſtantior:

℞. Decoct. comm. q. ſ.
olei,
mell. viol. ana ℥iv.
ſalis comm. ℥j.
hieræ picræ ʒß.
m. f. injectio.

Hoc, vel alia enemata non ſolùm in febris principio, ad primam regionem ab excrementis liberandam, ſed etiam in toto febris decurſu uſurpanda ſunt, ſi alvus non fluat ſpontè, idque ſingulis, vel alternis diebus; his enim quotidiana ſubducuntur excrementa, & quædam materiæ morbificæ portio ſenſim detrahitur. Tùm etiam humores ad partes vergentes in contraria loca, eaque naturæ conſentanea retrahuntur. Hæc clyſmata ex decocto emolliente componenda ſunt, adhibitis laxantibus benignioribus: acria, & diagrydiata, quia naturam ad excretionem nimiùm irritant, & ſæpè pernicioſos alvi fluxus inducunt, cane pejus vitentur.

Quòd ſi in morbi decurſu alvus liquida appareat, non idcircò ab enematibus abſtinendum, ſed modicè detergentibus, & refrigerantibus utendum eſt. Verùm ſi maculis, & puſtulis apparentibus fortè ſuperveniat alvi fluxus, nequaquàm ſupprimendus eſt, niſi copiâ exceſſerit, aut maculas retrocedere faciat, aut ægrotum ſenſibiliter debilitet; eſt enim quodammodò naturæ motus evacuationem ſenſibilem molientis, & ideò cautè ſupprimendus. Cæterùm tales alvi fluxus alio tempore venientes, cùm ſint ſymptomatici, ac ſubindè lethales, propterea alexipharmacis adſtringentia ſimul miſcenda ſunt, ut præcaveantur, tanquàm funeſtum ſymptoma id, quod in febribus præſertim malignis cum excretione ad cutem conjunctis notandùm eſt.

Urinam provocant *ſpiritus vitrioli, oleum ſulphuris*, *ſal prunellæ*, *ſal abſynthij*, *ſal tartari vitriolatum*, ut

℞. *Tartari Vitriolati* ℨj.

in juſculo infirmo exhibe. Optimus etiam eſt *ſpiritus ſalis dulcis* ad guttas decem in juſculo propinatus. Mirabilia hæc medicamina ſunt, & præterquam quòd urinam movent, corruptioni reſiſtunt, degeneratum nutrimentum reſolvunt, diſponuntquè illud, ut Naturæ pareat.

Promovent degeneratum nutrimentum ad tranſpirandum per cutem ea omnia, quæ cardiaca communiter appellantur, uti ſunt *elixir vitæ*, *magiſterium perlarum*, *coralliorum*, *confectio alkermes*, *confectio de Hyacintho*, *julepus gemmatus*, *diamargariton frigidum &c.*

℞. *Elixiris Vitæ Quercet.* ℈j.

exhibe in juſculo, vel in ſyr. de ſcordio,

℞. *Magiſterij Perlar.* ℨß.

propina in cochleare de acredine citri Syr.

℞. *Confect. Hyacinth. vel alkermes* ℨß.

exhibe in vino generoſo.

Quidam recentiores perlas, margaritas, corallia, gemmas, & omnia cardiaca, in quæ hæ ingrediuntur, à penu medico prorsùs proſcribere conantur, & reverà mulierum auribus, collo, & brachijs magis, quàm ægrotantium ſtomachis conveniunt; verùm nos non omninò inutiles in medicinâ productas, & tantùm ad mulierum cultum exiſtimamus; nàm harum præparationes in pollinem, ſalia, magiſteria &c. redactæ in aceto, limonum ſucco, ſpiritu vitrioli, vel alio menſtruo diſſolvuntur, omnis horum liquorum acrimonia dulceſcit, & infringitur. Eodem experimento hæc medicamenta internè aſſumpta degenerati nutrimenti aciditatem, humorum acrimoniam, & malignitatem demulcere, & obtundere conjectamus. Prætereà quæ cardiaca communiter exiſtimantur, quodammodò vim habent diaphoreticam, ſed valdè debilem, & his ſuperandis febribus imparem; Nunc efficacia ex triplicato naturæ regno medicamenta, quibus utplurimùm felici eventu utimur, trademus. Omnia erunt ſudorifica, vel ſaltem diaphoretica, quæ nutrimentum degeneratum incidunt, attenuant, & ſubtiliant, illudque à centro ad univerſale corporis emunctorium vel in ſudoris, vel inſenſilis halitûs formam evocant, vel alexipharmaca, quæ malignitatem expugnant. Hæc medicamenta medicus in promptu, & præ digitis habere debet, eaque per vices variare, ne natura uni, eidemquè uſurpata nimiùm aſſueſcat, illiuſque energiam propter nimiam familiaritatem contemnat. Addimus, quòd febrium malignarum non ſemper, nec in omnibus eſt una, eademque ratio, ſed peculiari malignitatis gradu inſignita, ideóque pro corporum, anni temporis, & ſymptomatum varietate admodùm diverſa: ità ut quod uni profuerit, alteri non conferat. Ideò poſtquàm per aliquod temporis ſpatium uno uſus fuerit alexipharmaco, ad aliud, & aliud tranſire neceſſarium erit, mutatio námque medicamentorum multùm juvat, & licèt alexipharmaca in omnibus eadem uſurpari poſſint, ſubindè tamen appropriata adhibenda, aut pro ſymptomatum varietate ſpecificanda.

Hîc

Hîc notandum volumus, quò major eſt malignitas, eò frequentiùs copioſus provocandus eſt ſudor, & ter ſpatio 24. horarum propinanda ſunt medicamenta ſudorifero-alexipharmaca, ſemper tamen habito virium reſpectu, ne nempè ſit nimius, neque æger nimis eſt ſtragulis tegendus, experientia námque docuit nimis contectos cum ſudore expirâſſe. Prætereà nimia, & profuſa ſudoris prolectio, ſerum nimis exhauriendo, ſanguinem coagulat, & inſpiſſat. Cùm ſanguinis maſſa à ſale acri, admodùm volatili, & realgarino (in hoc enim ſale malignitatis cauſa conſiſtit, ut de Peſtilitate dicemus) ità plus æquo ſit diſſoluta, ut propriam amittat conſiſtentiam, tunc ſal acre, volatile, & realgarinum malignitatis cauſa corrigi, & emendari debet acidis, auſteris, terreis, remedijs oleoſis permiſtis ſudoriferis, & alexipharmacis, idque eò magis, quò crebriùs ſudore coguntur ægri, Hùc referimus omnes terras ſigillatas, ipſumque adeò ſulphur minerale, aut metallicum omne, ſed ritè præparatum vitrioli, antimonij &c. Hùc etiam ſpectat *Diaſcordium*, *& Opiata alia*, quæ impetuoſorum humorum effervescentiam, & motum inhibent, ac particulas ſalinas obtundunt. Sic ad ſalis hujus acrioris correctionem faciunt ſalia volatilia blanda, & oleoſa, quatenùs ſalem volatilem, acrem, & realgarinum foras è corpore pellunt; ſic ſanguini debitam reſtituunt conſiſtentiam, & ægros debilitatos reficiunt. In ipſâ ſudoris torturâ acida ſpirituoſis miſta naribus applicentur, quæ ægros debiles nonnihil animant, ità ſunt *acetum theriacale*, *oleum cinnamomi*, *tinctura alkermes*, *aqua apoplectica acida*, *ſpiritus vini*, & ſimilia. Si inter ſudandum æger valdè ſitiat, & lingua ſit arida, juſculum ſucco citri ad gratiam temperatum propinandum, quo non tantùm ſudoris eruptio promovebitur, ſed inſuper ſalis peccantis acrimonia noxia corrigetur.

In vegetabilium Regno *Scordium* inter ſudorifera, & alexipharmaca primam ſibi vendicat ſedem, quomodocúmque uſurpetur; fiuntque ex eo julepi, ſyrupi, acetum, aqua &c. valdè commendabiles in febribus malignis tàm curandis, quàm præſervandis, & præſertim celebre eſt in morbis malignis, & peſtilentialibus *Electuarium Diaſcordij Hieronymi Fracaſtorii*, quod ità componitur:

℞. *Cinnam. elect.*
terræ lemniæ,
caſſ. lign. ana ℥ß:
ſcordij ℥j.
dictamn. Cretici,
tormentill.
biſtort.
gentianæ.
galbani puri,
gummi Arabici ana ℥iv.
opij Thebaici,
ſemin. acetoſ. ana ʒiß.
ſtyracis calamitæ ʒivß.
boli Armen. præp. ℥iß.
piperis longi,
zingiberis elect. ana ℥j.
mell. opt. ℔ijß.
vini generoſi ℔ß.
ſyr. roſ. ℔j.

Miſceantur exactè, & fiat elect. ſ. a. Doſis à ℈j. ad ℥j. tàm ſolitariè, quàm cum alijs ſudoriferis, vel alexipharmacis

macis miſceri, vel propinari poteſt.

Secundum obtinet locum *Contra-yerva*, quæ planta decantata eſt contra venena, quod vocabulum herbam alexipharmacam ſignificat, quoniam illius pulvis adverſus venena præſentiſſimum eſt remedium, eaque per ſudores; aut inſenſilem tranſpirationem evacuat, & tota ſudorifera, & alexipharmaca eſt. Hæc noſtro ſæculo ab Hiſpanis ex Indiâ occidentali allata eſt. Hanc plantam Indi ſcriptores exiſtimant commune eſſe alimentum, quo Capræcervi lapidem bezoardicum generantes veſci conſueverunt, & ex eâ præcipuè vim alexipharmacam lapidi bezoardico tribui. Doſis eſt à ℈j. ad ℥ß. in formâ pulveris, quæ exhiberi cum aquâ cardui benedicti, aut cum alijs alexipharmacis, & ſudoriferis permiſceri poteſt.

Non infimum tenet locum in abigendis morbis malignis *Scorzonera*, præcipuè quæ Viperaria nominatur ob inſignis virtutes, quas in venenis reſiſtendo per morſum ab animalibus inflictis habet, in quo nulli cedit ſimplici, & vis ejus venenis reſiſtendi alexipharmaca ſatis nota eſt; undè ejus radix quomodocumque uſurpetur, accommodatiſſima eſt morbis malignis, & peſti, eapropter in ſyrupos, electuaria, eſſentias antipeſtilentiales, acetum bezoardicum, & conſervam paratur, itèm decoctum radicis ſcorzoneræ cum cornu cervi paratur, quo tanquàm baſi pro julepis in malignis febribus utimur.

Galega, ſeu *Ruta capraria* experta eſt contra viperæ morſum, & hiſtoriam refert Foreſtus de lacertâ cum Uiperâ pugnante, quæ quotiès vulnerata fuit à Uiperâ, confugit ad hanc Galegam, & aliquid contra morſum decerpſit, poſtmodùm verò hac deficiente, mortua eſt; in cujus remedium herba per ſe eſtur, atque etiam exteriùs illinitur. Undè maximoperè in febribus malignis, petechialibus, & peſtilentialibus maximum eſt alexipharmacum, & ſudorificum: fit ex hac aqua, ſyrupus, & in emulſionibus, & miſturis propinandis uſurpatur in morbis malignis.

Tormentilla vi diaphoreticâ, & alexipharmacâ pollet, quapropter ſudorem movet, & ſub formâ ſudoris malignitatem, & venoſitatem eliminat, & quia una eſt ex plantis adſtringentibus celeberrimis, quæ tota, quanta eſt, adſtrictoria eſt propterea in quibuſcumque morbis malignis cum fluxibus nimijs alexipharmaca, & adſtrictoria eſt eximia. Vndè ejus decoctum, extractum, vel pulvis in morbis malignis cum dyſenterijs, & diarrhæis conjunctis, itèm dyſenterijs epidemicis, & in morbis malignis cum hæmorrhagiâ maritatis valdè convenit, nàm fluxum ſiſtit, & malignitati reſiſtit. Prætereà in hæmorrhagijs, fluxibus uteri ſanguineis, & & vomitu ſanguineo præſentaneum eſt remedium.

Imperatoria epidemijs morborum, venenis ferè omnibus, ac venenoſorum animalium tùm morſibus, tùm ictibus opem præbet, quia ſudorifera, & alexipharmaca eſt, quapropter febribus malignis egregium præbet remedium.

Angelica etiam venenis mirificè reſiſtit, & ad rabioſorum, & venenoſorum morſus exteriùs impoſita, & in-

terius aſſumpta valet, ac proindè alexipharmaca eſt, quia ſudorifera, undè in morbis malignis ejus extractum, vel quocumque uſu ſudorem promovet, & unà malignitatem expellit.

Succiſa, aliàs ab herbariorum vulgo *Morſus Diaboli* appellatur, hoc ſuperſtitioſum obtinuit nomen, quia radix ſemper ex unâ parte mutila videtur: Unde dicunt nonnulli ſuperſtitionibus dediti, quos credulum ſequitur vulgus, Diabolum ob tantæ efficaciæ radicem humano invidere generi, atque hac de causâ ubi ſuccreverit, ſtatim eam undequaque dentibus ſuccidere, & circum rodere: quò pervenit humana ignorantia, & ſuperſtitio. Hujus radix alexipharmaca eſt, & ſudorifera, undè in febribus malignis ad ʒ. j. multùm commendatur.

Vlmaria tota, quanta eſt, planta alexipharmaca, & egregiè ſudorifica eſt, malignitatem expellens foràs ſudoris beneficio. Hinc etiam in morbis epidemicis malignis frequentis usûs eſt, & in ſpecie in alvi fluxibus, diarrhœis, & dyſenterijs epidemicis autumno utplurimùm graſſantibus, ejus aqua ſtillatitia ſæpiùs pro vehiculo medicamentis bezoardicis in morbis malignis inſervit. Extractum ejus à *Quercetano contra* peſtem, & febres malignas commendatur.

Carduus benedictus, præter vim antipleuriticam, quia ſanguinèm ab acido præternaturali coagulatum diſſolvit, ſudoriferus eſt, & ob id alexipharmacam obtinet virtutem. Vndè febribus malignis, & morbis contagioſis egregiè ſuccurrit. Eâdem vi antipleuriticâ, & alexipharmaca *Carduus Mariæ* potitur.

Hæc ex vegetabilium regno præcipua legimus tanquàm majori vi ſudoriferâ, & alexipharmacâ pollentia, ſunt & alia, quæ deſcribere productum eſſet negotium, & extra choræam progrederemur, minori virtute prædita, quæ brevitatis gratiâ prætermittimus. Ex his, & alijs multa eliciuntur pro febribus malignis medicamenta, ut decocta, conſervæ, aquæ ſtillatitiæ, ſyrupi, julepi, ſpiritus, eſſentiæ, extracta, & ſalia volatilia, tàm ſola, quàm cum alijs combinata propinantur. Eadem nunc hoc, nunc illo modo diverſimodè combinata varia conflant ſudorifera, & alexipharmaca.

Raymundus Minderus Chyloſtagma diaphoreticum componit, quod valenter ſudorem pellit, venenatamque omnem materiam, & malignitatem à centro ad corporis circumferentiam pellit, & ſuâ ſubtilitate corpus undique pervadit, ac putredines abigit. Undè peſte correptos adiuvat, febribus malignis adverſatur, morbos contagioſos ſtrenuè oppugnat, exanthemata, maculas pulicares, ſeu petechias, variolas, & morbillos excludit, ejus compoſitio eſt:

℞. *Succor nuc. jugland. immaturar.*
limonum,
acetoſæ,
pimpinellæ ana ℔. j.ß.
card. bened.
ſcordij,
rutæ ana ℔. j.
ſcabioſæ.
hederæ terreſtris,
calendulæ,
meliſſæ ana ℥. viij.
chelidoniæ,
galegæ,

aceti de rubo Idæo,
ſambucini,
roſati ana ℥. iv.
rutacei ℔. j.
Rad. tormentillæ,
gentianæ,
dictamni albi ana ℥. ij.
vincetoxici,
carlinæ ana ℥ij ß.
petaſitidis,
oſtrutij,
angelicæ,
zedoariæ,
Cort. citri ana ℥. iij.
boletorum cervinor. ℥. ij.
fol. dictamni Cretici,
ſcordij,
chamædryos ana ℥. j.
ſantal citrin. ʒ. iij.
ligni Rhodij pulv. ʒ. ij.
theriacæ Andromachi ℥. ij.
mithridatij Damocratis ℥. j.
baccar. juniperi recent. ℔. j.
cortic. median. ſambuc. recent.
fraxini recent. ana m. iij.

Cortices ſambuci, & fraxini unâ cum baccis juniperi contundantur in mortario vehementer, & extrahantur indè ſucci cum ſufficienti quantitate aceti de floribus tunicæ, aquæ pimpinellæ, & roſarum ſumendo ſingulorum partes æquales. Hic expreſſus ſuccus permiſceatur cum ſuccis, & liquoribus ſuprà commemoratis, diluaturque in his theriaca, & mithridatium. Tandèm verò cætera inciſa, & contuſa, in ſuccis, & liquoribus jam dictis infundantur, atque ijs ſic tridui ſpatio macerentur, poſtmodùm lento roridi balnei calore per deſtillationem liquor evocetur, in cujus medietate ſuſpendatur camphoræ in nodulo ſerico ligatæ drachma una, altera medietas pro iis, qui camphoram non ferunt, ſeorſim reſervetur. Datur ejus portio in ſyr. de acredine citri, additis ſpeciebus liberantis, corpore ab ejus uſu ad ſudorem compoſito. Verùm *Joannes Zwelferus in animadverſionibus in Pharmacopœam Auguſtanam Raymundi Mindereri Chyloſtagma diaphoreticum* jure merito corrigit, quòd perperàm Theriaca, & Mithridatium deſtillationibus committitur, quia utriuſque potior pars ſit mel, neque ejus vires mediante deſtillatione elici nequeunt, niſi ad totalem humiditatis expulſionem urgeantur, quod in lento roridi balnei calore perfici non poteſt. Reliqua videre apud eundem.

Nos ſequentem miræ efficaciæ *ſpiritum alexipharmacum* compoſuimus, qui talis eſt:

℞. *Radic. ſcorzoneræ,*
imperatoriæ,
angelicæ,
bardanæ,
zedoariæ,
contrayervæ ana ℥. iij.
Herbar. ſcordii.
galegæ,
morsûs Diaboli,
vincetoxici,
dictamni Cretici.
cardui ſancti ana m. j.
Semin. citri ℥. ij.
ocymi ℥. ß.
Cort. citri recent. extim.
aurantior. ana ℥. ij.
baccar. juniperi ℥. jß.
hederæ arboreæ ℥. ij.

incidenda incidantur, & contundenda contundantur, & infundantur in
vini ſpiritûs ℔. vi.
ſtent per octiduum in loco calido, in cucurbitâ vitreâ, impoſito alembico cæco,

jun-

juncturis optime clauſis, ne quid expiret. Tandem impoſito alembico roſtrato, fiat deſtillatio in B. M. Lentiſſimo igne ad ſiccitatem uſque. Hac finitâ deſtillatione, deſtillatum fæcibus reaffunde, & juncturis clauſis, digere per triduum, deindè deſtilla per cineres lentiſſimo igne, deſtillatum circula, & uſui ſerva.

Quantæ efficaciæ, & valoris ſit hic noſter ſpiritus alexipharmacus in febribus malignis, & peſtilentialibus, experientia te docebit, nàm volatilitate ſuâ momento in omnes corporis venas ſe inſerit totumquè pervadit corpus, nutrimentum degeneratum in penitioribus deliteſcens à centro ad peripheriam potentiſſimè evocat, putredini reſiſtit, malignitatem cicurat, & utramque ſenſibiliter, vel inſenſibiliter evacuationem per univerſale corporis emunctorium promovet; èxanthemata, petechias, morbillos, & variolas ad expulſionem impellit; partes roborat principales, ſpiritus reficit, cor exhilarat, animi deliquia pellit, ſyncopes delet, & languentem excuſcitat calorem, valetque plurimùm tàm in curatione, quàm in præſervatione. Doſis ℨ. j. ad ij. in vehiculis appropriatis.

Sunt nonnulli medicaſtri, qui in alexipharmacis, & bezoarticis calorem timent, & eò magis ſi cum vini ſpiritu conficiantur, perhorreſcunt, ne febribis intendatur calor, verùm ſi hic intenditur, malignitas enervatur. Saltem ad alexipharmacorum, & bezoardicorum efficaciam extrahendam vino utantur, nàm in aquâ nulla fit extractio, undè ſequens noſtra *Aqua alexipharmaca* optima erit:

℞. *Rad. tormentillæ,*
bardanæ,
enulæ campanæ,
angelicæ,
gentianæ,
pimpinellæ,
Zedoariæ ana ℥. ß.
fol. betonicæ,
ſcabioſæ,
hyſopi,
rutæ,
centaur. min.
cort. median. fraxini ana p. ß.
Incidenda incidantur, contundenda contundantur, & infundantur in
vini alb. opt ℔. iij.
adde theriacæ opt.
mithridatij ana ℥. ß.
pulv. terræ ſigillat.
ſantal. citrinor. ana ℨ. iij.
miſce, ſtent in loco calido per v. dies, deindè deſtilla omnia in alembico, lento igne ad remanentiam duarum partium, & uſui ſerva.

Vel ſaltem, ſi vini ſpiritum, quia igneus eſt, timent, illum aquâ fontanâ diluant, ut ejus æſtus temperetur, qua de re ſequentem *Aquam bezoardicam* componimus:

℞. *Rad. carlinæ exſiccatæ* ℔. ß.
petaſit.
contrayervæ,
vincetoxici ana ℥. ij.
fol. ſcordij.
flor. hyperic.
abſynth. ana ℨ. iij.
m. f. pulvis, cujus.
℞. ℨ. xii.
aquæ fontis ℔. ij.
ſpiritus vini rectificat. ℔. j.
miſce, & poſt quatuor, vel quinque digeſtionis dies deſtilla per veſicam ad medietatem. Doſis pro præſervati one co-

cochlear j. pro curatione iij. reiterando ſemel poſt quinque horas deſuper ſudando, quouſque meliorari ſentiat æger.

Plura alexipharmaca ex Vegetabilium Regno deſcripſimus, ſed quia his plena ſunt omnia opera medica, meritò præmittimus. Præterea ex aliorum, & his noſtris receptis quantùm conjicere potuimus plantas alexipharmacas vertiginoſo curſu, & vitioſo circulo ferri, & varia alexipharmaca diverſimodè combinata fieri eodem ferè modo ac ex viginti literis latinis diverſo concurſu, ordine, & poſitu diverſa complentur volumina, & tamen eædem ſunt literæ, figurâ tantùm differentes; vel ut ex atomis diverſimodè combinatis, & ſituatis Univerſum conſtat; non aliter ac in eodem chartæ folio agyrtæ facere ſolent, cum quo rerum mille figuras, modò has, modò illas repræſentant plicarum ſeriebus momento mutatis.

Theriaca innumeras in omnibus ferè morbis obtinet virtutes, nec eſt morbus, cui non competat, & præcipuè expertum eſt alexiterium adverſus venena, & venenatos morbos, in ſpecie ex vegetabilibus, & animalibus, non verò mineralibus; undè in peſtilentibus conſtitutionibus, ipſiſſimâ peſte, ac eò magis in febre malignâ, quæ eſt peſte mitior, alexipharmaca eſt non tantùm ad præſervationem, quantùm ad curationem. Hinc meritò omnium medicamentorum Reginam nominamus, & nunquàm à ſublimi, & priſtino majeſtatis throno depoſita fuit ob promiſſionum certitudinem, & actionum efficaciam ſingulari multorum encomio celebratam, & non niſi interituro orbe deponetur. Antiquitus ſolùm Imperatoribus, & Regibus magnis ſumptibus ſimplicia ad ejus confectionem à diverſis orbis partibus comparantibus uſui fuiſſe conſtat, cujus confectio non niſi medicis Cæſareis, & Regijs ob fidem peculiari privilegio credebatur. At nunc ſimplicia ejus compoſitionem ingredientia, quaſi intra proprios lares oborirentur, ac proindè multis ſuccedaneis conſpurcata eas non patrat morborum ſanationes, quas olim feliciter moliebatur, quia à pharmacopolis tenuiſſimæ fortunæ, & lucri cupidine allectis, januis clauſis, & à multis impoſtoribus clàm conficitur, & utinàm non deſiderarentur aliqua ſimplicia, quæ eſſentialia ſunt, ideóque nunc vilis proſtat ob ejus ignaviam, & vilem mercedem, quia nunquàm pretioſæ merces vili pretio comparantur. Tantùm Venetijs optima, præſtantiſſima, & omnibus abſoluta conficitur theriaca, & totam Italiam, & ultra peragrat, quia providus, & auguſtus Senatus in ejus confectione pharmacopolis ſapientiores præficit medicos, & ſalutis deputatos, ac aperto Jove, undique concurrentibus civibus, & exteris, conficitur.

Ex theriacâ aqua theriacalis fit, & ipſi theriacæ præferenda videtur; eſt enim tenuiſſima, valdè ſpirituoſa, & volatilis, faciliùs, & citiùs penetrat, totumque corpus pervadit. Præſtantiſſima eſt in febribus malignis, petechialibus, peſte, variolis, & morbillis. Sudores prolicit, malignitati, & humorum putredini reſiſtit, lumbricos enecat, & utramque evacuationis paginam tàm ſenſibilis,

quàm

quàm inſenſibilis complet. Humores laudabiles conſervat, vitioſos corrigit, partes principales roborat, viresque reſtaurat.

Timent nonnulli theriacæ caliditatem, undè pro eâ temperandâ varios excogitârunt liquores, & ſuccos, quibus theriacæ energiam proliciant. Valdè temperatam *Bauderonij Aquam Theriacalem* nonnulli exiſtimant, quia alium non recipit liquorem, niſi acetum, & ſuccum limonum, à quibus calide ingredientia valdè temperantur; ideóque ab ℥ß. ad ℥j. in aquis, vel decoctis ſudoriferis exhibent. *Lazarius Riverius* eodem afflictitatus ſcrupulo aliam paratu facillimam majori febrem refrigerandi vi præditam, & malignam qualitatem oppugnantem excogitavit, quæ in toto morbi decurſu uſurpari valet, ejuſque compoſitio talis eſt:

℞. *Limones recent. & ſuccolent. num.* XII.

Cortices, & ſemina eximantur, ſuccus exprimatur, eique adde cortices prædictos, & ſemina,

ſucci ſcordij lib. iij.
acetoſæ,
card. bened. ana lib. j.
raſuræ corn. cervi ℥iv.
theriacæ veteris ℥ vj.

Cortices limonum in tenues laminas decidantur, ſemina contundantur, & herbæ, quæ minus habent ſucci inter contundendum ſucco limonum irrorentur, omniaque deſtillentur in MB. Hujus aquæ detur ℥*j.* per ſe, vel cum aliis liquoribus permiſta.

Noſtrates medici eodem theriacæ calore perculſi omnes *Aquam Theriacalem Petri Salij* præſcribunt:

℞. *Succ. rutæ capraria,*
acetoſella,
ſcordij,
citrij ana lib j.
theriacæ ℥ j. ß.

Commiſta macerentur in B. tepido, deindè deſtillentur ad ſiccitatem uſque, aquam deſtillatam ſerva. Doſis ℥ß. *ad ij.*

Inepta, & nauſeabunda aqua theriacalis eſt tàm *Lazari Riverij, quàm Petri Salij*, quæ illorum medicorum libidinem explet, qui aquam theriacalem ſine vino, vel vini ſpiritu exoptant, vel cùm reformidant; nàm hi ſucci, nullâ præcedente fermentatione, nil dant, niſi inſipidum phlegma omni virtute, & efficaciâ caſſum, ignavum mēſtruum, & improportionatum ad omnem extractionem, & theriacâ conſpurcatum. His utuntur ſuccis, ut theriacæ calida ingredientia temperent, & vini ſpiritum aufugiunt, quia calidus, ſed fruſtrà laborant, nàm ſine vini ſpiritu nulla fit extractio, neque vini ſpiritum in doſi exili in hujuſmodi febribus timere debent, quia theriacam volatiſat, & vehit, & demus, quòd febrem augeat, malignitatem obtundit. Prætereà miſceri poteſt cum *aquâ ſcorzoneræ, rutæ capraria &c. vel cum ſyr. de ſcordolo, acredine citri, cardui ſancti &c.*

Sequens *aqua Theriacalis* eſt *cum ſpiritu vini*, ut

℞. *Spiritûs Vini opt. rectificati lib. j. ß.*
theriacæ veteris ℥ viij.
myrrh. elect. ℥ j. ß.
Croci orient. ℥ ß.

miſceantur omnia, & infundantur per 24. horas, per cineres in alembico vitreo lentiſſimo igne deſtillentur, deſtillatæ

ta circulentur in ventre equino, & iterùm deſtilla, & ſerva. Erit aqua ſummè efficax in ſudoribus provocandis, in febribus præſertim malignis, peſtiferis &c. Doſis ʒ *ij.* in aquis ſyrupis, julepis &c. appropriatis, jejuno ſtomacho.

Mithridatium celeberrima eſt antidotus, quod à Mithridate Ponti, & Bithyniæ Rege nomen, & famam accepit; hoc enim adverſus venena ſe præmuniebat, & venenis vitam alebat, tandèm ne in Romanorum triumpum raperetur, cùm fruſtrà ſæpiùs venenum bibiſſet, concidit ſuâ manu. Mirificum eſt *Mithridatium* curativum, & præſervativum electuarium pro venenis, undè in debellandis tàm exteriùs morſu, vel alio modo inflictis, vel interiùs ingeſtis; in febribus malignis, & peſte nullum datur majus remedium: theriacæ pares habet vires, & eodem modo morborum miriades curat, & ab illis præſervat. Hinc nonnulli ex hoc electuario unà cum theriacâ *Aquam theriacalem deſtillatam* conficiunt, ut

℞. *ſucc. cort. nucum virid. lib.* IV.
rutæ.
cardui ſancti,
calendulæ.
meliſſæ ana lib. ij.
Rad petaſit. recent. lib. j. ß.
bardanæ lib. j.
angelicæ recent.
imperatoriæ ana ℥ *vj.*
fol. ſcordij m. IV.
theriacæ veteris,
mithridatij ana ℥ *viij.*
vini generoſi lib. XII,
aceti vin. alb. acerrimi lib. vj.
ſucc. limon. lib. ij.
Infundantur in vas vitreum, quod optimè claude, & per duos, vel tres dies ſtent in Balneo, vel in ventre equino, deindè deſtilla ſ. a. & ſervetur ad uſus. Doſis ℥ j. ad ij. vel iij. Potentiſſimum eſt alexiterium contra quæcumque venena, peſtem, ſimileſque morbos malignos, & contra omnem aëris infectionem, à quibus præſervat, & curat.

Noſtrates medicaſtri nunc in febribus malignis *Antidotum Matthioli* magnâ energiâ, tanquàm magnum arcanum in his neceſſariò depellendis præſcribunt, undè qui optimæ notæ medicus videri exoptat, ad hoc tanquàm ad ſacram anchoram recurrat oportet: eunt, quò itur, & omnes in eodem libro legere conantur. Optimum quidèm Antidotum, nàm Theriacen, & Mithridatium excellit, cùm ingredientium numero ferè innumero longè ſuperet; imò tantâ ſimplicium congerie Matthiolus hanc ſuam antidotum ſaginavit, ut penè trecentis octaginta, & plura congeſſerit, & hæc octies, ſepties, quinquies, quater, & ad minus ter, vel bis iterârit, nec his contentus, ut antidotum omnibus numeris abſolutum conficeret, ad compoſita, ut ſpecies cordialium temperatarum, diamargariti frigidi, diamoſchi dulcis, diambræ, de gemmis frigidis; ad trochiſcos de camphorâ, ſcilliticorum, de viperâ, tandèm ne medicamentum tàm ſimplex, quàm compoſitum intactum relinqueret, ad theriacam, & mithridatium recurſum habuit, ut magnum, & antidotorum antidotum moliretur. Hujus antidoti auctorem rerum ſimplicium, & compoſitarum medicinalium cognitionem potiùs oſtentare, quàm medicæ neceſſitati ſatisfacere voluiſſe

credimus. Verùm ex hac tot ingredientium confuſione antidotum confecit, cujus vires aſſignatæ promiſſis non reſpondent, nàm integræ libræ comeſtæ neminem à veneno, peſte, febre malignâ, aut aliquo alio illorum morborum, in quibus hæc antidotus celebratur, immunem præſervare, aut iiſdem infectum liberare potuerunt, undè cum *Horatio in Arte Poëticâ de Antidoto Matthioli* dicere poſſumus:

> *amphora cœpit*
> *Inſtitui: currente rotâ, cur urceus exit?*

Cœterùm pro Matthioli Antidoto feliciori ſucceſſu ſubſtitui poteſt Theriaca, vel Mithridatium.

Opiata ad vegetabilium regnum ſpectant, & in febribus malignis quibuſcumque utramque faciunt paginam, nempè vitam ſedant, & ſudoris excretionem promovent; hinc ſymptomata leniunt, vigilias, & deliria præcavent, & impetuoſos humorum efferveſcentium motus impediunt, & compeſcunt, in ſpecie horrendum, ac metuendum ſæpiùs ſanguinis per nares profluvium ſiſtunt. Ità ſunt *Nepenthes Quercetani*, *laudanum opiatum à nobis in Mantiſſâ deſcriptum &c.* Verùm propinari debent pro ſalutari uſu tribus conditionibus, Prima, quò ad tempus, nunquàm in ſtatu morbi, ſed tantùm in principio, & præcipuè in incremento. Secunda, viribus adhùc conſtantibus, quas aliàs debiles ſpiritus ſopiendo, magis debilitant, nec dùm quandò omnia ſunt deſperata, quia tunc inutilia. Tertia, tunc cùm naturæ motus non ſolùm prohibent, ſed ſi criſis imminet, propinari non debent. Exhibendi modus eſt, ne propinentur ſolitariè, ſed ſemper appropriatis, vel diaphoreticis, vel ſpecificis miſta, quia tunc jucundiùs, & feliciùs operantur; undè in febribus malignis ſemper permiſceri debent cum medicamentis bezoarticis, alexipharmacis, *cum bezoartico minerali*, *Joviali*, *cum ſalibus volatilibus*, *ut viperarum*, *cornu cervi*, *&c.* quia ſiquid his ſubeſt, facilè corrigitur; eapropter *noſtrum laudanum Opiatum* præ omnibus maximopere conducit, quia alexiterijs, & diaphoreticis conſtat. Undè & *Theriaca*, *& Mithridatium*, *& Diaſcordium Fracaſtorij* præferuntur in malignis, quia ſuper baſin opij ſunt conſtructa. Notamus tamen, quòd theriaca ſola abſque acido adjuncto propinata in malignarum principio, præſertim cum fervore exceſſivo, ſeu efferveſcentiâ nimiâ conjunctarum, nonnihil ſit ſuſpecta: quoniam per ſe ſola nimiam ſanguinis turgeſcentiam excitare ſolet: ergò miſcenda cum aceto theriacali, aceto rutaceo, &c. quæ ſanguinis efferveſcentiam nimiam blandè compeſcunt.

In vegetabilium regno non datur potentius alexipharmacum *camphorâ* tàm interne, quàm externè, & ſtupendos præſtat effectus in peſte, & febribus malignis. Eſt adeò volatilis, ut in pyxide coërcita, nullo veſtigio relicto, exhalet, ut enim conſervetur, & non exhalet, cum aliquot piperis granis, vel lini ſeminibus conſociatur. Eſt ergò liquor totus oleoſus, & volatilis condenſatus, vel potiùs eſt ſal volatile quoddam concentratum cum pinguedine ſulphureâ, & oleoſâ, ac proindè adeò penetrantis,

&c.

& volatilis eſt naturæ, ut accenſa vehementiſſimè medijs conflagret in undis: ideóque potentiſſimè penetrat, per totum corpus minutatim ſe inſinuat, & à centro ad corporis peripheriam nutrimentum degeneratum unà cum malignitate per ſudorem profuſiſſimè, vel inſenſiles exhalationes expellit. In febribus malignis miſcetur cum ſale volatili cornu cervi; vel ſale volatili viperarum, addito antimonio diaphoretico, ut

℞. Antimonij diaphoretici ℈j.
ſalis volatilis cornu cervi, vel
ſalis volatilis Viperarum gr. viij.
camphoræ gr. ij. iij. *vel* iv.
pro ratione ætatis;
m. f. pulvis pro unâ doſi,

qui ſingulis octo horis repetendus eſt.

Solvitur camphora pro eâdem febre malignâ in ſpiritu theriacali, & fit ſpiritus theriacalis camphoratus, qui eſt tertium ingrediens miſturæ ſimplicis.

Citrus ità totus alexipharmacus eſt, ut non ſine ratione omnibus theriacis, mithridatijs, & confectionibus magiſtralibus in uſu antipeſtilentiali, & alexipharmaco præponatur. In morbis malignis tàm præſervandis, quàm curandis, poſt ſudorem nihil melius, quàm ſuccus citri acidus confert, ſive aſſumatur ſuccus in potu, ſive ſuper alimenta exprimatur: nàm quandò cum ſudoribus ſpiritus deficiunt, & imbecillitas oritur, aſſumpto citri ſucco ejus aciditas ſanguinem nimis fluxilem moderatè coërcet, & debitam ei conſiſtentiam reſtituit, ſimulque malignitati reſiſtit, ne cuniculos agere, & ſe multiplicare poſſit. Ex citri ſemine ordinariè fiunt emulſiones in morbis malignis, variolis, morbillis, & petechialibus.

Nux juglans, ſive *nux regia* à nocendo dicta fuit, quia gulæ, linguæ, & palato nocent nuces; in nimiâ námque quantitate comeſtæ, & præſertim ſiccæ tuſſim excitant, cruditates, vertiginem, & ſitim inducunt, & certum eſt verſantes, vel ad tempus ſub plantæ umbrâ dormientes cephalalgiâ, & quandóque febre affligi: emittit enim pravum halitum, qui cerebrum protinùs irrepit, ideòque juxta ſemitas plantatur, & hac de causâ his dolet carminibus:

Nux ego juncta viæ cum ſim ſine crimine vitæ,
A populo ſaxis prætereunte petor.

nec adeò nux noxia, quin in ſe aliquid boni non coërceat; condidit quandóque natura venenum, in cujus ſinu alexipharmacum abſtruſit. Conditæ, cum impregnatæ ſint aromatis, valdè pro capitis, & ſtomachi corroboratione internè conducunt, & erigunt etiam membra ad Venerem torpida. Succus ex his putaminibus viridibus expreſſus, & inſpiſſatus vocatur Rob nucum, quod in faucium affectibus, & præcipuè in inflammatione uvulæ, tonſillarum, & in anginâ conducit. Præ omnibus eſt maximum contra venena præſervativum; nota námque eſt antidotus Mithridatis, qua ſe præſervaſſe fertur à quocumque veneno, & conſtat ex aliquibus nucibus juglandibus, aliquot folijs rutæ, & aliquot ficubus, adeò ut ab omnibus ſemper nucibus juglandibus adſcripta fuerit vis contra venena. Hinc in Belgio proſtat *Aqua Prophylactica* contra

contra peſtem, & febres malignas, alioſque morbos malignos epidemicè graſſantes, cujus primarium ingrediens ſunt nuces juglandes, modò non ſint baſis. Ejus compoſitio eſt hæc, nam quia non ubivis eſt obvia, deſcribere lubet:

℞. *Rad. angelicæ,*
Zedoariæ ana ℥j.
petaſitidis ℥ij.
fol. rutæ ℥iv.
meliſſæ,
ſcabioſæ,
flor. calendulæ ana unc. ij.
nuc. jugland. immatur. conciſar. ℔ij.
pomor. citrior. recent. conciſor. ℔j.

Contundantur omnia ſimul, deindè affundatur acetum vini optimi ad tres, quartas partes, ex arenâ in cucurbitâ vitreâ per ſe deſtillati lib. vii. Digerantur per noctem, deindè deſtillentur igne cinerum lento ad ſiccitatem, idque ſine uſtione, & acetum hoc uſui ſerva.

Si extractum, & ſal tibi placet, affunde deſtillatum capiti mortuo, ſive remanentiæ, ac per triduum digere, ad extractionem tincturæ, quam filtra, filtratam deſtilla in MB. ad extracti conſiſtentiam: caput extrahe. Deſcriptionem hanc habet *Barbette in praxi lib. 3. cap. 3.* uti etiam *in tractatu de peſte.* Compoſitio eſt elegans, & frequentis eſt uſûs, ut diximus contra peſtem, & alios morbos malignos, & epidemicos.

Peragrato Vegetabilium Regno, ex quo eas ſelegimus plantas, quæ virtute alexipharmacâ, diaphoreticâ, & ſudorificâ febres malignas pellere natæ ſunt; nunc Minerale Regnum inquiramus oportet, ut indè ea eruamus medicamenta, quæ fixiori energiâ pravitatem eliminant. Ex mineralibus duo elicimus medicamenta, ſudorifica nempè, & diaphoretica, & ob hanc rationem alexipharmaca ſunt, & in omnibus febribus tutiſſima, & ſaluberrima cenſemus; natura námque quamplurimos acutos morbos criticè per ſudorem, vel diaphoreſim feliciter curat: imò morbi illi qui catharticis, emeticis, & alterantibus curari nequeunt, quia radices altiùs habent fixas, ut epilepſiæ, paralyſes, contumaces catarrhi, hydropes, arthritides, lues Venerea, &c. ſudoribus eradicantur, imò in intermittentibus febribus ordinariò paroxyſmum fauſto ſudore natura finit. Inſuper in malignis febribus hoc totũ ejus eſt negotium, ut per cutis poros malignitatem eliminet, cujus veſtigia non raròſunt exanthemata, petechiæ, & puſtulæ per corporis ſuperficiem diſſeminatæ; ideóque nulla febris tutò abſque futuræ recidivæ ſuſpicione curari poteſt, niſi corpus maduerit. Hinc medicus naturæ Simiolus ſudorem provocare debet, quia ſæpiùs neceſſitas indicatur, cùm indubitatum ſit tertiam morborum partem per ſudorem, vel auctam ſaltem inſenſilem tranſpirationem curari poſſe. Eapropter ſemper medicum in praxi curare oportet, ut cutis pori conſerventur recluſi, ne ijs occluſis, aut præſens augeatur morbus, aut ſuperinducatur ipſi novus. In febribus malignis ſemper materia morbifica eſt cruda, ideſt non ſeparata, ſed potiùs in fibris, vel ſanguini participata in ipſis fermentat, prius coquatur, i. præcipitetur, & ſeparetur oportet, aliàs enim vel ſudor ſequitur nullus, vel crudus latex aquoſus cum copioſis ſpiritibus volatilibus exhalat ſine ægri levamine,

imò potiùs cùm ſummo ejuſdem diſpendio; tunc ut his caſibus occurramus, præcipitantia præmittenda ſunt, vel ſudoriferis addenda. Imò non rarò poſt præcipitantium uſum ſpontanei ſequuntur ſudores, ſed hoc non eſt neceſſe, ut rigoroſè adeò obſervetur in morbis malignis, ubi non eſt materiæ cruditas. Hæc ergò aſſeverant ea, quæ alibi dicta ſunt aph. Hip. de concoctis evacuandis tàm de purgantibus, quàm de diureticis, & ſudorificis eſſe.

Medicamenta ſudorificà, & diaphoretica ea cenſemus, quæ nutrimentum degeneratum, & ſanguinem colliquefacere apta ſunt: ſed cùm eorum conſiſtentia ſit à ſubtili eorum acido, omnes particulas in primis nutrientes, cæteris permiſtis blandè coagulatis, ſicque in debitâ unione conſervans, patet ex hoc facilè, quia ſudorifica operantur, quatenùs hoc acidum temperant, vel ejus actionem impediunt; non enim calefaciendi, & attenuandi vim habent, quam ex inſipido eorum ſapore colligimus, cujus ratione etiam delicatioribus quibuſvis ægrotantibus, & ingrata reſpuentibus medicamenta facilè exhibemus. Sunt hæc diaphoretica in duplici diſcrimine, prima ſunt poſitivè talia ex. c. ſpiritus volatiles ſalini omnes, ut *cornu cervi*, *urinæ*, *ſanguinis humani*, *viperarum &c.* Itèm ſalia fixa, ut cardui benedicti, abſynthij, tartari. Itèm vegetabilia, ut *angelica*, *centaurium minus*, *carduus benedictus &c.* Similiter *camphora &c.* Hæc enim ceu alkalia pura, vel his copioſè impraegnata præcipitant acidum, & ſic effectivè ſanguinem attenuant, & fundunt. Secunda privativè talia, quæ non conſtant tali alkali manifeſto, ſed vel hoc ſunt impraegnata occultè, vel ſunt talia, ut abſorbeant acidum in ſe, vel alio modo ejus activitatem impediant, ut *terra ſigillata*, *oculi cancrorum*, *lapis bezoar*, *antimonium diaphoreticum*, *cornu cervi uſtum*, *vel philoſophicè præparatum &c.* dùm enim ab his imbibitur acidum, & hoc ea aggreditur ſolvendo, ſanguis, vel degeneratum nutrimentum attenuatur, & reſolvitur, & ſic ſequitur ſudor, & ità etiam perbellè diſcurrit *Ettmüllerus*.

Magnum diſcrimen eſt inter ſudorifica, & diaphoretica; ſudoriſica enim ea ſunt, quæ ſanguinis, vel ſuccum alimentalem poſt ſuſtentationem attenuant, & fundunt, & in halituoſam ſubſtantiam convertunt, quæ vaporetenus ad corporis ambitum fertur, & roris inſtar per glandulas cutis milliares tranſſudat, & in guttulas concreſcit ſenſim decurrentes; Diaphoretica verò ea ſunt, quæ diaphoreſim i. inſenſilem augent evacuationem, & hanc eandem materiam inſenſibiliter, & perenniter reſolvunt, non ſecus ac afflatus anhelitûs æſtatis tempore inviſibiliter in auram ambientis calidam evaneſcit; ab externo autem hyemis frigore mox condenſatur in vaporem viſibilem craſſæ nubeculæ inſtar. Undè inſenſilium tranſpirationum nubecula ſemper nos ambit, & hæc diaphoreſis, ſeu inſenſilis tranſpiratio, teſte *Sanctorio in Staticâ Medicinâ* omnes ſenſiles antecellit evacuationes. Felix ille in morbis curandis medicus, qui optimæ notæ diaphoreticum eſt aſſequutus, nàm ferè majorum

jorum morborum partem abſque ſenſili, & manifeſtâ depellet. Sunt nonnulli medentes, qui Mercurio diaphoretico primi ordinis potiri gloriantur, ſed ejus operationes nomini non ſunt conſonæ, nàm quandóque per ſeceſſum, vel vomitum operatur, & ſi diù aſſumatur ptyaliſmum excitat: Conſiderate quæsò, an ſit diaphoreticus?

Ex minerali Regno antimonialia fixa omnibus alijs medicamentis palmam præripiunt, quia antimonij ſulphur de naturâ ſolari nonnihil participat, malignitatem figit, fixatamque per corporis poros nonnihil educit. Hinc bezoartica ſive minerale, ſolare, ſive Joviale &c. pro baſi antimonium agnoſcunt. Placet hùc bezoartici mineralis præparationem transferre ex noſtrâ *Pyrotechnia Sophicâ lib. 4. cap. 4. articulo unico* ut

℞. *Spum. venenat. duor. Drac. ſemel rectificat.* ℥iv.

his calore reſolutis ſuperfunde ſpiritûs ſalis balſamici uncias totidem guttatim, ne nimiæ ebullitiones ſpirituum jacturam faciant. Deſtilla ex arenâ per cucurbitam cum alembico omnem liquorem ad ſiccitatem uſque, terram exime, & probè tere, eique liquorem deſtillatum reaffunde cum ℥ij. *ſpiritûs recentis balſamici, & deſtilla ut anteà. Huic pulveri trito reaffunde liquorem deſtillatum cum aliis* ℥ij. *ut ſuprà, & procede rurſùs, ut priùs. Maſſam tritam trade Vulcano docimaſtico examinandam per aliquot horas, materiam continuò agitando rudiculâ ferreâ purâ. Tandèm eam, alcohol vini ab eâ aliquoties abſtrahendo, rectifica, ut remaneat pulvis ſiccus, candidus, & dulcis.* Singularis eſt ejus uſus in omnibus affectionibus peſtilentibus, & febribus malignis populariter graſſantibus; eas enim è centro educit, & evellit, ſudores potentiſſimè movendo. Exhibentur gr. iij. ad. vj. in Diaſcordio Fracaſtorij, extracto contrayervæ, camphorâ &c.

Antimonium diaphoreticum in febribus malignis ſummum eſt medicamentum; efficaciſſimè námque coagulatum, degeneratumque nutrimentum per ſudorem, & inſenſilem tranſpirationem reſolvit, ſomnum conciliat, naturam exaltat, illamque ad criſim diſponit, abſque eo quod vomitum, vel ſeceſſum moveat. Ità fit:

℞. *Antimonij, & ſalis petræ ana* ℔j.

Pulveriſa, & ſimul miſce, pone in tigillo, deindè adhibito carbone vivo, ſtatim detonabit. Vaſe frigefacto, materiam exime, ablue, & rursùm tere, miſcendo ut ſuprà ana ſalis petræ, & eodem modo calcinando, & elaborando, nàm non ut priùs facilè concipiet ignem. tertiâ etiam vice ut ſuprà ſimiliter age. Tandèm da ignem liquefactionis modicè ad horæ ſpatium. Ultimò totum illud, quod remanſit, tritum coquatur in aquâ fontis per aliquod horas, poſteâ calens decoctum per filtrum tranſmittatur, & in loco frigido relinquatur: ſic nimirùm per ebullitionem id, quod ſubtilius in aquâ ſolvitur, & tandem præcipitatur in pulverem admodùm albicantem, & tenuem, ſæpiùs abluendum. Quòd ſi acetum deſtillatum immittatur in idem decoctum filtratum, faciliùs, & celeriùs pulvis iſte cadit majorum virtutum, qui dicitur magiſterium antimonij diaphoretici, & idem præſtat in minori

doſi, quod ipſum antimonium diaphoreticum, ſed majori energiâ. Aquarum ablutiones ſi conſervabis, in nitrum concreſcent, & vocatur nitrum antimoniatum. Longa eſt hæc operatio, verùm cùm non ſit tàm longa via, quæ abbreviari non poſſit, non opus eſt ternâ iſtâ detonatione, ſed una ſufficit, ſi cum triplo ſalis nitri detonetur. Quidam parant antimonium diaphoreticum, recipiendo antimonij partem unam, ſalis nitri partes octo, & procedunt communi modo: cujus antimonij diaphoretici doſis erit à granis vj. ad viij. quoniam minus fortiter eſt fixatum. Hoc antimonium diaphoreticum ſi fiat ex Regulo antimonij, eſt longè perfectius, & nobilius eo, quod fit ex antimonio crudo; nàm hoc præterea habet commodi, quod illud, quod fit ex antimonio crudo, temporis ſucceſſu propter attractionem ex aëre denuò fit vomitivum: quod verò fit ex regulo, non adeò facilè alteratur.

Doſis antimonij diaphoretici per triplicem detonationem eſt ℈j. qui veſperi quolibet die ad febris uſque extinctionem in cænâ propinari debet, vel

℞. *Antimonij diaphoretici* ℈j.
ſalis volatilis card. bened. ℈ß.
ſyr. de ſucc. ſcordij ℥ß.
camphoræ gr. ij. m.

Vel

℞. *Syr. de rutâ caprariâ* unc j.
ſpiritûs theriacalis n. d. ʒj.
ſtibij diaph. ex Regulo gr. viij.
aquæ Scorzoneræ unc. iij. *m.*

Vel

℞. *Extract. contrayervæ* ʒß.
diaſcord. fracaſtor. ℈j.
antimonij diaph. ℈ß.
m. f. pilul. parva deaurenda.

Vel

℞. *Stibij diaph. ex Regulo gr. vj.*
laudani opiati gr. j.
cum aliquot gutt. ſyr. de ſcord.
f. pilul. j. deauranda.

Vel

℞. *Theriacæ, vel*
Mithridatij ʒß.
Stibij diaphoretici,
ocul. cancr. ana ℈j.
m. fiant pilul. v. *& deaurentur.*

Magnas habet vires in percurandis febribus malignis, & epidemicis. *Sulphur antimonij fixum*, nàm egregium eſt ſudoriferum. Elicitur hoc ex cinnabari antimonij in collo retortæ collecto poſt deſtillationem butyri antimonij, ſed non eſt neceſſe illud ex cinnabari elici cùm ità paraſi poſſit:

℞. *Antimonij crudi pulveriſati* q. v.

bulliat in s. q. lixivij fortis ex cineribus clavellatis, tartaro uſto, & calce vivâ parati, coloratum lixivium decanta, cui affunde aceti deſtillati q. s. & præcipitabitur ad fundum, hoc præcipitatum ſulphur denuò recenti lixivio bulliat, donec coloretur, atque tumnùm aceto deſtillato præcipitetur, ſepara à lixivio per inclinationem, deindè aquâ communi edulcora, & lento igne exſicca.

Hoc antimonij ſulphur inflammabilitate deſtituitur, quia adjuncta ſibi habet ſalia; Sic commune ſulphur in ſe eſt inflammabile, ſi verò in alkalico ſolvatur liquore, & cum acido præcipitetur in lac ſulphuris, tunc ſuam amittit inflammabilitatem, propter ſalia nimirùm adjuncta ejus vola-

volatilitatem figentia, & inflammabilitatem immutantia. Eodem ferè modo ſulphuri aurato diaphoretico accidit, quod ex reguli ſcorijs fit, dùm per acetum deſtillatum ad fundum petit, qua etiam ratione inflammabilitate caret.

Sulphuris antimonij doſis eſt à granis viij. ad x. in aquis ſudorificis, decocto limaturæ cornu cervi, vel mithridatio, theriacæ, extracto ſcordij, camphorâ, ſale volatili cardui benedicti, vel alijs vehiculis appropriatis, ut aliquid præſtare poſſit.

℞. *Sulph. antimonij gr.* vij.
ſalis volat. corn. cervi gr. viij.
bezoartici mineralis gr. v.
magiſt. ocul. cancr. ℈. ß.
m. f pilul. parvæ, quæ deaurentur.
Vel.
℞. *Syr. de card. ſanct.* ℥. j.
ſulph. antimonij gr. vj.
bezoartici Jovialis gr. iij.
aquæ theriacalis cum ſp. V. ʒ. j.
aquæ bardanæ compoſitæ ℥. iij.
m. pro unico hauſtu.

Sulphur auratum diaphoreticum eſt inſigne ſudorificum, ſanguiniſque mundificativum; undè febribus malignis, epidemijs, & ipſi peſti aptiſſimum eſt medicamentum. Paratur ex fæcibus Reguli, ut

℞. *Fæces Reguli q. v.*
eaſque per digeſtionem, & ebullitionem reduc cum aquâ communi in lixivium, quod calidum per chartam emporeticam traijce, cui refrigerato inijce aceti deſtillati parum, & ſenſim fundum petit ſulphur. Lixivium per inclinationem ſepara, & croceum ſulphur multis ablutionibus edulcoratum, & exſiccatum collige, & ſerva.

Doſis, eſt ℈. j. commodè permiſcetur alijs alexipharmacis, vel liquoribus appropriatis, ut

℞. *Sulph. aurati diaphor.*
unicornu foſſil. veri ana ℈. ß.
ocul. cancr. magiſterij ℈. j.
corn. cervi ſine igne ʒ. ß.
m. f. unicus hauſtus in jure conſumpto.
Vel.
℞. *Sulph. aurat. diaph.*
ſtibij diaph. ana ℈. ß.
ſalis volatil. c. c. gr. V.
m. cum extract. contrayervæ q. s.
f. pilul. parvæ deaurandæ pro unâ doſi.
Vel.
℞. *Syr. de ſcordio* ℥. j.
ſulph. aurat. diaph. gr. xv.
ſalis volatil. card. ſancti gr. vj.
terræ ſigillatæ ℈. ij.
aquæ galegæ unc. iij.
m. pro unico hauſtu.

Cinnabaris antimonij maximum eſt medicamen ſudorificum, ideóque in morbis malignis, febribus malignis, & epidemicè graſſantibus, ac in ipſâ peſte expertum eſt remedium; ac proindè *Poterio* fuit ſuum ſudorificum antipeſtilentiale, quod per ſudorem reſtituit ægros. Cinnabaris antimonij, ſi retorta ultimo, & urgentiori ignis gradu candeat ad plures horas, ſublimabitur ad collum cinnabaris rubicunda firmiter illi adhærens unà cum mercurio vivo. Conſtat cinnabaris iſta ex antimonij ſulphure ſolo cum mercurio vivo combinato, nec vomitus, nec ſeceſſus movet, ſed diaphoreticum, & anodynum eſt: Ceterùm unâ, & alterâ ſublimatione purificari debet, ut perfectè rubeſcat, & omnes ſordes, ſuperfluumque de ſe mercurium de-

ponat. Præſentaneum eſt auxilium in febribus malignis, morbis epidemicè graſſantibus, peſte, morbillis, variolis cum epilepſiâ, & ubi jàm ægri delirant, adjunctis ſalibus volatilibus, & præſertim cornu cervi, aut ſuccini. Doſis à ℈. ß. ad j.

℞. *Cinnabaris antimonij* ℈. j.
ſalis volatilis cornucervi, &
ſuccini ana gr. vj.
m. cum extract. contrayervæ q. s.
f. pilul. parvæ, & deaurentur.
Vel.
℞. *Bezoartici mineralis gr.* v.
cinnab. antimon. gr. xv.
camphoræ gr. iij.
theriacæ q. s.
f. pilul. iij. *deauranda.*

Præterquamquòd hæc cinnabaris malignis conveniat morbis, eſt etiam ſingulare in epilepſiâ remedium, ideóque Magnes epilepſiæ vocatur. Hinc omnibus affectibus convulſivis, ut doloribus colicis, nephriticis, abdominis, & in ſpecie hyſtericæ paſſioni cum opiatis, & camphoratis, itèm partium nervoſarum morbis, ut contracturis, convulſionibus, tremoribus optimum eſt remedium; ſimiliter capitis eryſipelas: ſcabiem malignam, & luem Veneream provocato ſudore cinnabaris antimonij feliciter curat.

Ceruſſa antimonij eſt diaphoretica, ac proindè inſigne alexipharmacum in febribus malignis cenſetur. *fit ex unâ reguli antimonij parte, & duabus nitri: funditur regulus unà cum nitro in crucibulo ſufficiente ignis quantitate, ſtent in fuſione per unius horæ ſpatium, poſt refrigerationem tere, & edulcora materiam, quam lento igne exſicca, & iterùm ut ſuprà unà cum nitro reverbera, donec in citrinum abeat colorem, deindè ablutionibus edulcora, & ſicca, ſic evadit diaphoretica, diciturque Diaphoreticum Regulinum.* Doſis ℈. ß. ad j. & ʒ. ß. commiſcetur, ut ſuprà, quatuor, vel quinque horis ante cibum. Verùm non tantùm febri malignæ accommodum eſt remedium, verùm etiam omnibus illis, qui per diaphoreſim curantur, & præſertim ulceribus antiquis, ſcabiei, puſtulis curationi obſtinatis, itèm luem Veneream profligat. Cæterùm de hac obſervatum fuit aliquandò, quòd mercurij inſtar moverit ſalivationem, & rarum hoc, & obſervatu dignum, aliàs ſoli mercurio hoc proprium; nec nos admiratione dignum ducimus, conſtat námque hoc ſemiminerale i. antimonium ex plurimo mercurio, qui in regulo ſub ſaturni larvâ magis ludit, quàm in alijs antimonialibus præparatis, in quibus evaneſcit in auras.

Ne mireris tu nos tantoperè in febribus malignis, alijſque languoribus antimonium diverſimodè præparatum ſupra omnia medicamenta, & alexipharmaca extollere, nàm eſt chymicorum Idolum, & ſicut iſti indè ad operis majoris perfectionem pervenire exoptant: ità & nos ex hoc ſolo antimonio ad proximi incolumitatem collapſam verum lapidem præparamus. Cœterùm quis unquàm eximias dotes, & arcanas antimonij vires in quolibet morbo tàm diro, & deplorato, quam chronico profligando recenſere valebit? facilius eſt arenas maris, & pelagi aquarum guttas dinumerare, quàm hujus inexhauſtos exhaurire theſauros. Tot medicamentoſas reſerat virtutes, quot mo-

modis in Vulcani ſacrario combinatur, & pro præparationis, & miſcelæ varietate diſcrepant pharmaca, ad ſanitatem collapſam in ſalubriorem ſtatum reducendam, & ad ſartam tectam conſervandam eſt veluti Dei dextera. De hoc ſemiminerali prophetavit *Ovidius*, dùm cecinit *lib. 2. in Ibin*:

Nàm quoniam variant animi, variabimus artes;
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

Eſt omni auro præſtantius, & etiam omni fabuloſo Mercurio, qui mortuos ad vitam revocabat, potentius. Tot ex antimonio parantur medicamenta, quot ex nullo alio ſimplici in medicinâ, excepto Mercurio, haberi poſſunt: Nunc purgat, nunc vomitum movet, nunc diaphoreſim, nũc ſudorem, nunc urinam promovet, nunc confortat &c. adeò ut ſolo antimonio tota pharmaceutices ſuppellex ad omnes morborum ſanationes compleri poſſit, cùm omnis generis medicamenta ex eo parari poſſint. Hoc eſt verum Phœbi balneum, fabulantur námque poëtæ Vulcanum in hoc balneo Phœbum ſpurcum laviſſe, & ab omnibus maculis, & ſpurcitijs repurgaſſe: Phœbus enim aurum, & balneum antimonium ſignificat, ſolent aurifabri aurum varijs metallis conſpurcatum, & adulteratum, ut purificetur, & ab illis liberetur, cum antimonio fundere; hoc quod operatur antimonium cum auro conſpurcato, idem in humano corpore evenit, nàm homo impurus, & digeſtionum ſordibus ſpurcus optimè ab antimonio purificatur, omneſque ejuſdem ſordes abſterguntur.

Inter mineralia terras alexipharmacas connumeramus, ità ſunt *Bolus Armenus, terra Melitenſis, terra ſigillata &c.* Terra Melitenſis eſt, quæ ex Inſulæ Melitâ, ſeu Maltâ adſertur, & ſignata eſt D. Pauli ſigillo, aſſumitur contra venena, febres malignas, & epidemicas, quæ ſudoris beneficio malignitatem exturbat. Terra ſigillata vera (nàm adeſt adulterina, quam nos hic Neapoli hiſce oculis fingi, & ſigillari vidimus) non tantùm febribus malignis, epidemicis, petechijs, variolis, & morbillis convenit, verùm etiam in peſte, morbis venenatis, dyſenteriâ, diarrhœâ malignis, & contagioſis populariter graſſantibus.

Succinum, ejuſque ſal volatile ſingulariſſimum eſt medicamentum, præſertim ubi nervoſum genus à malignitate ſimul eſt affectum, vel lethargo corripiatur æger. Doſis à gr. v. vj. ad ſcr. ß. admiſtis alijs appropriatis, ut

℞. *Salis volatilis ſuccini* ſcr. ß.
extracti caſtorei gr. v.
cinnabaris antimonij gr. vj
m. & cum ſyr. de galega q. s.
formentur pilul. iij. & inaurentur.

Multa medicamenta ex ſuccino parantur, quæ potiùs mulierum affectus reſpiciunt, quàm febres malignas, verùm in noſtro propoſito facit *liquor cornu cervi ſuccinatus*, qui fit ex ſpiritu cornu cervi, & ſale volatili ſuccini: Hæc tria invicèm miſcentur, & deſtillantur. Succinum à pleriſque autoribus maximoperè in febre malignâ, imò in ipſiſſimâ peſte com-

commendatur: *Helmontius in tractatu de Peſte* narrat de chirurgo in peſtis curationibus celebri, qui ſeſe præſervavit, affricando ſuccinum ſeptem pulſibus planetarum, idque quotidiè ſemel, qua fricatione ad pulſus præſervatus fuit. Sunt autem ſeptem pulſus planetarum, duo temporum, duo carporum, duo tali, & ſcorbiculi cordis.

Ad hunc noſtrum tractatum etiam pertinet Sulphur ſimplex, quod ſulphuris antimonialis locum commodè ſupplere poteſt, cùm magnam inter ſe habeant affinitatem, ac proindè internè aſſumptum in debitâ doſi ſudorem producere, & morborum, & febrium malignitati reſiſtere ſolet, undè lenibus diaphoreticis, & ſanguinis maſſam purificantibus, inter quæ viperata, & antimoniata excellunt, palmam præripit. Solet etiam internè, & externè contra peſtem commendari, & valdè in eâdem præſervandâ, & curandâ commendantur ſulphuris medicamenta. Oenopolæ ſpiritûs acidi ſulphuris beneficio vina diù conſervare ſolent, in permutatione dolia ſuffumigandi, ne corrumpantur. Hic ſpiritus ſulphuris acidus, qui ſub fuliginis formâ vinum conſervat, vocatur ab *Helmontio* Gas ſulphureum, quia non eſt ſpiritus acidus, ſed ex parte ſulphureâ oleoſâ conſtat. Hoc Gas clarè nobis oſtendit, quod ſingulari polleat vi in arcendâ putredine à corpore humano, ex eo quia vinum præſervat, quod aliàs corrumperetur. Hoc Gas ſulphureum acidum in potui. potus ſulphuratus egregium in febribus malignis, & epidemicis, cùm ſit ſingulare remedium in earundem curatione. Hinc gutta una, duæ, vel ſaltem tres olei ſulphuris in jure, aquâ, vel alio liquore ſumptæ manè jejuno ſtomacho ſunt arcanum ad vitam longam, & ab omnibus morbis præſervativum.

Ex ſemimineralibus acidulis ſpiritus mirificè commendamus, ut ſunt *ſpiritus Vitrioli, ſpiritus ſalis*, qui omnes præſtat, *ſpiritus ſulphuris*, qui eſt egregius, *ſpiritus vitrioli philoſophicus*, qui tunc conducunt, cùm ſanguinis maſſa à ſale maligno acri, & admodùm volatili in febribus malignis eſt nimis diſſoluta, ut propriam amittat conſiſtentiam, ob id cum alexipharmacis, & ſudoriferis miſcendi ſunt, idquè eò magis, quò crebriùs ſudore coguntur ægri, qui in declinatione ſudoris porrecti, & poſt ſudorem continuati ſanguini debitam reſtituunt conſiſtentiam, ac ægros debilitatos egregiè refocillant, ut ſuprà diximus. Miſcentur hi ſpiritus cum julepis malignitati reſiſtentibus, ſed ad gratiſſimam aciditatem, & ſic corpus ad diaphoreſim blandè diſponunt. Prætereà cæteris ſpiritibus quaſi præfertur *Spiritus Nitri* nunc ſolus, nunc quod melius eſt, cum ſpiritu vini dulcificatus.

℞. *Syr. de acred. citri* unc. j.
aquæ card. ſanct. unc. iij.
Spiritûs vitrioli q. ſ.
m. pro gratâ aciditate.

Vel

℞. *Julep. de ſcorzonera* unc. j.
Stibij diaphoretici ſcr. ß.
aquæ rutæ caprariæ unc. iij.
Spiritûs ſulph. q. ſ.
m. ad gratiſſ. aciditatem.

Vel

℞. *Julep. card. ſanct.* unc. j. ß.
Sulph. aurati diaph. gr. viij.

ſpiritûs

ſpiritûs ſalis dulcis, vel
ſpiritûs nitri dulcificati q.ſ.
ad gratam aciditatem.

Admonitos volumus vulgares, nè hos ſpiritus tumultuariè ſimul ſyrupis, julepiis, aquis &c. immiſceant, ſed unus eligatur pro medentis libitu, & immiſceatur juxta noſtri recepti deſcriptum pro his, vel aliis febribus; nàm malignas maligniores, & lethales reddet, & benignas malignas, & pernicioſas efficiet, quia permiſti in corroſiva, & lethalia tranſeunt venena, ut fuſiùs infrà *cap. 26. de febre ex aëris mutatione* dicemus.

Inter hæc medicamenta *Nitrùm fixum*, ſeu ſal prunellæ recenſemus, verum ſi fuerit antimoniatum i. fixatum cum ſulphure antimonij, quod fit in præparatione antimonij diaphoretici, vel in præparatione ſulphuris aurati diaphoretici, eſt eò melius, & ſali prunellæ cum ſulphure communi præparato præfertur, nàm in tali nitro præparato adeſt adhuc ſubtiliſſima pars ſulphuris antimonij, adeò ut ratione hujus corpus ad blandam diaphoreſim diſponitur, & ſal vitioſum, undè ſitis excitatur, corrigitur. Doſis ℥ j. in aquâ hordei, vel in potu ordinario.

Expediti à Mineralium Regno, quorum, quia inexhauſtos continet theſauros, minimam recenſuimus partem, ad Animalium Regnum tandèm devenimus, & ea computabimus, quæ bezoartica, alexipharmaca, diaphoretica, & ſudorifica ſunt pro harum febrium ſanatione, & primò nobis ſe offert.

Cervus, qui totùs eſt alexipharmacus, & omnia ex eodem parata eaſdem virtutes obtinent alexipharmacas, & ſudoriferas. Ex ejuſdem cornu multa parantur medicamenta, verùm rariſſimè crudum uſurpatur, quia difficilis eſt digeſtionis & æger ægrè cibum digerit, conſiderate nunc, an cornu digerere poſſit: uſurpatur tamen quandóque in pulverem redactum, & per ſetam trajectum in affectibus, ubi acidum præcipitandum, & compeſcendũ eſt. Præparatur cornu cervi pro uſu alexipharmaco, & ſudorifero duplici modo, nunc cũ igne, & nunc ſine igne. Id, quod cũ igne præparatur, eſt cornu cervi igne aperto uſtum, vel quod poſt ſpiritûs, olei, & ſalis volatilis deſtillationem aduſtum remanet in fundo retortæ; ſed eſt caput mortuum, ſive terra mortua, ſive calx mortua omni virtute activâ ſpoliata, cùm ignis ſit mors rerum, nullius uſûs, præter hoc, quod humiditatem abſorbeat, & acidum in primis vijs compeſcat. Quòd ſi quandóque hoc cornu cervi uſtum exhibitum ſudores moveat, ab aquâ ſudoriferâ, ut cardui ſancti, &c. vel à ſtragulis, quibus æger optimè tegitur, provenit, eſtò in ſe aliquid ſalis fixi contineat; ſive igne præparatur, cùm concoquitur in aquâ, donec molleſcat, & aliquantiſper evadat friabile, vel quandò deſtillatur aqua ex plantis, tunc imponuntur cornu cervi fruſtula in alembico, adeò ut aſcendens vapor cornu cervi fruſtula penetret, & exindè fiant mollia, & friabilia, & ſic vocatur cornu cervi ſine igne ſ. philoſophicè, ſeu ſpagyricè præparatum. Hoc cornu cervi ſine igne præparatum eſſe ſpiritu, oleo, & ſale volatili impprægnatum patet ex eo, quòd ſi retortæ indatur, ſpiritum, oleum, & ſal volatile reddit, utut non in tantâ copiâ, ac ſi cornu cervi cru-

crudum deſtilletur, ſufficit tamen aliquid partis ſpirituoſæ remanere, ut cornu cervi uſto præferatur. Cornu cervi ſpagyricè præparatum in morbis malignis, ut peſte, febre malignâ, morbis epidemicis, &c. pro præcipitatione, & ſudorum expulſione; habet enim vires alexipharmacas, & ſudores ciendi ob ſpiritum, oleum, & ſal volatile, quæ continet.

Ex cornu cervi præparatur *Gelatina*, quæ nihil aliud eſt, quàm ſal volatile concentratum ab humiditate roſcidâ, & alimentitiâ ejuſdem cornu: præparatur hæc ex cornu cervi raſpato, quod concoquitur in aquâ ſatis diu, colaturâ refrigeratâ in frigido, gelatina in ſummitate liquoris ſupernatat, & hæc dicitur gelatina ſimplex, vel fieri poteſt evaporando decoctum cornu cervi ad gelatinæ concretionem; fit etiam acidulata, quandò ſcilicèt liquor vel in decoctione, vel poſt filtrationem ſufficienti quantitate ſpiritûs vitrioli, vel ſucci citri imprægnatur. Diſſolvitur uncia una cochleari ſuper ignem, ſoluta injiciatur potûs ordinarij lib. j. vel diſſolvitur in julepis alexipharmacis, ut de galegâ, carduo ſancto, ſcorzonerâ, vel uti poſſumus pro reliquorum alexipharmacorum vehiculo. Proficua eſt Gelatina cornu cervi in febribus malignis, acutis, infantibus pro expellendis variolis, & morbillis, ac morbis malignis, ubi opus eſt expulſione, & blandâ corporis ad diaphoreſim diſpoſitione, Prætereà hæc gelatina valdè convenit in diarrhœâ, & dyſenteriâ epidemicâ, & malignâ in potu diſſoluta, vel diſſolvitur in ſyrupo cydoniorum, coralliorum, de ſymphyto, vel myrtino, quoniam tales adſtringunt. Sint quædam recepta in tyronum gratiam:

℞. *Corn. cerv. ſpagyr. præp.* ʒj.
ſtibij diaph, ʒß.
perlar. præp. ℈ij.
Magiſt. ocul. cancr. ʒj.
m. pro tribus doſibus.

Vel

℞. *C. C ſine igne præp.* ℈ij.
cinnab. antimonij ℈ß.
magiſt. corall. ℈j.
camphoræ gr. j.
m. detur in jure pulli.

Vel

℞. *Salis volat C C.* ℈j.
ſalis volat. card. ſancti ſcrup. ß.
ſulph. aurat. diaph. gr. vj.
ſalis volatilis ſuccini gr. iv.
m. propina in cochleari ſyr. de galegâ.

Vel

℞. *Bezoart. mineralis gr.* v.
ſalis volat. c. c. gr. xii.
diaſcord. q. ſ. m.
f. pilul. j. *& deauretur.*

Vel

℞. *Spiritûs c. c. ſuccinati,*
miſturæ ſimplicis ana ʒß.
m. detur in julepi de ſcorzon ℥j.

Vel

℞. *Spiritûs cornu cervi* ʒß.
nitri antimoniati ſcr. j.
gelatinæ c. c. ʒij.
ſpiritûs fulig. acidi volatil. ʒß.
m. & exhibe in ſyr. de card. ſancto.

Ebur alexipharmacum eſt, non minùs quàm cornu cervi, præparatur, ut de cornu cervi diximus; aut ſpagyricè, vel cum igne. Spagyricè præparatum eſt diaphoreticum, & efferveſcentias febriles ſiſtit; ideóque febribus ardentibus, & præſertim malignis illud commendamus, ut

℞. *Eboris ſpagyricè præp.* ʒj.

anti-

antimonij diaphoretici ſcr. j.
m. & cum ſyr. de galegâ, vel
card. ſancto, & cum
aquis appropriatis propina.

Ex ebore etiam fit gelatina, ſpiritus, oleum, & ſal volatile, ut de cornu cervi diximus.

Unicornu verum in multo uſu eſt in morbis malignis, peſte, febre malignâ, variolis, morbillis, ſimilibuſque alijs morbis. Doſis eſt à ſcr. ß. ad ſcr. j. & ʒß. Præbetur magno cum fructu, & præcipitat egregiè, ac ſudorem movet.

Unicornu foſſille quò ad vires unicornu verum æmulatur, nàm cum alijs debitis combinatum in febribus malignis diaphoreſi opus habentibus, & præſertim in variolis, morbillis, & petechijs cum cervinis aſſociatum egregium eſt.

Familiare eſt nobis unicornu foſſile, quia in aliquibus noſtris regionibus è terrâ foditur, ſed rariſſimum eſt unicornu verum apud nos, cùm ex Indiâ aſportetur, undè ſolùm in Regum, & Magnatum domibus reperitur. Hinc nos perpetuò Deo gratias agere debemus, qui in unicornu veri inopiâ, cornu cervinum tanquàm optimum quid pro quo, & ſuccedaneum ubertim concedere dignatus eſt, & eâdem potitur virtute.

Lapis Bezoar eſt ſummæ virtutis alexipharmacæ; Bezoar enim eſt vocabulum Perſicum, & ſignificat id, quod venenis reſiſtit, & ad hujus imitationem nos appellamus eſſentiam bezoarticam, tincturam bezoarticam, pulverem bezoarticum &c. non lapidis bezoar ratione, quia nullus ingreditur, ſed ob ſimilem virtutem diaphoreticam, & venenis reſiſtendi. Reperitur hic lapis in primo ventriculo capræcervi, qui vocatur Omaſius; dicitur hoc animal Capracervi ob ſimilitudinem, quam ferè habet cum caprâ magnitudinis, & proprietatum ratione, & partim cum cervâ ratione figuræ. Hæ capræcervi tàm in Indiâ Orientali, quàm Occidentali inveniuntur, unde lapis bezoar duplex eſt, unus Orientalis, alter Occidentalis, verùm non datur cervorum genus in quo talis lapis non reperiatur, qui pro lapide bezoar venditatur. Lapis bezoar in Indiæ tàm orientalis, quàm occidentalis capris beneficio fermenti acidi volatilis eſt ſubſtantia mucilaginoſa, & reſidua in ventriculo. Hic lapis totus alexipharmacus eſt, potenter venenis reſiſtit, & egregiè per ſudorem expellit, has virtutes habet bezoar ex duplici ratione, primâ ob virtutem præcipitantem, ſecundâ ob alexipharmacam; virtus præcipitans provenit à ſale nitroſo, alexipharmaca à plantis, hæ námque capræcervi, quæ lapidem bezoar generant, pro ordinario alimento contrayervâ, alijſque plantis bezoarticis veſcuntur. Mirificas habet vires in depellendis venenis ob vim alexipharmacam, ſudorificam, vel ſaltem diaphoreticam, & hinc febribus malignis, petechialibus, variolis, morbillis, cæteriſque malignis, & epidemicis morbis appoſitè convenit. Doſis orientalis à gr. v. ad vj. apud vulgares præſcribitur, verùm in tàm parvâ doſi parùm, aut nihil operari poteſt. Nos à ſcr. ß. ad ſcr. j. præſcribimus, & occidentalis doſim ſemper ingeminamus. Exhibemus Lapidem Bezoar in aquâ ſcorzoneræ, cardui ſancti, bardanæ, &c. Admonitos tamen

men volumus vulgares medicos, ne lapidem bezoarticum alijs medicamentis ex pluribus ingredientibus conflatis immiſceant, quia quandóque unum alterius virtutem obtundit, & ſic juxta facultatem, qua potiuntur, quòd aliàs evenit, quandò medicamenta ſeparatim exhibentur, ac proindè cum *Anſelmo Boëtio* dicimus: *Suadeo itáque, ut nobile iſtud medicamentum* (de lapide bezoar loquitur) *perpetuò ſolum, ſi ejus certum commodum deſideretur, exhibeatur.*

Cæterùm hodiè ex hujus lapidis exhibitione nullum ſenſibilem effectum obſervare potuimus, ac proindè huic lapidi magna fiducia adhiberi non debet, quia cùm ſit illius pretium auro carius, quamplurimi propolæ in eo adulterando ſtrenuè ſtudent, ut vix alios quàm adulterinos hodiè habere poſſimus, & inter centum lapides bezoar apud nos vix unus reperiatur, qui ſit genuinus, & adeò apud nos Italos ſunt copioſiores, & frequentiores, quàm ut non ſint in natali ſolo. Cujus rei teſtimonium indè elici poteſt, quod rerum Indicarum ſcriptores teſtentur lapidem bezoar apud ipſos Indos rarum, & magni pretij eſſe; cùm apud nos tamen magna ubertas, & ſatis vili pretio conſtet, & hac de cauſâ in contemptum, vel ſaltem in maximam ſuſpicionem etiam genuinus devenit. Hinc patet maximam partem adulterari, & ſalſificari, undè evenit, quòd ſæpiùs irrito uſu ſit præſcriptus lapis bezoar.

Tantum eſt impoſtorum artificium in adulterando lapidem iſtum, & tanta in cognitione, & electione difficultas, ut verus à falſo vix poſſit cognoſci, & diſcerni. Varij ſunt modi ab auctoribus propoſiti, quibus hic verus lapis cognoſcitur, ſed ſemper formidinem involvunt; unus tamen præ alijs modis minùs mendax videtur: Lapis ponderetur, deindè in aquam communem demergatur, in qua per aliquod temporis ſpatium relinquatur, poſt quod eximatur, & optimè abſtergatur, ſi idem pondus, antequàm erat injectus, habeat, pro veraci habendus eſt; ſin verò pondere eſt auctus ab imbitu, ceu falſus rejiciendus eſt; lapis enim bezoar ità compactæ conſiſtentiæ eſt, ut nullo modo humorem imbibere, & nullam ex eo ponderis alterationem acquirere poſſit: falſus verò non ità compactus eſt, & propter poroſitatem in pondere augetur. Verum enimverò hic modus non eſt tutus, nàm omnes lapides humiditatem contrahunt præter ſilices, qui nimis duri, & compactiſſimæ conſiſtentiæ ſunt, modò lapis bezoar tantam duritiem, & denſitatem non habet, imò in aquâ degens non ſolùm humiditatem concipit, & conſequenter in pondere augetur, ſed ſi diutiùs degat in aquis, diſſolvitur, ut *Monardes* obſervavit. Eſt & aliud experimentum, quo adulteratus ab ingenuo diſcriminatur: Parum lapidis abraditur, & ſupra accenſum carbonem projiciatur, ſi falſus, ſtatim miſturæ odor percipitur, ſi verus, nullum ſpirat odorem, & hic eſt germanus tutuſque modus lapidis impoſturam diſcernendi. Verùm lapides bezoar non eſſe opificio extructos non ſufficit, quia adulterini eſtò diligenter inſpiciantur, genuinos repræſentant, & quantumvis ſub experientiæ torturâ ponantur, ſemper dignoſcendi

di modis reſpondent; non enim deſunt paribus notis alij lapilli, qui tamen nullis viribus ſunt præditi, undè impoſſibile impoſtorum verſutias effugere ducimus. Unum tantùm infallibile experimentum habemus, quod eſt bonitatis index ad verum lapidem bezoar diſcernendum, & à *Boëtio* adducitur his verbis: *Nullum tamen certius probitatis indicium, quàm ſi venenum homini, aut cani detur, & oblato pulvere evadat.*

Ob tot difficultates, quibus lapis bezoar involvitur, & verus in natali ſolo vix obtineri poteſt, quia rarus, & carus, in ſuſpicionem venit, & nunquàm à recentioribus præſcribitur, quia ſi adulteratus, febris creſcit eundo, vel virus in præcordia ſerpit, & æger vanâ lapidis bezoar ſpe deluſus cum Charonte de naulo paciſcitur. Si verò quandóque facto experimento, ut ſuprà cum *Boëtio* diximus, verus habeatur, tantùm Magnatibus præbeatur, quia pretioſus; pauperibus tamen pro bezoar ſufficient cornua cervina, quæ nobiliora ſunt lapide bezoar, ut apertè teſtatur *Rulandus*. Nos ut in portu navigemus, pro bezoar utimur bezoartico minerali, ſtibio diaphoretico, ſulphure aurato diaphoretico, cinnabari antimonii, & alijs alexipharmacis ſuprà à nobis deſcriptis, vel pro infimæ ſortis languentibus, medicamentis ex cornibus cervi paratis. Itèm pro lapide bezoar contrayervam ſubſtituimus, hac enim pro communi alimento capræ cervi veſcuntur, & bezoar generant. Similiter pro lapide bezoar exotico commodè ſubſtitui poteſt calculus humanus, qui reverà lapis bezoarticus microcoſmi eſt, & egregius in ſudore ciendo, quia non minùs malignitati reſiſtit, nec minus in febribus malignis, & peſtilentibus convenit, quàm verus lapis bezoar orientalis, imò in ipſâ curandâ peſte præfertur etiam lapidi bezoar orientali, id quod expertum fuit modernorum Anglicorum experientiâ in ultimâ peſte Londinenſi.

Hadrianus Amynſicht in Armamentario Chymico cui noſtram adjunximus Mantiſſam, Bezoar potabile per reſolutionem, & extractionem lapidis bezo r deſcribit, quod productâ oratione ad febres malignas, epidemicas, petechiales, peſtilentes, variolas, morbillos, cæteroſque morbos venenatos commendat. Et *p.* 28. *Magiſterium lapidis bezoar* per reſolutionem, & præcipitationem deſignat, quod in omnibus affectibus, & ſymptomatibus malignis, & contra omnia venena cordi infeſta, præſertim ubi qualitas calida, & putredo deprehenditur, adeóque in alijs omnibus, ubi lapidis bezoar uſus laudatur, extollit. Verum enim verò magna fuit Hadriani ſimplicitas, & credulitas in horum medicamentorum præparatione; non enim lapidem bezoar in natali ſolo eſſe rarum, & cariorem auro, nec impoſtorum fallacias in adulterando bezoar, nec alios lapides paribus notis conſideravit; nec prætereà lapidem tàm integrum, quàm in pulverem redactum, tàm in formâ potabilem, quàm in magiſterium præcipitatum non deſinere eſſe lapidem, & eundem eſſe lapidem contemplatus fuit. Inſuper Hadrianus, quia bezoar cum ſpiritu acido conficit, potiùs hujus lapidis vires deſtruit, quàm exaltat.

Poſt lapidem bezoar in Regno animali ſe tandèm offert vipera, quæ, quia tota alexipharmaca, & bezoartica eſt, inſignes obtinet dotes in morbis malignis, & venenatis quibuſcumque, tàm in febribus malignis, & peſtilentialibus, quàm in ſpecie quandò jàm uſque eò res devenit, ut pulſus deficere videatur. Ex viperis fiunt ſalia theriacalia, ſeu ſalia volatilia viperarum, quæ ſunt magni uſus, & efficaciæ in morbis malignis, venenatis, febribus malignis, & contagioſis, imò in ipsâ peſte egregiè conferunt à gr. v. vj. ad ſcr.ß. vel ſola, vel addito camphoræ grano in aquâ appropriatâ, ubi ſumma viget malignitas. Itèm eſſentia viperina ejuſdem, & majoris energiæ paratur. Similiter pulveres ex viperis, qui vocantur pulveres bezoartici animales. Nos in febribus malignis jus conſumptum ex viperis cum pullo paramus magno cum febrientis juvamine. Sed de Viperis opiparè tractavimus. *De Vulneribus ex venenato morſu inflictis*.

Eximia fit ex Viperis *Tinctura diaphoretica ex tribus principiis chymicis* deſcripta à celeberrimo noſtri temporis *Andreâ Battimelli in Auctuario Hadriani à Mynſicht*, cujus receptum hùc adducere maximi momenti exiſtimamus ob iteratas experientias:

℞. *Salis volatilis viperarum,*
ſalis volatilis cornu cervi ana ℥j.
m. & ſerva. Deindè
℞. *Spiritûs Viperarum,*
ſpiritûs cornu cervi ana unc.ij.
m. & ſerva. Poſtmodum
℞. *Olei Viperarum,*
olei cornu cervi ana unc.iij. *m.*
& his miſtis ſuperfunde ſpiritûs vini optimi unc.iv. *& ſtatim ſolventur. Hoc peracto, accipe ſpiritum viperarum, & cornu cervi, & conjunge cum ſolutione oleorum, & per Retortam deſtilla, & habebis ſulphur cum Mercurio maritatum. His peractis, accipe ſalia volatiliâ ſuperius ſervata, quibus ſuperfunde ſulphur, & Mercurium, & claude vas Hermeticè, & digere per menſem chymicum, & jàm facta eſt trium principiorum S ſalis, ſulphuris, & Mercurij unio, & noſtra Tinctura diaphoretica completa eſt.*

Hæc noſtra Tinctura diaphoretica ſummum alexiterium eſt in febre malignâ, epidemicâ, petechiali, omnibus morbis epidemicè graſſantibus, & omnes alios ex dictis malis enaſcentes, & omnia prava ſymptomata ex illis promanantia reſtinguit; variolas, & morbillos cum ſymptomatum lenimine deturbat. Omnes peſtiferas infectiones, auras venenatas, & cujuſcumque generis venena maximè cordi infeſtas per ſudorem, vel inſenſilem tranſpirationem eliminat, & principes munit partes. Tandèm in omnibus morbis, qui per diaphoreſim ſunt ſanabiles eſt ſpecificum medicamentum. Reliquas hujus tincturæ vires apud eundem legite. Doſis ſcr.ß. ad ſcr. j. in liquore appropriato.

Hæc pauca medicamenta contra febres malignas ex inexhauſto naturæ ærario, & triplici ejus Regno hauſimus, alia alijs autoribus partim deſcripta ſunt, & alia partim alijs deſcribenda relinquimus. Remanet tantùm, deſcriptis internis, externa deſcribere medicamenta juxta vulgarium medicorum conſuetudinem, ità ſunt Oleum ſcorpionis Matthioli, quo

quo tanquàm alexipharmaco pulſus temporum, manuum, & pedum liniunt. Unguentum roſaceum, aut refrigerans Galeni, quo renes, ſuperpoſitis vitium folijs, inungunt ad febrilem temperandum calorem. Epithemata, quibus cor contra pravitatem roborant, & alia hujus farinæ deſcribunt, quę omnia recenſere ignavum eſſet opus.

In febre malignâ magna ſymptomatum habenda eſt ratio; hæc enim morbum ſequuntur, velut umbra corpus, & quandóque adeò atrocia aſſociantur, ut non contemptâ febre, neceſſe ſit his ſuccurrere, cùm ſcilicèt ex eorum violentiâ vitæ periculum immineat, ita ſunt nimiæ virium proſtrationes, quæ maximoperè urgere dicuntur. Ità ſunt vigiliæ, deliria, alvi fluxus, vomitus, cardialgiæ lipothymiæ, ſitis, linguæ ardor, nigredo &c.

Magnæ virium proſtrationes confortantia exigunt, quæ in animi defectione ægros reficiunt, & ſpiritus roborant, vitales; hæc roboratio duplex eſt, una quæ ſubſtantiam morbi diuturnitate, & longâ corporis inediâ exhauſtam concernit, & hæc ad ſuccos, & ſanguinem regignendos pertinet; altera, quæ repentinam animi defectionem reſpicit, quæ interdùm in plenâ corporis ſucculentiâ à venenatis, malignis, & cordi infeſtis vaporibus irruit, & hæc confortandum docet.

Confortantia, quæ corpus à morbo extenuatum reſpiciunt, è culina petenda ſunt, & æger potiùs coqui, quàm medici operâ indiget: Sed *Corpora longo tempore extenuata oportet ſenſim reficere, brevi verò breviter, aph. 7. ſect. 2.* Hinc *facilius eſt potu refici, quàm cibo aph. 11. ſect. 2.* Undè mirificè jura conſumpta conducunt, quia confertim, & celeriter nutriunt. *Conſummatum* inſigniter *confortans Hartmannus* deſcribit

℞. Caponem, vel
perdicem ſolùm,
vel cum parte aliquâ carnis vitulinæ, in minutiſſimas partes conſcinde, & oſſa in mortario conquaſſa, & in phialam aptam vitream, vel ſtanneam inde cum pauco cinnamomo, phialam exactè claude, & in catinum aquâ fervente plenum pone, ut per tres horas bulliat aqua. Hinc carnem exime, & liquorem exprime, qui eſt optimi ſaporis, & odoris, ſtatimque congelatur, caro verò eſt dura, & inſipidä, liquoris cochl j. vel ij. per ſe vel cum alio juſculo exhibetur.

Vires, quæ repentinâ animi defectione exolvuntur à venenatis, malignis, & infeſtis cordi vaporibus, roborari debent medicamentis alexipharmacis, cordialibus, & ſtomachicis, præſertim ſpirituoſis, & volatilibus, quæ odoretenùs, vel adhùc in ſtomacho degentia cordis arcem, aliaſque præcipuas partes, & totum corpus contra malignos, & venenatos inſultus roborent, hujuſmodi eſt *Vini ſpiritus*, qui ſummè cordiale, & diaphoreticum exiſtit, in cujus defectu *Vinum generoſum*, quod ſemper ad manus in domibus paratum habetur, ſubſtitui poteſt. Spiritui vini ſuccedit *Aqua cinnamoni lactiginoſa*, quam pharmacopolæ lactiginoſam redduut benzoës infuſione. Vel ſubſtituimus *ſyr. vel julep. de cinnamom.* ſed maximè ad reſtaurandas vires, & cor tuendum confert *oleum cinnamomi*

ad

ad ij. vel iij guttas in aliquo vehiculo. Itèm *Elixir proprietatis Paracelſi à* ſcr. ß. *ad* ſcr. *j.* in convenienti vehiculo. *Hadrianus Amynſicht* multa corroborantia in Armamentario deſcribit, ut *Elæoſaccharum citri*, *Gemma vitæ*, *tinctura coralliorum*, *Diacinnamonum Regium*, *Trochiſci cordiales*, & quamplurima hujus farinæ, quæ omnia ſunt medicamenta in forma. Apud vulgares in magno uſu eſt *Julep. Gemmatus*, ſed reverà magna impoſtura pro ægrotis, non verò pro pharmacopolis. Apud recentiores decantatur *Tinctura Alkermes*, *Hyacinthi &c.* ſed præſtat illa, quæ eſt noſtræ deſcriptionis, ut

℞. *Confect. Alkerm. vel.*
confect. Hyacinthi unc. j.
aquæ ardentis,
pomor. redolentium,
vel alterius aquæ ſtillatitiæ ana ℔. ß.
ſpiritûs vitrioli ℥. j.
digere, & decänta.

Eodem prorsùs modo paramus tincturas ex alijs officinarum electuarijs v. g.

℞. *Confect. Cinnam.* unc. j.
aquæ ardentis ℔. ß.

m. omnia in phialâ, quam exactè claude, & digere, liquorem tincturâ imprægnatum decantatione à fecibus libera, quem ſyrupis appropriatis admiſtum exhibe.

Magnarum virium eſt Aqua confortativa uſitata, cujus confectio eſt:

℞. *Aquar. ceraſor. nigr.*
roſarum,
boraginis,
bugloſſi,
flor. violar.
tiliæ ana unc. vj.
cinnam. opt. ℥. ß.
margarit. or. præp. ℈. ij.
corall. albor præp. ʒ. j.
cornu cervi præp. ℈. iv.
confect. manus chriſti perlatæ ℥. v.
m. ad vitrum pro uſu.

In omni virium debilitate, & languore exhibetur, ſpiritus animales puriores reddit, ſenſuum internorum, & externorum organa reficit, atque ità generale quaſi confortans omni ætati, ſexui, & morbo accommodatum exiſtit.

Præ cæteris confortantibus eminent *balſamus ſanguinis humani*, & *elixir ſanitatis*, quæ in *noſtrâ Mantiſſa* deſcripſimus, quam videte.

Inter omnia alia confortantia præſtantior non reperitur *ſpiritus fuliginis* à guttis vj. ad ſcr. ß. *oleum ejuſdem* à guttis ij. ad iij. *Sal fuliginis* ejuſdem ponderis, & exhibetur in Vino, vel alio convenienti liquore. Eſt tantæ efficaciæ, & energiæ, ut ſi ejus guttæ, vel grana tria in aceto angonizanti exhibeantur, mirificè, & incantamenti inſtar reparant vires, exſuſcitant, quaſi illius animam ab inferis revocant: non ſecus ac lampas propter olei defectum ſi ad extinctionem ruit, oleum reaffundatur, ad priſtinum redit fulgorem. Hinc imminentis mortis, vel futuræ ſanitatis experientiam obſervare licet: Si ſudor poſt exhibitum oleum, vel ſal copioſiùs emanârit, indubitatum erit ſanitatis, vel convaleſcentiæ ſignum, ſin ſecùs mortis.

Spiritus ſanguinis humani cum ſuo ſale volatili maximas languentes, & morti proximos reſtaurandi, & vivificandi vires obtinet; eſt enim hic ſpiritus vitæ noſtræ ſpiritui ſimillimus, quia

quia à ſanguine elicitus fuit, in quo noſtræ vitæ ſpiritus reſidet, & facilè ſpirituum defectum reparat. Verùm hodiè propter ſubdolam impoſtorum vafritiem vix non dubitabilis reperitur, & hac occaſione nobis in mentem venit quidam medicus chymicus, ut ipſe dicit, qui ab amico interrogatus, quò peteret? Tabernam carnariam, ad mercandum bovis ſanguinem, ut ſanguinis humani ſpiritum efficeret, reſpondit. Sed hoc eſt minus, & minus, & tolerandum malum; pharmacopolarum nullus ſanguinis humani conficit ſpiritum, quia proſcripta eſt à chymicis phlebotomia, tùm quia laudabilis non profunditur, nec in quantitate peccare poteſt caritatis gratiâ, tùm quia totus temeratus lue Venereâ, vel affectione hypochondiacâ, vel alijs languoribus, & tamen latè reperitur? Sunt noſtrates pharmacopolæ ſicut diabolus, qui non habet, & vendit lanam. Vendunt iſti ſpiritum ex calce vivâ, ſale armoniaco confectum, quem pro ſanguinis humani ſpiritu vulgarium medicorum grex internè exhibent, cùm tantùm externè odoretenùs uſurpari debeat; eſt enim ſpiritus ſalis armoniaci vitæ noſtræ maleficus, & infenſus hoc modo confectus.

Vigilia nimia in febribus malignis tunc fit, cùm febrile fermentum ſpiritus animales immoderato agitat motu, iſti cerebrum implent, nervorum valvulas patulas reddunt, & continuo affluxu in corpus influunt. Immoderatæ itaque vigiliæ medendum eſt, ne deliria, & virium exolutiones ſuccedant; ea propter nimiæ vigiliæ ſuccurrit laudanum opiatum, ſed ſemper propter malignitatem aliquod alexipharmacum admiſceri oportet, ut

℞. *Syr. corall.* ℥. ß.
aquæ papav. alb. ℥ij.
Stibij diaphoretici ſcr. ß.
ſacch. perlati ʒ. ii.
laudani opiati gr. ij. m.

& cochleatim exhibe ſingulo horæ quadrante, donec ſomnus concilietur.

Vel.

℞. *Diaſcord: fracaſt.* ʒ. ß.
corn. cerv. ſpagyr. præp. q. s.
f. pilul. iij. & deaurentur.

Cæterùm nos noſtrum laudanum opiatum præbemus, quia alexipharmacum eſt ſimul; Verum enimverò in opiatorum exhibitione maximâ cum cautelâ procedendum eſt, ne ſoporoſa affectio ſuccedat. Prætereà opiati uſus diſſuadetur ægris nimis debilibus, & impuritate ventriculi laborantibus, & præſertim ſi criſis immineat, quia plus nocumenti, quàm emolumenti ab hoc expectandum eſt. Si vigilia non admodùm exceſſerit, emulſionibus ex ſeminibus frigidis tollitur, ut

℞. *Syr. de nymphæâ* ℥. j.
ſemin. melonum ℥. ß.
papav. alb. ʒ. j.
lactucæ ſcr. j.
f. emulſ. in aqua lactucæ ℥. iij.

& exhibe; ſanguinis enim æſtum, & fermenti febrilis acrimoniam temperant, aſſiduum ſpirituum influxum impediunt, & vigilias ſubindè compeſcunt.

Ad vigilias refrænandas vulgares Galenici cataplaſma applicant plantis pedum ex cucurbitis recentibus contuſis, folijs ſedi majoris, lactucæ, & ſimilibus. Itèm conferre dicunt

pedum lotiones ex decocto herbarum refrigerantium; Sic enim frigiditatem per nervos cerebro communicari credunt.

Delirium in febre fit à ſcorijs ſulphureis, acribus, ſalinis, & acutis in maſsâ ſanguineâ intermiſtis, à quibus ſpirituum varia, & confuſa in cerebro agitatio excitatur; ſubtiliores, & fervidiores redduntur ſpiritus, agiliores quidèm, ſed ſimul confuſiùs, & perturbatiùs in cerebro agitantur, & huic agitationi ſemper vigiliæ pertinaces præcedunt, & perpetuò in febrium continuarum incremento, aut in principio ſtatim ipſius ſtatùs delirium affligere ſolet, ubi maxima eſt maſſæ ſanguineæ effervescentia. Ex inconditâ ſpirituum agitatione in cerebro varia, & inanis cohærentia oritur, & diverſa phantaſmata ab animâ offeruntur, ut inconditi ſermones, fletus, floſculorum, qui nuſpiàm ſunt, collectiones, muſcarum venationes, variæ artuum motiones &c. donec aucto, & nimis impetuoſo ſpirituum motu, tandèm convulſiones ſæpè lethales superveniunt, aut donec ſpiritibus non tantùm abſumptis, vel incondito narcoticorum uſu fixatis, delirium in lethargum, vel in affectum caroticum mutetur.

Pro delirij curatione ſcoriæ ſulphureæ, ſalinæ &c. eliminandæ ſunt diaphoreticis, & alexipharmacis; inordinata ſpirituum agitatio opiatis ſiſtenda; & ſanguinis febrilis incendium compeſcendum præcipitantibus, vulgò refrigerantibus dictis, vel ſanguinis effuſione. Hæc medicamina ſimul maritanda utplurimùm ſunt, ut unà tribus ſatisfaciamus indicationibus, & horum maxima pro delirio ſedando ſpes in opiatis reponenda eſt, & omnibus alijs fruſtrà tentatis, tutiùs ad opiata, tanquàm ad ſacram anchoram confugimus, quæ vix penè nunquàm fefellerunt; nàm diaphoretica ſunt, ſcorias educunt, ſpiritus animales concitatiores, & inordinato motu furentes ad quietem reducunt, ſanguinis maſſam nimis ebullientem compeſcunt, & naturam viribus defectam reficiunt, & eâdem operâ placidâ quiete reſtaurant: Verumenim verò tutius eſt ægrum à delirio præcavere, quàm idem curare, opiata itaque vigiliarum tempore adhibeantur præſtat, quàm ubi æger delirus evaſit. Certum eſt opiata legitimè adhibita eſſe magna remedia, & optimè commendantur in delirio febrili: verùm ſi tempore non opportuno, aut non legitimè parata adhibeantur, plus obſunt, quàm proſunt, & ſi ſpiritus furentes non compeſcant, eorum motum non refrænent, delirium potiùs pejorant, cùm opium ſomnia turbulenta, & terrifica inducat; Si verò opiatis ſpiritus nimiùm figas, metus eſt, ne per opiata in lethargum delirium convertas. Cùm enim ſpiritus in delirio ſint admodùm volatiles, & ſubtiles, & ſimul propter motum continuum aucti ſint pauci, ex auctâ narcoticorum doſi facilè in lethargum, ſive carum permutari poteſt, obſtructis nervorum valvulis, per quas ſpiritus in corpus affluunt, & hæc permutatio eſt periculoſiſſima.

Delirij itaque curationi hæc præſcribere ſolemus, quæ furentes ſpiritus animales ad placidam diſponunt quie-

quietem; ſcorias reſolvunt febriles, diaphoreſim aperiunt, & ſanguinem in citatiori motu retardant:

℞. *Bezoartici mineral.* ſcr. ß.
nitri antimoniati ʒ. j.
magiſt. perlar. or. gr. vi.
tincturæ corall. ſcr. ß.
ſyr. de nymphæâ ℥ *ß.*
aquæ endiviæ ℥. ij.
laudani opiati gr. ij. m.

Obſerva tamen, quòd opiata in primâ exhibitione in minori doſi præſcribimus, dein ſenſim ad majorem progredimur, & cochleatim diſſoluta cum alijs medicamentis eundem affectum reſpicientibus exhibemus.

Vel.

℞. *Syr. de papav. alb.* ℥. *ß.*
tincturæ anodynæ Zwelferi ʒ. j.
eſſentiæ hyperici ſcr. *ß.* m.

Vel.

℞. *Stibij diaphoretici,*
oculi cancr. ana ſcr. *ß.*
camphoræ gr. j.
nitri perlati ſcr. j.
ſyr. papav. alb. unc. j.
nepenth. Quercet. gr. ij.
diſſ. in aquæ lactucæ unc. ij. m.

Vel.

℞. *Syr. papav. errat.* unc. j. *ß.*
ſcordij fracaſt. ſcr. iv:
diamarg. frigid. ſcr. j.
confect. Hyacinth. ʒ j.
magiſt. corall. ʒ. *ß.*
aquæ anagallidis unc. v.
m. detur cochleatim.

Vel.

℞. *Syr. papav. alb.* unc. j.
ſang. hirci ℥. j.
extract. hyperic. ſcr. j.
laudani opiati n. d. gr. iv,
tinct ſmaragd. ſcr. *ß.*
aquæ anagallidis unc. iv. m.

Exhibemus quandóque emulſiones ſimplices, vel ſomniferas ex quatuor ſeminibus, ut dicunt, frigidis majoribus, ſemine papaveris albi, lactucæ cum anodyno minerali in aquâ Nymphææ, anagallidis, vel ſonchi, quæ edulcorari poſſunt cum ſyrupo de Nymphæâ, vel ſaccharo perlato.

Interim externa non negligenda ſunt epithemata refrigerantia, & præcipitantia, quæ fronti, & ſincipiti applicari debent ex herbis recentibus *portulacæ, ſedi majoris, lactucæ, florum roſarum, nymphææ, camomillæ, meliloti* parata. Ridiculum planè fuit, quod in ægrotâ febre malignâ delirante obſervavimus: Devotus quidam Galenicus abraſo ægræ capiti melonem aqueum per medium diſſectum impoſuit, delirans ægra unà riſum, & animi angorem ſuſcitabat, haſta in ejus manu deficiebat, & altera Pallas videbatur, & tamen ejus Palladis arcem flammeus Vulcanus urebat. His parùm, aut nihil proficientibus, ad cataplaſmata narcotica deveniendum eſt. A *Zacuto Luſitano* tanquàm expertum commendatur *decoctum radicis mandragoræ, & hyoſcyami* cum ſimilibus externè applicatum. Mirificè confert *ſuccus cancrorum fluviatilium vivorum expreſſus,* & fronti applicatus, ſed potentiùs operatur *idem cancrorum ſuccus cum aquâ ſpermatis ranarum* miſtus, & fiat cataplaſma, vel

℞. *Aquæ ſpermatis Ranar.* unc. viij.
ſucc. cancr. fluv. contuſ expreſſ. unc. ij.
opij aceto correcti ʒß.
camphoræ,
croci ana Scr. ß.
m. pro epithemate.

R 2 quod

quod cum duplicatis petijs fronti tepidè admove, nàm ſic blandum conciliabis ſomnum.

Apud Galeniſtas in uſu ſunt varia animalia, ut anates, palumbes, pulli, galli, catuli &c. viva per pectus diſſecta, & calentia ſtatim cum omnibus interraneis ſincipiti, aut toti capiti abraſo applicant, & ità applicato animali ſuperponunt lintea, vel culcitram, ne calor ceſſet, & uno remoto, poſt hoc ſubitò applicatur aliud, & id aliquoties continuandum. Verùm apud optimæ notæ medicos hæc animalium carnificina in deſuetudinem abijt. Mirum, inquiunt, in modum hæc animalia delirantibus, & phreneticis auxiliari, & reverà horum calor, & vapor blandus, & ſubtilis exhalat, qui maximè noſtris poris eſt amicus, & convenientiſſimus ad obſtructiones in illis facilè tollendas. Nonnulli venæ ſectionem inſtituunt, & quò citiùs, eò meliùs, verùm quia adeſt febris maligna, in principio ſine tanto diſcrimine celebrari poteſt illis cautelis, quas medici ſciunt, & quò ad locum notant, quòd ſi forſan aliqua ſanguinis evacuatio ſuppreſſa præceſſerit, ut in puerperis, in partibus inferioribus in talo, & poſtmodùm in brachio ſecanda eſt vena, ſed arteriotomia præſtat.

Pro affectu lethargico, & comatoſo ſæpiùs expergefaciendi ſunt ægri, & naribus *nodulus ex camphorâ, aut rutâ aceto madidus* objici poteſt, vel *ſuccus naſturtij aquatici* ijſdem injici, ſed præſtat *ſpiritus ſalis ammoniaci* odore tenùs. *Veſicatoria* quoque pro veſſando, & excitando ægroto brachijs, & etiam pedibus applicari poſſunt. Vel ſequens medicamentum fronti applicandum eſt, ut

♃. *Thuris,*
bacc. lauri,
piperis nigri ana unc.ß.
ſubigantur probè cum ovorum albumine, & q. ſ. fronti imponatur, & ſomnolentiam arcebit. Verùm vanida ſunt hæc medicamenta, niſi mala ſomni radix tollatur, nàm comatoſus dormit, non quia ſomno indiget, ſed quia malè ſe habet.

Ad alvi fluxum compeſcendum præter in noſtrâ *Trutinâ lib.* 4. *cap.* 11. adnotata, ea medicamenta, quæ malignitatem oppugnant, & unà alvinum fluxum ſiſtunt admiſcenda ſunt, & præſertim *Diaſcordium Fracaſtorij*, & ità unâ fideliâ duos dealbamus parietes, undè in tyronum gratiam, & eorum, qui juxta proverbium, ſine cortice natare non poſſunt, hæc recepta ſubnectimus, ut

♃. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒj.
extract. tormentillæ ſcr.j.
magiſt. coralliorum. ℈ß.
dulced. Martis gr. XII.
ſyr. plantag unc.j.
aquæ ejuſdem plantag. unc. ij. m.
capiatur pro libitu.

Vel

♃. *Syr. de ſucc. myrtill.* unc.ij.
corn. cerv. ſpagyricè præp.
ſtibij diaphoretici ana ſcr.ſs.
philonij Perſici ʒj.
margarit. præp. ſcr.ſs.
decoct. tormentillæ unc.iij.m.

Vel

℞. *Myvæ cydonior. aromatic.* ʒj.
pulv. tormentillæ ſcr.ſs.
nepenth. Quercet. gr. j.
terræ ſigillatæ,
cryſtall. montan. præp. ana. ſcr.j.
ocul. cancr. fluv. ſcr.ſs.

gran.

gran. chermes gr. XII.
nucis moſch gr. vj.
elaoſacch. citri gr. aliquot.
ſacch. perlati q. ſ.
cum ſyr. de ſymphyt.
f. boli pro duabus doſibus.

Vel

℞. *Diaſcord. Fracaſt.* ſcr. j.
lacrym. ſang. drac. ſcr. ſs.
eſſentiæ croci Martis gr. viij.
extract. tormentill. ſcr. j.
m. & cum ſyr. cydonior.
f. pilul. parvæ inaurandæ
pro una doſi.

Vomitus tollitur, ſi nimius ſit, remedijs in noſtrâ *Trutinâ lib.* 2. *cap.* 8. *De Nauſeâ, & Vomitu* deſcripta, ſi verò paucus, & neceſſarius erit vomitus vel pro febris curatione, vel pro tollendâ cruditate à ſtomacho febris curationem impediente, promovendus erit noſtro *Hippocras emetico*, vel alijs emeticis in hujus capitis initio deſcriptis.

Cardialgia compeſcenda eſt remedijs dictis in noſtrâ *Trutinâ Medicâ* quibus ea, quæ malignitatem reſpiciunt, admiſcemus, & abſorbentia, & præcipitantia adjungimus, & in alumnorum medicinæ gratiam ſequentia in formâ deſcribimus:

℞. *Eboris præp.* ʒ ſs.
cinnab. nativ. gr. v.
margarit. præp. ſcr. ſs.
diaſcord Fracaſt. ʒ ſs.
cum mucilag. ſem. cydon. q. ſ.
f. pilul. parvæ deaurandæ
pro unâ doſi.

Vel

℞. *Corn. cervi uſti* ʒ ſs.
ocul. cancr fluv. ſcr. j.
lapid. benzoar. gr. vj.
ſtibij diaphoretici ſcr. ſs.
philonij Romani q ſ.
f. bolus.

Vel

℞. *Bezoart. mineral. gr.* v.
magiſt. corallior. gr. viij.
terræ ſigillatæ ſcr. j.
Laudani opiati n. d. gr. iij.
confect. alkerm. ʒ ſcr.
ſpec. diarrhod. Abb. ſcr. ſs.
ſyr. de mucilag. unc. j.
aquæ menthæ, unc. ij. m.

Lipothymia in febre malignâ peſſimum ſymptoma eſt; terribiliſſimam enim mortis ſpeciem præſefert, & facilè in ſyncopen tranſit, ac ſæpiùs repetens de medio tollit. Provenit, ut diximus in noſtrâ *Trutinâ Medicâ lib.* 3. *cap.* 2. *de Lipothymiâ, & ſyncope*, à ſanguine, qui in corde coagulatur, & ad motum reddit ineptum, vel ab activiori ſanguinis parte fixatâ; vel ab aliquâ nimiâ evacuatione ſenſili, vel inſenſili, vel ut plurimùm in febre malignâ ſuccedit à vapore maligno, & aurâ venenatâ, qui vitæ ſpiritus ſuffocat.

Lipothymiæ ſuccurrit *ſpiritus vini, citri, ceraſorum nigrorum*, vel aliquod oleum odoratiſſimum ſtillatitium, ut *angelicæ, cinnamoni, citri, caryophyllorum*, vel ex eis parata *balſama caryophyllorum, cinnamomi, vitæ n. d.* quæ naribus illini debent; ſuavi enim fragantiâ ſpiritus reficiuntur, & collapſæ recreantur vires, vel aliquot horum guttæ eſtò in ventriculum non ingerantur, ſed palatum tantùm attingant, ſubitò hominem vivificant, à Lipothymiâ liberant, & hilariorem vitam ſpirare faciunt. Verùm lipothymia, vel ſyncope prout febris malignæ ſymptoma eſt, interna cardiaca, & quæ malignitatem obtundunt,

dunt, requirit medicamenta, ac propterea, quæ ſanguinem in corde coagulatum reſolvunt, & motum reſtituunt, ac malignum vaporem, auramque venenatam, & vitæ ſpiritus ſuffocantem abſumunt, reſolvuntque, pro qua re eorum, quæ in noſtrâ praxi exhibemus, formulas deſcribimus, ut

℞. *Magiſt. corall roſati gr.* vj.
ſalis perlarum or. gr. iij.
tinctura alkermes n. d. ʒij.
bezoar. orient. gr. v.
ſalis volatilis ſuccini gr. iij.
ſpiritûs corn. cerv. gutt. viij.
ſalis ſang. hirci ℈ß.
tinctura cinnam. ʒjß.
ſyr. flor. borag vel
exhilarantis Domini Laurentij ℥jß.
aquæ meliſſæ ℥ij. m.

Hujus hauſtûs unum, vel alterum cochlear per intervalla exhibeatur.

Vel

℞. *Tinct. corall. gutt. vij.*
ſpiritûs c. c. ſuccinati gutt. viij.
elæoſacch. citri gutt. vj.
elixiris Matthioli gutt. ix.
ſpiritûs theriacalis camphorat. ſcr. ß.
ſalis volatilis viperarum gr. v.
aquæ perlar. n. d. ℥ß.
ſyr. rubi Idæi ℥j.
aquæ pomor. redolent. ℥ij. m.
detur cochleatim.

Vel

℞. *Ligni aloës raſpati* ſcr. ß.
os de corde cervi gr. xij.
ſalis volatilis c. c. gr. vij.
lapidis bezoar. or. gr. v.
magiſt. perlar. or. ſcr. ß.
manus Chriſti perlata q. ſ.
ut f. bolus.

Vulgares cordis regioni varia èpithemata in formâ applicant, quæ an proſint, in noſtrâ *Trutinâ* trutinavimus, & repudiavimus: aliquo tamen modo prodeſſe poſſunt, quatenùs mediante reſpiratione ingredientium odor attrahitur.

Sitis in febribus malignis moleſtiſſimum eſt ſymptoma, imò dirum inferni ſupplicium, ut de Tantalo fabulantur Poëtæ; nàm os cum ejus adjacentibus partibus urit, viſcera torret, angit, & evigilare facit, & nullo medicamine, niſi fonte levatur. Fit ſitis à corpuſculis ſalinis exaltatis, & ad fauces provectis, abſumpto latice à vehementiori ſanguineæ maſſæ æſtuatione, quæ laticem vaporetenùs ſollicitando, particulas exagitat ſalinas, quas ſub ſalſi halitûs formâ ad os elevat, undè ſitis, & ariditatis illuſio ibidem producitur. In his febribus ſitis ſymptoma eſt non contemnendum, nocet nàmquè corporis nutritioni, & vires valdè dejicit. His in febribus ſequentibus remedijs reſtinguitur ſitis, attamen malignitatem reſpicientibus maritatis, ut

℞. *Limaturæ C. C. crudi* unc. iij.
ponantur in pupatellâ, & coque in
aquæ fontanæ lib. viij.
ad duorum digitorum tranſverſorum caſum, adde tùm
Corticis citri recentis,
contrayervæ,
rad. ſcorzoneræ ana m. j.
obtege vas optimè, remove ab igne, & probè obtectum frigeſcat, deinde cola, & adde
Spiritûs vitrioli, vel
ſpiritûs ſulph. ad gratiſſimam aciditatem, vel

ſalis

ſalis prunellæ ʒ iv.m.
& frigidè propina.

Vel
℞. *Aquar. ſonchi,*
galegæ,
ſcorzoneræ ana unc. iv.
ſyr. de ſucc. limon.
de acred. citri
julep. roſati ana unc. j.
nitri antimoniati ʒ j. ſs. vel
ſpiritus ſalis dulcis, vel
ſpiritûs nitri dulcis
m. q. ſ. ad gratiſs. aciditatem,
& cochleatim exhibe frigidè.

Vel pro divitibus
℞. *Aquar. borag.* unc. iij.
card bened lib. ſs.
roſac. unc. j.
Sacch. perlati unc. j.
ſucc. citri recent rexpreſſ. q. ſ. m.

Propinari etiam ad ſitim leniendam poteſt tinctura roſarum, vel violarum, & omnia acida; hæc enim ſalina corpuſcula exaltata, à quibus talis fovetur ſitis, abſtergunt, & diluunt, & per urinæ ductus expurgant. Hac eâdem ratione eundem uſum habent ſeminum frigidorum emulſiones, & præcipuè ubi vigiliæ moleſtant, & ſitis angit; parari poteſt emulſio ſomnifera, ut
℞. *Amygdal. dulc. excoriat.*
ſem. melon. ana unc. j.
papav alb. ʒ j.
lactucæ ℈ j.
f. emulſ in aq. lactucæ unc. vj.
ſyr. de papav. albo.
de Nympheâ ana unc. j. m.
ſumatur frigida horâ ſomni à Cœnâ. Sed qui plura de ſiti deſiderat, legat noſtram *Trutinam lib. 3. cap. 6.* ubi ubertim diximus.

Hic admonitos volumus vulgares medicos, ne nimiâ ſiti abſtinentiâ, quam nos execramur, ſuos jugulent febrientes, nihil enim bibere maximus cruciatus, & ſumma pœna ſiné juvamine, imò potiùs cum noxâ, quia tunc bibendi neceſſitas monet, & prodeſſe, ac nullo modo obeſſe, atque adeò potus ſub pœnâ mortis vetitus, & rupta medici obedientia millies medenti attulit dedecus: intenſam igitur ſitim præ omnibus aliis aquea curant, quia ſalinas particulas diluunt, & ad urinæ vias deducunt. Quot potûs uſus noſtro corpori commoda præſtat, quæ etiam juſcula, aliaque, liquidiora alimenta præſtare poſſunt, his breviter complectimur; vires namque ex humidi devaſtatione exolutas reparat. Inſuper inſervit ad cibos in ventriculo miſcendos, liquandos, ad faciliùs undique coctionem ſuſcipiendam, quia coctio fit inhumido, & ad ciborum eſſentiam per anguſtos vaſorum meatus ferendam. Prætereà eſt ſanguinis comes, ne in concretionem abeat, & eſt deputatus ad partium eluendas ſordes. Prohibet tandèm, ne volatilis ciborum eſſentia corpori ſuſtentando deſtinata, à calore accendatur.

Nigrities in linguâ fit mediantibus vaporibus fuliginoſis ferventibus, cauſticis, & malignis ab æſtuante ſanguinis maſsâ cum expirato aëre elevatis, qui per pulmonum ſpiracula è cordis foco prodeuntes ad palati fornicem alliduntur, & linguam quaſi reverberio feriunt, & nigredine quadam imbuunt. In linguæ nigredine ea interna conducunt medicamenta, quæ fervidiorem maſſæ ſanguineæ agitationem benignioribus fixantibus ſubacidis compeſcunt, ità ſunt

conſerva

conſerva citri, ſyrupus rubi Idæi, arcanum duplicatum, lapides cancrorum, corallia rubra ſubtiliſſimè pulveriſata. Topicè linguam obducimus linimento ex *ſedo majori, ſucco cancrorum fluviatilium, mucilagine ſeminum pſyll.j, & lapide prunellæ.* Vel aufertur *aceto deſtillato, & ſaccharo cando cum aquâ ſtillatitiâ roſarum admiſto.*

Linguæ ardor, & fervor fit, quandò ejus humiditas naturalis non tantùm abſumitur, ſed aceſcit, & à torrido calore velut elixatur, non aliter ac ſi à juſculo fervido elixaretur, & poſtmodùm ſcabra evadit, finditur quandóque à particulis acutis, quæ ejus continuitatem ſolvunt. Ardor, fervor, & fiſſuræ linguæ curantur medicamentis humectantibus, & lenientibus linguæ admotis, & in ore detentis, ità ſunt mucilaginoſa, in primis *mucilagines ſeminum pſyllij, cydoniorum, malvæ, vel mucilago tragacanth. extractæ cum aquis lactucæ, roſarum, ſedi majoris, vel portulacæ,* ut

℞. *Mucilag. ſem. cydon.*
pſyllij extract. cum aquâ ſonchi ana ℨij.ſs.
ſyr. violar. ℥j.ſs. m.

Exhibeatur parum per intervalla, & in ore detineatur.

Vel

℞. *Mucilag. ſem. malv. extract. cum decocto hord.*
gelatinæ cornu cervi ana ℨ.ij.
ſacchari perlati ℨ j.
ſucc. centr. fluv. ℥ j.ſs.m.

Et includantur in ſerico raro, ligentur in noduli formam, qui detineatur in infuſione aquæ roſarum, & ſæpè lingua liniatur.

Vel

℞. *ſem. cydon. ſine cortice, cucumeris ana ℨ j.*
papav. albi ℈ ij.
gummi tragacanth. ℨ j.ß
contundantur,
diamargarit frig ℥ j.m.

& cum mucilagine ſeminum pſyllij aquâ roſarum extractâ, & albumine ovi fiant trochiſci in ore detinendi.

Vel

℞. *Aquæ hordei,*
Sedi majoris ana ℔ ß.
ſyr. granator. dulc.
violar. ana ℥ j.
diamor. ℥ ß.
Lapid. prunell. ℨ j. ß.
f. gargariſma.

Sed ſale prunellæ in aquâ ſedi majoris diſſoluto utiliſſimè lingua, & fauces abluuntur, ejuſque particula abſorberi poteſt, ut ad œſophagum ſimili ardore affectum perveniat. Optimum gargariſma erit lac caprinum, vel emulſio ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus facta in aquâ ſenicionis, vel gargariſma ex cremore hordei diluto in aquâ lactucæ utiliter adhibetur.

Si verò nutrimentum degeneratum in quantitate non peccet, ſed tantùm in qualitate, ut in epidemiis, & pravis aëris conſtitutionibus accidit, tunc febres producuntur, quæ abſolutè malignæ dici merentur, ex eo quia medicum decipiunt, nàm primis diebus prava illa qualitas non manifeſtatur, reſiſtiturque à partium ſolidarum naturâ, quæ cùm multitudine non graventur, parvifacere qualitatem demonſtrant, ac pulſus boni erunt, urinæ bonæ, principeſque facultates conſtantes apparebunt; tandèm in quarto, vel ſeptimo prava qualitas, ſuperatâ

ſuperatâ naturæ reſiſtentiâ, in apertum veniet cum pernicioſorum ſymptomatum multitudine.

In hujuſmodi febribus eadem erit curationis methodus, quam ſuprà propoſuimus; nàm eodem modo detergendum eſt nutrimentum degeneratum ſive multum, ſive paucum illud ſit: unum tantùm advertendum eſt, quòd multoties cùm à copià non gravetur natura, qualitate pravâ illam ſtimulante, in furorem, calores vehementes, & excandeſcentias adigitur, undè ſanguis in vaſis vehementer fermenteſcens cor angit, & laceſſit, additque afflictiones afflictæ naturæ; in hoc caſu inter quartum, & ſeptimum diem bis brachij vena ſecari poteſt, & vice qualibet dimidiam ſanguinis libram detrahere, dummodò ad id concurrant corporis habitus plethoricus, urinæ rubræ, calor vehemens per univerſum corporis habitum, ſitis, & virium robur. Harum febrium malitiam occultam præcognoſcere medicus poteſt, ſi in principio in infirmo omnia benè ſe habeant, leviter febricitet, & tamen omnia corporis membra ità ſint ad motum pigra, ut ad motûs corporis ſe vires non habere fateatur infirmus.

Verùm ſi nutrimentum degeneratum quantitate ſit multum, & pravam tamen qualitatem non habeat, reumaticam cum miti calore pariet febrem cum raucedine, thoracis anguſtia, inappetentiâ, nauſeâ, oris amarâ limoſitate, abſque vehementi ſiti, urinis craſſis, & pallidis, pulſibus contractis, ſed preſſis vehementer aſſurgentibus; his ſignis apparentibus exiſtimandum eſt febrem in degenerati nutrimenti copiâ ſine pravâ qualitate fomitem habere, quæ ſolâ coctione curatur, ac propterea neque medicamentum purgans, neque ſanguinis miſſio huic convenit febri; utendum tamen eſt frictionibus, cucurbitulis, inunctionibus ex oleo amygdalino, oleo nucis moſchatæ per expreſſionem vigorato, vel ex vino ſublimato. Victus debet eſſe tenuis, & paucus, potus parciſſimus, ambiens aër calidus, præterea diaphoretica ſunt exhibenda, quæ ſuprà præſcripſimus; hæc námque materiæ coctionem promovebunt, illamque diſponent, ut naturæ motibus pareat: cùm verò coctionis ſigna apparuerint, tunc tutò purgans medicamentum exhiberi poteſt ad materiæ expulſionem.

Demùm ſi nutrimentum degeneratum neque multum in quantitatè erit, neque qualitatem adeò pravam habeat, vehementiorem excitabit febrem; quippè cùm natura materiam illam præter naturam circa ſe ſentiat, & neque ab ejus qualitate, neque quantitate opprimitur, furere incipit, excandeſcit, calorem intenſiſſimum excitat, ſitim accedit, urinas ſubrufo colore ſaturat, alvum ſtringit, in acceſſionum incrementis vehementiſſimè pulſat; tandèm pejores ſunt affectus, quos ſuis inordinatis motibus cauſat, quàm qui à primitivâ febris materiâ producuntur: his tamen furoribus apparentibus, non adeò timendum eſt medico, quippè motus naturæ vehementes irritamentum arguunt, non autem urgentis materiæ dominium, & ſuperioritatem, quòd ſi medicus benè ſe gerat in ſedando naturæ furorem, ſine dubio morbi victo-

victoriam conſequetur; contrà verò ſemper pejora ſunt timenda, ubi natura torpet, & pigrè ſe movet, tunc enim dominantem ſibi febris materiam arguit: in furioſis ergò febribus ſanguinem mittere ſaluberrimum erit, ut Galenus ſcripſit.

Aperienda ergò ex vena in his febribus bis, & ter pro infirmi robore, & febris impetu, nunquàm tamen ultra mediam libram pro qualibet vice detrahi ſanguis debet, & hoc poſt quartum diem, cum ſanguis vehementiùs efferveſcit.

Verùm cùm radix hujus febris etiam in nutrimento degenerato conſiſtat, ijsdem remedijs curanda eſt hæc febris, quæ diaphoretica efficaciâ prædita ſuprà fuerunt deſcripta; fugiendumque eſt à purgante medicamento, ſi coctionis ſigna non appareant. Demùm pro continuis febribus generalem regulam tradamus oportet, ſcilicèt quòd ſi furioſæ illæ ſint, ſiticuloſæ, & vehementi calore conjunctæ, venæ ſectione quiſque uti poterit pro ægri temperie, & virium robore; ſi contrà torpidæ ſint febres iſtæ, pigræ, atque tepidæ, tunc ipſis nullo modo convenit venæ ſectio; in principio, & non ultra ſecundam diem tùm purgans medicamentum, tùm vomitum excitans convenit, ſed ultra ſecundam diem neutrum exhiberi debet, niſi ſigna coctionis appareant: medicamenta demùm diaphoretica, quæ à centro ad circumferentiam movent vel ſudorem, vel inſenſilem tranſpiratiouem, omnibus his febribus conveniunt, & omni tempore, & ſemper prodeſſe poſſunt, & nocere nunquàm.

CAPUT XXVI.

De Febribus ex Aëris mutatione.

POſt febrium malignarum tractationem non incongruum erit laconicè de febribus ex aëris mutatione aliquid libare, cùm etiam hæ ex nutrimento degenerato geneſim trahant; eapropter multùm primò perpendere conducit, cur in quibuſdam noſtræ Italiæ regionibus quodam anni tempore pernicioſæ, & lethales ex aëris mutatione contingant febres, quæ ſi in principio ab accurato medico non exſtinguantur per minerale emeticum, quarto tranſacto die in malignas degenerant, optima quæque reſpuunt medicamenta, & intra decimum quartum ut plurimùm interficiunt? Quod negotium auxit, in harum veſtigandis cauſis, eſt quod nullibi in Europâ, niſi in quibuſdam Italiæ regionibus dictæ contingant febres; undè nec laborioſum iter, nec fervidus ſolis calor, nec eduliorum, nec aquarum, nec tandèm cœli mutatio ſunt cauſæ, ità noſtris regionibus, ceu alijs communes, ut jure merito inſtitui potuiſſent harum febrium effectrices, niſi dicere velimus hoc maximum præjudicium à vulgaribus medicis fuiſſe introductum haſce in noſtras regiones, & non in alias; cum omni tempore, & latè iter facientibus mali moris febres contingant, propter labores, mærores, cibi & potùs ingurgitationes, incommoditates in itinere toleratas, aliaſque occaſiones eveniant: ſed quicquid ſit de hoc,

Primùm conſiderare oportet ejuſmodi febres, quæ ex aëris mutatione fieri cenſentur, potiſſimùm graſſari ſolere ſub æſtatis finem, atque inter autumni initia, quo tempore fervefacta tellus halitus, expirationeſque emittit: ſed illud etiam animadvertere oportet, quòd ex argillâ excoctâ, & ex terrâ valdè exſiccatâ copioſiùs expirationes educuntur, quotieſcumque aliquis accedit humor, ut vel maximè ex odore manifeſtum eſſe poteſt. Præterea noſſe oportet non omnes terræ regiones ità eſſe diſpoſitas, ut prædictarum febrium generationem admittant ex aëris, cælique mutatione; ſed illas potiſſimùm eſſe his febribus obnoxias, in quibus adſunt frequentes rerum mineralium fodinæ, præſertim ſalis nitri, ſulphuris, chalcanthi, aluminis, ſalis communis, & ſimilium, cujuſmodi ſunt aliquæ Italiæ regiones, quarum tellus inter pauca milliaria diverſis eſt referta fodinis: at non ità Inſubriæ, Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniarum &c. provincijs, in quibus perpetuò homogenea, & uniformis iter facientibus ſeſe offert, & quia Hungaria multas in ſuo ſinu mineralium fodinas fovet, ſuas quoque patitur clades, graſſatur enim ibi febris, quam ex loci nomine Hungaricam dixerunt, undè qui prope incolunt fodinas, metallorum fumum, ideſt virus arſenicale inſpirant, (vocatur námque arſenicum fumus metallorum) & juxta exaltationum gradus varijs cladibus ſunt obnoxij. Tandèm illud quoque conſiderandum eſt, quòd tùm vitrioli ſpiritus, tùm ſalis nitri, ſulphuris, ſalis communis &c. Salubriter in paucâ doſi dilutus intrinſecùs in multis aſſumitur morbis, ſed hos memoratos ſpiritus ſimul permiſtos eſſe omninò corroſiva, & lethalia venena. Hinc capite præcedenti vulgares admonuimus medicos, ne ſuis ægrotis hos ſpiritus permiſtos præbeant, quia febrem ex aëris mutatione excitarent non abſimilem.

Quibus rebus perſpectis, facilè harum febrium cauſæ intelligi poſſunt; quamobrem per varia telluris loca iter facientes circa autumni initium ſpiritu hauriunt perſpirationes modò vitriolatas, modò nitroſas, modò aluminoſas, modò ſulphureas &c: quæ intra corpus aſſumptæ, atquæ permiſtæ procreare valent ſubſtantiam quandam venenatam, & humanæ vitæ infenſam, undè ex aëris mutatione febres excitari queunt, quæ à perſpirationum heterogenearum producto ſuſtentantur, quod in ſtomachi convexo, vel thoracis cavitate coagulatur, ex quo tot malignorum ſymptomatum varietates emergunt. Imò cunctis noſtris regionibus tanta eſt telluris heterogeneitas, & horum ſalium ubertas, ut in unâ, eâdemque terræ parte diverſa mineralium miſcela congeratur, & ubique aër diverſis conglomeretur, & vitietur expirationibus, præſertim primis ſuccedentibus autumni pluvijs. Undè ſiquis unâ nocte, vel die extra proprios lares ad aliquot horas ſomno indulgeat, ſtatim febri ex aëris mutatione victimam ſe exponit, quia in ſomno expirationes, & inſpirationes raræ ſunt, & particulæ ſalinæ, vitriolatæ, ſulphureæ, nitroſæ &c. permiſtæ diutius nobiſcum, & intra nos morantur, & magis ſe inſinuant, ſomno. Ea propter quis itineretur, extra tecta moretur, in aëre magis conſpurcato verſetur,

ibique non dormiat, immunis erit à tàm diræ febris ſuſpicione. Quapropter poſt Sirij ardorem nemo tàm facilè itineri ſe committit, ne febre ex aëris mutatione corripiatur, & hoc anni tempore qui alibi reperitur, ibi ad frigidam uſque aëris temperiem moratur, & indè in proprias properat ſedes. Verumenimverò compertum habuimus, quòd quandò autumnus eſt ſiccus, hæ febres iter facientibus non ſuccedunt.

Has febres, quas ex aëris mutatione vocant, endemicas, non verò epidemicas eſſe arbitramur, quia licèt utraque ſit communis, endemica tamen ſemper ſtatis periodis aliquas noſtræ Italiæ regiones infeſtat, atque ità quaſi patritia, & vernacula eſt, qua de re plura endemica provincias reddidêre deſertas.

Signa.

Hæ febres quemlibet bardum medicum fallere non poſſunt, & facilè cognoſcuntur; ſufficit enim, ut aëris mutatio præceſſerit: tunc febris acceſſionem laſſitudines, artuum dolores, inquietitudines, capitis potiſſimùm dolor prægrediuntur, deindè febris cum totius corporis frigore, capitis, & artuum dolore, ſomnolentiâ, ventriculi nauſeâ, & quandóque vomitu, pulſuum contractione ſuccedit, poſt frigus debilis ſubit calor cum vigiliâ, ſiti, alijſque ſymptomatibus. Primæ acceſſioni evenit ſecunda imperceptibili cum frigore, deindè calor cum ingrato quodam ſopore, pulſus erunt languidi, frequentes, & inæquales, nox vigil, inquietitudinum omnium genera, & ſymptomata vexantia partim ingraveſcunt, & partim denuò pateſcunt, Secundæ tertia accedit acceſſio abſque ullo frigore, incaleſcit, & omnia, vel aliqua ſigna, quæ capite præcedenti recenſuimus, cum pravis ſymptomatibus palam febrem ex aëris mutatione oſtentant continuam.

Cauſæ occaſionales.

Sunt harum febrium cauſæ occaſionales particulæ vitriolatæ, ſulphúreæ, aluminoſæ &c. permiſtæ in terræ fodinis poſt caniculares dies mediante pluviâ fermenteſcentes, & elevatæ, quæ per aëris attractionem in ſtomachi convexo, vel thoracis cavitate propter moram congeruntur, & coagulantur, & in virus degenerant corroſivum, quod nutrimentum in ſuis partibus conſpurcat, & à propriâ indole degenerare facit: degeneratum tanquàm exoticum, hoſtile, & venenatum renuitur à fibris ſpermaticis, à quibus regitur, & fibrarum, & conſequenter arteriarum motus depravatur à principio motûs ipſis inhærente, qui cordi impertitus febrem excitat peſſimi moris; Imò ipſæ particulæ nitroſæ, aluminoſæ, vitriolatæ &c. permiſtæ, quia totum pervadunt corpus, ſanguinem inficiunt, & contaminant, qui in aliquibus partibus in grumulos abit, undè palpitationes, lipothymias, ſyncopes, & alios cardiacos pariunt affectus; ac inflammationes internæ, parotides, & variæ exituræ protuberant, & cætera prava emergunt ſymptomata. Eodem ferè modo febrium malignarum geneſim eſſe dicimus, hoc tamen cum diſcrimine, quòd hæ

cauſam occaſionalem abintrà cognoſcunt, illæ, ut epidemicæ, endemicæ, caſtrenſes, alijque morbi populariter graſſantes, ab extrà.

Prognoſis.

Febres ex aëris mutatione peſſimi ominis ſunt, & ſi quartum tetigerint diem, & opportuno non reſtinctæ fuerint emetico, vel decimo quarto enecant, vel producuntur, & tandèm interimunt, vel chronicam intermittentem poſt ſe relinquunt, quæ niſi ſpecificis eradicetur febrifugis, attingit tempora veris.

Curatio.

In curatione febrium ex aëris mutatione magna ſedulitas adhibenda eſt, & niſi primis diebus ſtatim ſuo extirpetur emetico, de ægri vitâ ferè jàm conclamatum eſt; Undè ſtatim ac accerſitus fuerit medicus, non de ſanguinis miſſione cogitet, nàm febris venenata eſt, & in morbis venenatis ſanguinis miſſio eſt ipſo veneno nocentior; non de medicamento purgante, nàm hoc à circumferentiâ ad centrum trahit, quod in venenatis eſt venenum ad corporis penetralia impellere, nec purgans habemus, quo per ſedes venenum extrudimus. Unum tantùm ſupereſt medicamentum, quod eſt emeticum, his enim febribus ſemper nauſea, & quandòque imperfectus vomitus accedit, & quaſi digito vomitorium natura deſignat, & hoc uno tantùm medicamento venenum per illud oſtium per quod ſe in corpus intruſit, ut in membri à viperâ demorſi ſcarificatione, & ſanguinis per cucurbitulam eductione veneni eductio feliciter contingit. Optimum inter omnia emetica noſtrum Hippocras eminet, & ex eo tempore, quo illud in lucem protulimus, neminem peremit, ſed omnes è mortis angone redemit; hoc enim omnem ſaburram in ſtomacho, & duodeno ſtagnantem per vomitum rejectat, & plures movet ſeceſſus, omnemque pravam materiam in qualibet corporis parte deliteſcentem exturbat, & omnem auram in penitiores partes intruſam, & præſertim in thoracis cavitatem potentiſſimè evocat, & per proxima emunctoria tranſpirare facit. Poſtmodùm regatur æger alexipharmacis propter alicujus malignitatis relictæ ſuſpicionem: ad hujus effectum ſummoperè commendamus mineralia diaphoretica, hujuſmodi enim febres vegetabilium medicamentis reluctantur, verùm ex his proficuam *aquam alexipharmacam*, *bezoarticam*, & *antidotum bezoarticum* in noſtrâ *Mantiſſâ* experti ſumus in reſolvendo nutrimentum degeneratum per corporis circumferentiam. In reliquis gubernetur febriens, ut capite antecedenti diximus.

CAPUT XXVII.

De Febrium curatione, quæ ex prohibitâ Tranſpiratione originem ducunt.

NUtrimentum à cibis, & fæcibus ſeparatum, dum per fibras ſolidas ad meliorem uſum in cerebrum, & ſpinalem medullam fertur, ſemper magis, atque magis perficitur per ſe-

parationem aliquarum ſuperfluitatum ſeroſarum, quæ illi impedimento eſſent ſuperfluitates iſtæ à calore naturali, qui à ſanguinis effluvijs producitur, verſus cutem in halitus inſenſiles reſolvuntur, & perenniter à cute effluunt. Conſtat iſta cutis triplici exiliſſimorum vaſculorum capillarium genere, tanquàm tot filamentis artificioſè constructa, ex capillaribus ſcilicèt vaſculis, quæ ob exilitatem fibræ vocari poſſunt, venarum, arteriarum, & nervorum, quæ ità inter ſe contexuntur, ut quoddam rete mirabile totum corpus inveſtiens conſtituant. Sub iſtâ texturâ reticulari copioſæ conſtitutæ ſunt glandulæ miliares ſuis excretorijs vaſculis exteriora cuticulam verſus ſpectantibus inſtructæ, quorum orificiola cutis poros conſtituunt. Hi pori inconſpicui ſunt, attamen hyberno tempore tantùm conſpicui fiunt, cùm corpus derepentè denudatur, ac propterea cutis tota poroſa eſt, veluti cribrum, præter foramina conſpicua varijs in locis ad neceſſariorum introitum, & exitum, ut os, aures, nares &c. Hæ cutis glandulæ è ſanguine per capillaria vaſa emulgent, & copioſè ſeparant ejus partem aquoſam ſuperfluam ſalibus oleoſis ſuperfluis, aliiſque particulis inutilibus, tùm primariò maſſæ ſanguineæ, tùm etiam partium continentium imprægnatam, quæ ſub halitum per ſe inviſibilium formâ per vaſcula earum excretoria expirant, adjuvante non parùm calore tùm ipſius corporis expirantis, tùm etiam corporis ambientis, & hæc inſenſilis tranſpiratio appellatur. Per hanc corporis poroſam cutem, & inſenſilem tranſpirationem magis ſublevamur, quàm omnibus ſenſibilibus ſimul unitis, & per hanc ex arte Staticâ *Sanctorius* triginta annorum experientiâ deprehendit, pluribus unicâ die naturali tantum evacuari, quantum per alvum quindicem dierum curſu. Hinc etiam obſervavit evacuationes inſenſiles, & quæ perſpiratione fiunt, eſſe longè pleniores omnibus ſenſibilibus ſimul unitis: Obſervavit ipſe cibi, & potûs unius diei octo librarum pondere, tranſpirationem inſenſilem aſcendere ad libras quinque, quæ quidèm tranſpiratio longior eſt in calidis temporibus, & in ijs, qui veſtibus utuntur denſioribus. Tanta eſt hujus inſenſilis tranſpirationis neceſſitas, ut ex impeditâ multi oriantur morbi, & liberâ, vel artificioſè promotâ præſerventur, vel ijdem curentur.

Signa.

Siquis dùm vehementer calet, & dicta effluvia in vehementi ſunt motu, actutùm frigeſcat, illicò denſatur cutis, & materia, quæ fluebat à frigore repercuſſa concreſcit, obſtruitque poroſitates, per quas, cùmque intùs moventur effluvia, effluere non poſſint, in ipſo corpore detinentur partium naturam agitant, febremque excitant, quam ex prohibitâ tranſpiratione originem ducere medici aſſerunt; in his febribus, acceſſionum principio horror totius corporis concitatur, laſſitudo, capitis dolor, pulſuum languor, inappetentia, ſitis intolerabilis, urinæ, confuſæ, ſunt harum febrium ſigna conjuncta.

Cauſa

Cauſa occaſionales.

Si ſanguinis maſſa à quacumque cauſâ crebris motibus, & validis agitetur, inſigniùs efferveſcit, nimis incaleſcit, indéque nimiùm attenuatur, & quaſi liqueſcit, ut in magnis corporis exercitationibus videre eſt: tunc ſuperfluitates ſeroſæ ſalinis oleoſis, & alijs particulis inutilibus imbutæ, in ſanguinis maſſâ, & partibus continentibus ſtagnantes, ità unà agitantur, & in habitus attenuantur, ut transpiratio in maximam copiam augeatur, & ubertim verſus cutem propellantur, & à glandulis imbibitæ per poros vel ſub halituum inſenſibilium, vel ſub guttularum minutiſſimarum formâ erumpunt; eadem enim eſt ſenſilis tranſudationis, ac inſenſilis tranſpirationis materia.

Si corpus, dùm vehementer à cauſâ occaſionali incaleſcit, & effluvia in vehementi ſunt motu, vel affatim erumpunt, protinùs frigeſcat, denſatur cutis à frigore repercuſſa, & impeditâ tranſpiratione, retinentur effluvia, agitantur, & partium naturam laceſſunt, ſanguinis fermentatio turbatur, & immediatè febris ex prohibita tranſpiratione progignitur cum omnibus illis ſignis, quæ recenſuimus.

Prognoſis.

Per ſe febres ex prohibitâ tranſpiratione periculo vacant, vehementia ſymptomata non pariunt, niſi retentorum effluviorum agitatio nutrimentum ità agiter, ut degener fiat, & in hoc caſu febres in aliam ſpeciem tranſibunt, de qua præcedenti capite egimus, & ſic per accidens vitæ periculum præſeferre poſſunt. Finiuntur feliciter auctâ inſenſili tranſpiratione, vel fauſto ſudore.

Curatio.

Indicatio curativa harum febrium erit cutis poroſitates aperire, & retenta effluvia per eas ad exitum ſollicitare; eapropter in hujuſmodi febribus tùm venæ ſectio, tùm purgans nullo modo conveniunt, cùm neutrum ſit indicatum, imò potiùs detrimentum afferre poſſent,

Lenienda eſt primò alvus injectioctionibus per ſedem. Victus debet eſſe tenuis, & rarus, ut natura ejus mole non gravetur, & pororum apertioni vacare valeat: Exerceri debet corpus frequentibus frictionibus, & cucurbitulis, poſt quas junctione olei amygdalini unguento nucis moſchatæ roborati fovendum.

Si his frictionibus inſenſilis tranſpiratio non eveniat, ad interna medicamenta recurrendum eſt, quæ inſenſilem tranſpirationem, & quandóque ſudorem concitent, ac proindè ſanguis & continentes partes purificantur, abſterguntur, & unà aquoſitates ſuperfluæ retentæ excrementis ſalinis, alijſque exoticis particulis vitioſè fermentantibus imbibitæ funduntur, attenuantur, & per cutis poros inſenſibiliter, vel per fuliginum accretionem evacuantur. Hujus conditionis medicamenta ſunt diaphoretica, vel ſudorifica; hæc enim ſanguinem fluxiorem reddunt, qui celeriùs effervescit, inſigniter incaleſcit, & omnes corporis meatus laxantur, & reſerantur, undè ſuperfluæ aquoſitates

tes unà cum particulis ſalinis, aliiſque heterogeneis excrementis rarefactæ in ſanguinis maſsâ ocyùs circulantes per inſenſilem, ſive ſenſilem tranſpirationem foras ſecernuntur. His foràs eductis, ceſsat ſanguinis fluor, & iterùm debitam adipiſcitur conſiſtentiam, fermentatio placidior fit, circulatio ſecundum naturam redit, calor ſenſim remittitur, & pori debitam ſervant apertionem.

Ad poros itaque aperiendos, & ad retenta effluvia foras ſollicitanda his, & alijs uti poſſumus, ut

℞. *Antimonij diaphoretici* ℈ß,
Corn. cerv ſpagyricè præp. ʒß.
m. & detur cum ſyr. card. ſanct. cochl.

Vel

℞. *Sulph. aurati diaph.* gr. viij.
ſalis volat. corn. cerv. gr. vj.
m. cum ſyr. de rutâ caprariâ.

Vel

℞. *Cinnab. antimonij,*
ſalis volat. card. ſancti, ana ℈ß.
m. cum theriacâ, formentur pilulæ iij. & deaurentur.

Vel

℞. *Salis ammoniaci volat.* gr. viij.
camphoræ gr. ij.
diaſcord. fracaſt. q. ſ.
formentur pilulæ iij.
& deaurentur.

Maximæ efficaciæ noſtrum *Antidotum Bezoarticum* in noſtrâ *Mantiſsâ* deſcriptum ad ʒj. experti ſumus: deindè æger ſtragulis tectus inſenſilem tranſpirationem expectet. Hinc medicos hortatos volumus, ut in omnibus morbis, & præſertim in febribus paſſim diaphoreticis exhibitis cutis pori ſerventur aperti, ne ijs occluſis, aut augeatur præſens morbus, aut novus ipſi ſuperinducatur.

Antiqui medici, & præſertim Galenus balnei tepidi uſu has febres feliciſſimo ſucceſſu curabant, & nos, qui id multoties experti ſumus, uno, vel altero balneo febres ex prohibitâ tranſpiratione curavimus; quippè integram indicationem curativam balnei uſus complet, poros enim aperit, & retentas fuligines reſolvit, & educit, caloremque corporis ad naturalem temperiem reducit: uſus iſte balneorum in his febribus nunc receſſit ab aulâ medicorum, ſicut antiquorum medicamenta quàm plurima nobiliſſima, nàm medici venerari cupiunt ut veterum medicorum ſectatores, præcepta autem illorum in medendo veluti rancida, & exoleta repudiant.

Si his non ceſſerit febris ad diaphoretica ſuprà deſcripta veluti ad ſacram anchoram recurrendum eſt; illa enim ex integro indicationi curativæ faciunt ſatis.

CAPUT XXVIII.

De Febrium curatione; quæ ex Humido Radicali fibrarum partium ſolidarum degenerato originem ducunt.

NUtrimentum à cibis ſeparatum per interſtitia fibrarum in ſpinalem medullam, & cerebrum fertur, in illis medullis indole animali acquiſitâ, fit materia apta, ut ſubſtituatur in humidum radicacale partium ſolidarum; deſcendit enim per ſolidum fibrarum partes ſolidas conſtituentium, recreatque

illas

llas ſuâ glutinoſâ, puriſſimâque humiditate, qua omnes albæ corporis partes aſſiduo perfunduntur, & in vitâ ſanguinis auxilio conſervantur.

Duplici modo depravari poteſt humidum hoc radicale partium ſolidarum, uno cùm tranſit in cauſam febris acutæ; altero cùm tranſit in febris hecticæ, vel tabidæ cauſam, quam vocant. Hinc primò de hoc acutæ febris genere, deindè de hecticâ febre agimus.

CAPUT XXIX.

De Febrium acutarum ex humido radicali depravato curatione.

UNo modo depravatùr humidum radicale fibrarum partium ſolidarum cùm ex vehementi causâ temperies ſubſtantiæ medullaris tùm cerebri, tùm ſpinalis medullæ diſſolvitur, quod faciliter evenit hominibus vehementiſſimis animi paſſionibus afflictis; Imaginativa enim hominis cùm in medullari ſubſtantiâ ſubjectetur, ſi vehementiſſimis Idęis melancholicis imbuatur, medullaris ſubſtantiæ temperiem corrumpit, ſimulque corrumpitur humidi radicalis temperies, eò magis ſi malæ diſpoſitiones in corpore præceſſerint; humido radicali ità depravato, ruit illicò homo, vires extemplò amittit, delirio corripitur, vel ſaltem mente non conſtat, vel non advertit; pulſus vix percipitur, friget potiùs, quàm calet, faciem efficit Hippocraticam, non ſitit, non appetit, per intervalla furit, per alia quieſcit, reſpiratio rara, & ſuſpirioſa, tandèm mors in quarto, vel ſeptimo evenit. Aſſignatis cauſis his ſupervenientibus ſymptomatibus, infirmo ſpes vitæ nulla ſupereſt, & medico nihil agendum, præter mortis præſagium.

Depravari, corrumpique poteſt humidum radicale ſenſibiliori nobis modo, eandemque mortis ſpeciem producere, cùm ſcilicèt pars aliqua corporis externa, vel interna gangrænâ, vel ſphacelo corrumpitur; corrupto enim humido radicali fibrarum ſpermaticarum in parte gangrænatâ, communicatur ejus fermentum, in humido radicali adjacentium fibrarum ſucceſſivè, continuóque ſerpens, efficit, ut totius corporis humidum cadavericum fiat, corrumpaturque homo, priuſquàm integrè moriatur. Cœterùm cùm ſphacelus nullum penitùs aliud admittat remedium præter abſciſſionem jàm ſphacelati à vivo, & integro, neque febres, quæ ex depravato nutrimento ob diſſolutam temperiem ſubſtantiæ medullaris producuntur, remedium nullum admittere poſſunt, cùm nequeat in illis abſciſſio corrupti à ſano reparari, quæ aliquandò in partium externarum gangrænis mortem impedire ſolet.

CAPUT XXX.

De Febre Hecticâ.

MIſerabile febris genus eſt Hectica, quæ cunctis terrorem incutit; non eſt de aliarum febrium indole, quæ vel febrientem paucis diebus exſtingunt, vel per criſim ad

priſtinam reducunt incolumitatem. Eſt ipſiſſimâ peſte horribilior; nàm graſſante peſte, plurimi infecti ſervantur. Eſt Venereâ ſævior lue, quæ ubi primùm innotuit, adeò ſæva, & formidabilis fuit, ut ferè ſemper perniciosa, & lethalis extiterit, & licèt hanc luem natura non curet, quia nunquàm in hac criſim molitur, attamen nunc temporis mitiùs, & amicabiliter nobiſcum ſe gerit, nàm exquiſita adinvenimus medicamina, quibus infallibiliter, & radicitùs illam exſtirpamus. Sola hectica febris nec arte, nec criſi reparabilis eſt, ſed vanâ medicaminum ope neceſſariò longo poſt tempore necat, & tamdiù perſiſtit, quouſque facies appareat Hippocratica, & oſſa, aſſumptâ carne, tantùm tegantur. Eſt adeò contagioſa, ut non tantùm viventes, verùm etiam ædes inficiat, ac proindè ab amicis, & ſanguine junctis vitatur. Hecticus perpetuò mortem ante oculos habet, & omni futuræ ſalutis ſpe caſſus à febris initio ad finem uſque vivendo moritur, & moriendo vivit.

Eſt febris hectica, ſive habitualis diſpoſitio ſingularum univerſum corpus componentium particularum à naturali ſtatu recedens ob læſionem ſubſtantiæ alicujus membri principalis, quod ratione ſui muneris aliquid cunctis ipſis totius corporis particulis diſtribuit.

Non obliti ſumus caloris in hecticæ febris definitione, cùm in communi medicorum vulgarium ſententiâ ad conſtituendam febris eſſentiam calor neceſſariò requiratur; cœterùm nos ſuprà docuimus affectionem illam viventium corporum, quam febrem medici appellitant, in calori exceſſu non conſiſtere, ſed in depravato cordis motu, quem multoties exorbitans naturalis calor comitatur, multoties verò non. Hanc ſanè doctrinam in hecticâ nunc ulteriùs confirmamus, cùm ſæpiſſimè experti ſimus contabeſcentia corpora nullo prorsùs exorbitanti calore exuri, vel ſiccari, imò tactu frigido, potiùs, vel teporis ſenſu illorum marcidum habitum repleri. Præthereà concipere non poſſumus, quomodò in hecticâ febre apud vulgares, velut nuda qualitas, abſque causâ fovente in ſolidis corporis partibus ſit radicatus?

Dividunt febrem hecticam in *primariam*, quæ à principio invadit, & in *ſecundariam*, quæ alijs ſuccedit febribus. Dividunt deindè in *ſimplicem*, quæ ſola, & ab alijs ſeparata affligit, & in *compoſitam*, quæ ſimul cum alijs, ut cum febre putridâ, ut dicunt, complicatur.

Partem affectam, ſeu hujus febris ſubjectum eſſe ſolidas corporis partes putavit antiquitas. Alij pro adequato ſubjecto cor, vel potiùs ſolidas cordis partes credunt, quia plus æquo ejus partibus irritatis primò, & deindè exſiccatis, cor non benè ſanguificat, & per conſequens corpus non benè nutritur; putant enim cor ſanguificare, & partes ſolidas, ſcilicèt ſpermaticas ſanguine nutriri, eâ decepti larvâ, quia conſumptio, & emaciatio in partibus ſolidis, & præcipuè carnoſis apparet: ſed enim ſanguis non per ſe, quia malè generatus fuit, at per accidens unà cum latice à ſubſtantię membri principalis læſione inficitur, ut infrà docebimus.

Tres

Tres hujus febris gradus vulgò aſſignantur. In primo alteratio, & extenuatio adeò exigua eſt, ut vix ab ægro percipiatur, & vix à medico cognoſcatur, & intereà hanc curandi febrem occaſio præceps labitur. Secundo in gradu evidentior eſt corporis conſumptio, & calor intenſiuſculus, præſertim unâ, vel alterâ horâ poſt cibũ elapſa, quo calor tunc quoque in malis, & manuum volis ſe manifeſtat. In tertio gradu abſumitur humidum radicale unà cum partium nutrimento, pinguedine, & etiam ipsâ oſſium medullâ, ac ipſa partium ſtamina, ſeu ipſæ fibræ areſcunt, & tandèm exſiccantur: tunc apparet facies Hippocratica, & æger vix habet tenuem, quæ tegat oſſa cutem, cum urinâ oleaginosâ, & ſudoribus colliquativis, qui gradus appellatur Hectica Maraſmodes, ſeu tabes.

Maraſmum in tres ſpecies ſecundum veteres Gręcos dividimus; enimverò cùm ab eo, quod ad corporis particulas advenit, jàm contaminatum eſt; vel ab eo, quod ab ipſis particulis malè affectis contaminatur; vel tandẽ ab eo, quod contaminatum advenit, & in ipſis ultrò corrumpitur, affectionem habitualem produci neceſſe ſit. Primo modo atrophiam dici debere, ſecundo cachexiam, & tertio phthiſim congruenter exiſtimatum fuit.

Producitur atrophia vel cùm nullus aſſumitur cibus, vel cùm licèt aſſumatur, nullam penitùs patitur alterationem. Utroq; modo ſingulæ corporis particulæ alimento prorsùs deſtitutæ in atrophiam, & tandèm mortem properant. Secundo modo producitur atrophia, cùm læſa ventriculi, vel cordis ſubſtantia, adjacentiumq; his viſceribus principalium membrorum liquores qui ab ipſis generantur, & ad cunctas corporis particulas fluunt, ab ijs non admittuntur, neq; aſſimilantur ob pravam illam impreſſionem, quam à læsâ viſcerum ſubſtantiâ receperunt; tunc non ſolùm inducitur habitualis affectio, ex eo quòd particulæ nutrimento privantur, ſed univerſum corpus celerrimè contabeſcit ob recurſum repudiatorum liquorum verſus naturales, ſpiritaleſque partes.

Secunda maraſmi ſpecies dicitur cachexia, produciturq; cum conſervantibus adhùc ventriculo, corde, adjacẽtibuſq; membris eorum temperiem, atq; producentibus adhuc toti corpori liquores non pravos; quia tamen natura inſita ſingularum particularum à ſanâ diſpoſitione receſſit, advenientes illos liquores non ſolùm in earum habitu non apponit, ſed eos corrumpit univerſumq; corporis habitum mucidum reddit ex languore, qui cachexia dicitur.

Phthiſis verò ferè ſempèr cachexiæ ſuccedit; fit enim cùm contaminati, vitioſiq; liquores à particulis ſolidis nõ admiſſi, in meſenterium, vel thoracem recurrunt, produciturq; in viſceribus naturalibus, vel ſpiritualibus apoſtemata, abſceſſus, inflammationes, eryſipelata, ſimileſq; affectus, quos neceſſariò exulceratio conſequitur, eoſq; ſecuta cachexia jàm in phthiſim degeneravit, quæ incurabilis ab omnibus exiſtimatur, cùm in ipsâ non ſolùm requiratur medicamentum, quod à principali aliquo membro vitium contractum abſtergat, ſed ei naturalem temperiem reſtituat, quod munus vix naturæ permittitur, & arti omninò negatur.

Signa.

Febris hectica admodùm lento graditur inceſſu, & ægro vix eſt ſenſibilis, & creſcit eundo, & æger cum tanto pernicioſo intra lares hoſte verſatur, quem non advertit, & ſic de eo eliminando non cogitat, imò cum tàm inſidioſo hoſte placidè dormit, & de tanto hoſte admonitus admonentem obtrectat, rixatur, & inimicitias contrahit. Eſt velut inſenſilis favilla, quæ tecta ſerpit, & dùm clara dat incendia, inexſtinguibiliter cuncta ſuccendit. Hecticæ calor nimis lenis, & occultus eſt, & vix primo attactu perceptibilis, at ſi diutiùs ægri manus attractetur, aliquantulùm ſe prodit. Febris non recurrit per acceſſiones, attamen poſt cibum duabus, vel tribus horis ſe manifeſtat calor nonnihil, & exacerbatur cum genarum rubedine: deindè corpus ſenſim, & inſenſibiliter emaciatua, in primis autem caro muſculoſa inter pollicem, & indicem evaneſcit, paulatimque omnis carnoſa pars, ut ſuræ, & ubicumque ea ſit, perit, ut ſaltem oſſa cute obtecta remaneant, & tunc dicitur hectica maraſmodes; nàm hectica incipiens conjunctam non habet emaciationem, ubi verò contumacior eſt, ut corpus emacietur, vocatur hectica maraſmodes.

Pulſus eſt frequentior ſolito, parvus tamen, debilis, & in dies minor cum ſucceſſivâ, & clandeſtinâ virium proſtratione, caput, & univerſum corpus dolet, ægri ſunt ſegnes, ſitiunt aliquandò cum tuſſiculâ ſiccâ, temporis curſu humidâ cum multo excreatu, quandóque copioſo ſputo carent. Sunt triſtes, ſæpiùs moroſi, urina ferè naturalis, & ſanis ſimilis, ſed poſtmodùm in progreſſu in illâ oleum ſupernatare videtur, quod non eſt ipſa ſolidarum partium pinguedo, ut plurimi bardè judicant; ſed ſunt particulæ pingues oleoſæ in ſanguinis maſsâ exiſtentes, quæ unà cum ſero mediante fermentatione, & circulationis lege ad urinæ vaſa tranſeunt. Circa appetitum, & ſomnum mediocriter ſe gerunt, nihilominùs indies emarceſcunt. Hecticâ laborantes ſudore præſertim nocturno infeſtantur moleſtiſſimo, qui vires inſigniter proſternit, quia colliquativus eſt, undè totius corporis conſumptio; & facies Hippocratica ſequitur.

Tribus aſſignatis maraſmi ſpeciebus ſua correſpondent ſigna, undè

Atrophiæ ſigna ſunt pallor, macies, labiorum retractio, narium acuminatio, unguium exceſſus ſupra carnem, rugæ cutis, ipſius exſiccatio, ſitis ſine linguæ ſiccitate, alvi excretio, vigilia, pulſus frequens, & exilis, extremorum refrigeratio, reſpiratio anxia, & rara ſine tuſſi; his apparentibus atrophiâ infirmum laborare judicabis à totali ciborum defectu, vel à prorsùs deſtitutâ ventriculi facultate dependente.

Cachexiâ infirmum laborare conjicies, ſi cutis univerſæ colorem non ſimpliciter pallidum, ſed fœdum animadvertes, ſi in eâ non ſimplicem ſiccitatem, ſed ſqualorem obſervabis, furfuribus, alijſque ſpurcitijs horridum, pediculorumque multitudinem, hujus ungues ſunt aduncæ, ut

etiam

etiam nares, os lividum oſtendet, & limoſum, non multùm ſitit, cibum ſtomachatur, ſæpè diarrhœâ laborat, pulſus habet frequentes, inæquales, exiles cum acuto quodam, ſed pauco calore, quovis corporis motu, licèt leni, ſpiritûs anxietatem patitur, tuſſiculâ cruciatur ſiccâ. His apparentibus ſignis cachexiâ laborare infirmum tibi ſuaſeris à vitioſis humoribus enaſcente, ſive à principalis alicujus membri læſione, ſive à causâ externâ vitium contraxerit.

Notare hîc convenit, quòd cachexia, quæ neque ab externâ causâ, neque à læſione alicujus viſceris, vel regionis naturalis, vel ſpiritalis originem ducit, neceſſariò à ſubſtantiâ medullari cerebri vitiatâ movetur, cujus ſigna ſunt: Aridus totius corporis habitus, præceps, & inexpectata macies, pulſus parùm à naturali ſtatu recedens, artuum contractio, & abbreviatio, aſpectûs mutatio, acutus calor, falſa fames, excrementorum copia, & hujuſmodi cachexia facillimè in phthiſim degenerat.

Phthiſis ſigna ſunt extrema macies, cutis ſqualor, calor acutus, & exurens infirmo non ſenſibilis, pulſus frequens, & durus, ſpirandi difficultas, tuſſis profunda, purulentæ materiæ excreatio cruori commiſta, vigilia, anxietas, ciborum deſiderium, frequens diarrhœa, cui mors imminet.

Hoc eſt ſignum omnibus dictis tribus maraſmi ſpeciebus, malus habitus, qui in deteriorem ſemper abit, depravatio motuum pulsûs abſque ſenſibili acceſſione, vel declinatione, ſymptomatum exacerbatio poſt prandium, & cœnam.

Prætereà cùm dictæ maraſmi ſpecies à læſione ſubſtantiæ cujuſcumque principalis membri originem ducere poſſint, unumquodque ipſorum membrorum læſum propria, & patognomonica ſigna in ſuo maraſmo patefacit.

Undè primò à ventriculo producti maraſmi ſigna ſunt: durities, & tenſio in ſitu orificij ſuperioris ipſius ventriculi, tuſſis tenax cum excreatione tenacis pituitæ, per intervalla ſpirandi difficultas, pulſus frequens, & inæqualis, extremorum tactus tepidus, & ad frigiditatem potiùs vergens.

Inteſtinorum maraſmi ſigna ſunt durities circa meſenterium, aſſidua diarrhœa cum cruentâ, & mucoſâ excretione.

Lienis maraſmi ſigna ſunt ſcorbuticæ affectiones, ſcilicèt anhelitûs fætor, marcidus cruor è gingivis effluens, excretio cruentæ materiæ, ipſius lienis durities, ulcera fœtida in curibus, urina pauca, rubra, & quæ ſtatim corrumpitur,

Maraſmi hepatici ſigna erunt: fœdus color totius cutis, ejuſdem hepatis tumor, & durities, meſenterij omnimoda exſiccatio, diarrhœa cruenta, continua ſitis, & calor acutus.

Renum maraſmi ſigna ſunt: anhelitus nidoroſus, corporis macies urina purulenta, putrida, & peſſimè olens, calor acutus, ſitis, & à cibo febris incrementum.

Pulmonis maraſmi ſigna ſunt: tuſſis perennis, purulenta excreatio, ſpirandi difficultas, vocis raucedo, ſanguinis arterialis excretio, genarum rubor, calor acutus, plu-

pulſus frequens, tenuis, & durus.

Cordis maraſmi ſigna ſunt: calor exurens, pulſus frequentiſſimus, & parvus, labiorum rubor, anxietas, & circa coſtas ejuſdem cordis inæqualis pulſatio, quibus reliqua, quæ de pulmone diximus, ſuccedunt, ac tandèm mors.

Cerebri maraſmi ſigna ſunt: repentina totius corporis macies, cui nulla præceſſerit tuſſis, nulla ſpirandi difficultas, nullus vehemens calor, & nulla pulsûs depravatio: ſed hæc omnia illam ſequuntur uſque in phthiſis productionem. Hæc ſunt ſigna maraſmum comitantia, quæ certum præſtant argumentum membri principialis læſi maraſmum producentis primò, & per ſe; nàm reliqua membra deindè per accidens concurrunt, unumquodque pro ſui muneris functione per accidens læsâ.

Cauſæ occaſionalet.

Febrem habitualem in corporis habitu conſiſtere vulgares Galenici credunt, ità ut ſit quidam calor, uti vocant, in partibus ſolidis, & continentibus reſidens, ac proindè nudum calorem ſolidis corporis partibus inhærentem abſque foco, & fomite conſervari ſupponunt, & hac de causâ in curatione intemperiem calidam, & ſiccam refrigerantibus, & humectantibus corrigere conantur, quam ſentẽtiam prorsùs ineptam exiſtimamus.

Ad percipiendam habitualem corporis diſpoſitionem, omnes nervos intendere debemus, ut clarè, diſtinctéque cognoſcamus primum illud, quo hæc affectio ſuum nacta fuerit principium; non enim habitualis affectio produci poteſt, niſi principale aliquod membrum non per accidens, ſed eſſentialiter in propriâ ſubſtantiâ læſionem contraxerit: ſupponit itáque principalium membrorum læſionem vel omnium, vel quamplurium, vel ſaltem eorum unius, ſufficit enim unius principalis membri læſio, ut reliqua deindè lædantur, quippè principalia membra mutuo gaudent influxu, nec poteſt eorum unum malè ſe habere, quin reliqua, & ipſum univerſum corpus malè ſe non habeat.

Principalia membra ſunt ventriculus, cor, & cerebrum, quæ principaliores habent influxus. Primus eſt nutrimenti, quod à ventriculo, & inteſtinis toti corpori ſuppeditatur. Secundus eſt ſanguinis, & caloris, qui in corde perficitur, & per univerſum corpus diſtribuitur. Tertius tandèm eſt roris, & cambij, quod in ſolidas totius corporis partes diſpergitur, & à ſubſtantiâ medullari cerebri, & ſpinali medullâ elaboratur.

Pręter principalia membra, quæ mutuo gaudent influxu, dantur alia membra minus principalia dicta, & miniſtrantia vocamus, ità ſunt inteſtina tùm pro munere, quod commune cum ventriculo habent, tùm pro excrementorum tranſmutatione, & expulſione ex ſuperioribus inteſtinis ad inferiora. Lien ob ſeroſitates, quas à ventriculo ſugit, & in venas tranſmittit. Renes, qui ſerum ab humano corpore ſugunt, & in veſicam deponunt. Hepar, quod ſamguinem colat, & volatilem facit ad vivificandum corpus. Pulmones, quorum ope aër intra corpus recipitur

ad

ad diverſos fines neceſſarius.

Membrum principale ratione ſui muneris aliquid cunctis ipſis totius corporis particulis diſtribuit, undè ſubſtantiæ illius principalis membri læſio habitualem inducit affectum; cùm verò animal ſuas exercet functiones, ob quas cunctis corporis particulis præparatur, in bono habitu conſervatur: etenim licèt oculi ſint viventis animalis principaliſſimæ partes, ut etiam ſunt teſtes, quia tamen iſtæ partes functiones non exercent, quarum ope aliquod cunctis corporis particulis præparatur, ſi oculi extrahantur, ſi teſtes abſcindantur, vel quomodolibet iſtæ partes corrumpantur, non proindè habitualis affectio inducetur, quòd non ſic evenit, ſi hepar, lien, inteſtina, ventriculus, cor, pulmo, & cerebrum in earum lædantur ſubſtantijs, vel à corporibus extrahantur: nàm omnes corporis particulæ, quæ ab his aliquid recipiunt, vel depravatè recipiunt, à naturali habitu recedere coguntur.

Fit febris hectica, ſi inter membri principalis partes ſpermaticas liquor nutrimentitius à cerebro, & ſpinali medullâ elaboratus in propria indole depravetur propter cauſas procatharticas, ſcilicèt ſex res nonnaturales ex partium diſcraſiâ, illarum fibræ naturalem amittant ordinem, poſitum, & figuram. Hæ partes ob læſionem, & compreſſum vitium liquorem alimentitium regere non poſſunt, & diſpoſitiones præter naturam adipiſcitur, qua de re ad ſpermaticarum partium ſuſtentationem redditur ineptus, & principium motûs depravatè in fibris movetur à cauſâ occaſionali ipſis inexiſtente, ac proindè lenta accenditur febris, nec ſanguis in venis, & arterijs laudabilis generatur, cùm hujus liquor iſte ſit cauſa proxima, & immediata, qua de re corpus emaciari oportet.

Si humidum iſtud partium radicale ità diſponatur à ſubſtantijs medullaribus, ut in partibus ſolidis ſuum eſſe glutinoſum amittat, ſed celeri motu in effluvia à corpore evolet calore exurente, & ſemper æquali infirmo inſenſili producto, efficit, ut corpus paulatim areſcat, & tandèm in totalem conſumptionem, ideſt maraſmum properet hac itàque ratione evenit hectica febris à nimio corporis motu, & defatigatione, à vigilis, & curis productis, irâ, invidâ, nàm

Invidus alterius rebus macreſcit opimis.

à febribus continuis cum copioſo ſudore, diariâ, ſynochâ, acutâ, vel chronica, Zelotypiâ, nimiâ Veneris palæſtrâ, aliiſque animi paſſionibus. Præterea quandóque humidum iſtud radicale ſuum eſſe glutinoſum amittit, & celeri motu ſenſibiliter è corpore effluit, undè corpus ſenſim contabeſcit, ut ex vulnere aliquo cum ſynoviæ fluxu, de quo egimus, abſceſſu cum humorum affluxu, vel ex ulcere aliquo maligno in aliquâ corporis parte exiſtente, vitium fermentale huic humido radicale communicatur, ob contractum illud vitium fit fibris ſolidis ſuſtentandis ineptum, efficit, ut corpus paulatim tabeſcens temporis curſu totum marcidum fiat. Obſervavimus nos mulierem hecticâ

febre laborantem ex fonticulorum multitudine, qui omnem rorem nutrimentitium abſumpſerant, quam, clauſis, & curatis iſtis fonticulis, curavimus. Hæc hectica febris, quæ à cauſâ externâ, ut ab ulcere, vel à lue Venereâ originem ducit, curationem admittit, quia tàm ex ulcere, quàm ex lue Venereâ proveniente membra principalia non per ſe, ſed per accidens ſunt læſa; nam coporis liquores à dictis cauſis externis contaminati, dùm ad principalia membra accedunt, neceſſariò illa inficiunt, ac illorum unumquodque in ſui muneris functione depravatur: hinc confuſa oriuntur ſigna, & non minùs unius membri læſi, quàm aliorum præſtant argumenta, fieri tamen poteſt, ut cùm principalia membra roboris æqualitate non gaudeant, eorum imbecillimum faciliùs vitiatorum liquorum recipit influxum, & reliqua in illud jàm debile factum ſe exonerant, quod cùm illi tolerabilis non ſit, ejus ſubſtantiæ læſionem faciliter contrahere poteſt, atque tunc licèt vitium ab externâ causâ produmum efficacibus remedijs curetur, maraſmus tamen non ceſſat, nàm à læſione ſubſtantiæ membra poſteà ab externâ causâ contaminata foventur.

Excitatur frequenter febris hectica non tantùm alicujus viſceris principalis læſione; læſo enim hoc vel illo ob mutuum influxum, conſenſum, conſpirationem, & circulationis legem omnes partes lædantur, oportet; eapropter in viſceribus animalibus, vitalibùs, vel naturalibus inflammationes, abſceſſus, tumores eryſipelata ſimileſque affectus, quos exulceratio, & pus ſequitur, oboriantur, febrem habitualem copulari neceſſe eſt, ut ex ſanguinis ſputo ex pulmonibus, pulmonis inflammatione, pleuritide non repurgatâ, ſepti tranſverſi, hepatis, lienis, meſenterij, renum &c. Inflammatione ſuppuratâ talium viſcerum ſubſtantia læditur, humidum radicale degener fit, & ineptum ad ſolidas corporis partes ſuſtentandum redditur, ſanguis, & ſuccus alibilis ad carnoſarum corporis partium nutritionem deſtinatus à pure conſpurcatus, & depravatus renuitur, & indè neceſſariò contabeſcunt.

Oritur utplurimùm habitualis febris ex viſcerum minùs principalium obſtructionibus, ut ventriculi, inteſtinorum, meſenterij, hepatis lienis, uteri &c. Si enim ventriculus depravatè, vel diminutè aſſumpta alimenta concoquat, & in reliquum corporis non diffundantur; Inteſtiua ſuo non fungantur munere; Menſenterium in glandulis viſciditate, vel materiâ argillaceâ obſideatur, & quandòque pulmones etiam ſabuloſâ cretæ inſtar per totum obſitos obſervavimus, & quandòque exſuccos, & aridos; Hepar ſanguinem venoſum rectè non colet, & volatiliorem non reddat; lien ſanguinem arterioſum jàm effœtum non ſpiritualizet, & fiunt in his partibus obſtructiones rebelles, & chronicæ, & ſuo munere orbatæ, nutrimenti ſuccus, & ſanguinis maſſa tùm in proprio foco, & ſede depravatur, inquinatur, & particulis nimis ſalinis, & acribus remorâ ſaturatur, & æquali circulo ineptus non ſolùm non redditur, ſed non aſſimilatur, & à propriâ indole degener fit. Undè alicujus membri tàm principalis, quàm inſervientis propter

in be-

imbecillitatem functio primò, deindè ſubſtantia vitiatur, depravatur, læditur, & nutrimentum partibus ſpermaticis talis membri non ſolùm non apponitur, ſed degenerat, & à cæteris partibus renuitur tanquàm ineptum, & habitualis exoritur affectio.

Huic affectioni magnam anſam præbet ventriculus, ſi diminutè, vel depravatè concoquat, ac propterea ex depravato ſucco alibili depravatum ſanguinem fieri neceſſe eſt, ut ex depravato ſanguine partes opipare nutriri non poſſunt, imò humidum radicale in ſolidis corporis partibus cum principalis membri ſubſtantiâ quandóque depravatur, corrumpitur, nec eas ſuſtentat, & unà omnes partes contabeſcere oportet. Undè febrem hecticam ſua primordia in ventriculo ex vitioſâ digeſtione habere clarè patet; exacerbatur enim, & exaſperatur ſingulis ventriculi digeſtionibus, & à paſtu excreſcit, quod cauſa materialis ex digeſtione depravatâ augetur; febris proindè hectica, quæ aliis non ſupervenerit morbis, utplurimùm alimentorum vitio in ſtomacho inducitur, ac proſternitur appetitus, ſuperveniente nonnunquàm ipſorum alimentorum faſtidio: Non negamus tamen in hujus febris initio inculpatam coctionem in ventriculo aliquando celebrari, adveniente tamen tempore compatitur ventriculus, & depravatè concoquit.

Proprium, & inſeparabile hecticæ febris indicium, imò ſignum pathognomonicum eſt, allato cibo, poſt aliquot horas febrem accendi, ac pulſum ſolito majorem, celeriorem, & frequentiorem percipi, in facie ruborem levem, & in cute calorem blandum ità excitari, ut nova invaſio videatur, quam neque horror, neque extremarum partium refrigeratio, neque quædam veluti dormitatio, neque alia inſignis ſegnities, aut omninò inæqualitas aliqua, vel in caliditate, vel pulſu comitatur: & tamdiù hoc caloris augmentum durat, donec cibus fuerit digeſtus, & diſtributus, quo peracto ad priſtinum habitum redit, in quo antequàm cibus aſſumeretur, conſpiciebatur.

Qui hoc eveniat, facilè deducitur ab his, qui hecticæ cauſam in depravatâ, & læsâ ventriculi coctione ſtabiliunt; inquiunt enim ex depravatâ coctione depravatum generari chylum, qui deſcendens ad inteſtina, ad venas lacteas, deindè in Pecqueti ſacculum, poſtmodùm per thoracicas ad cor aſcendens, ſanguini commiſtus ipſum perturbat, & febrem ſolito majorem accendit: ſed has chyli nænias fuſiſſimè in noſtrâ *Trutinâ Medicâ c. De Ventriculi actione* refutavimus. Non negamus tamen calorem ſolito majorem in obſtructis à digeſtione ob ſubſtantiæ nutritiæ remoram in obſtructis ventriculi canaliculis augeri.

Ineptus *Galenus* hujus rei cauſam tradens, ineptum affert exemplum, & docet eâ ratione accidere, qua calci ſuperpoſita aqua fervorem, & ebullitionem excitat; ſi enim intra manus quis calcis glebam recipiat, ejuſdem parvifaciat caliditatem, quam neque ſentiet; quòd ſi ad terram deponat, atque aquâ perfundat, videbit quamprimùm vehementer calefactam, atque ità ferventem, ſicut lebes, quandò ingenti adhæſerit flammæ, vapores

etiam non paucos ab eâ efferri conſpiciet, quòd ſi etiam tangere auſus fuerit, facilè ex hoc deuri continget. Optimum quidèm exemplum ſed idiotiſmum ſapit. Verùm *Galenus* bardo calcis exemplo utitur ad faciliorem hujus rei intelligentiam, quia aliam rationem adinvenire non potuit; & quia ipſe rudis rudibus ſuis loquitur alumnis: nàm quemadmodùm ab aquâ calci ſuperimpoſitâ fervor excitatur, eo quòd genitis ex calce vaporibus à ſuperpoſitâ aquâ cavitates obſtruente denegatur, & prohibetur tranſitus, undè recenti in calce fervorem excitant. Et hinc notat *Mercurialis*, quòd ſi acetum, vel vinum calci ſuperfundatur, fervor qualis ab effuſâ aquâ non excitatur. Idem contingit hecticis ab aſſumpto cibo; nàm tunc ab hectico calore cibum pariter calfieri neceſſe eſt, & ſic in vapores, & halitus plurimos diſſolutus augmentum illud caloris efficiat extensivè ſaltem calore adaucto, quemadmodùm augetur ignis combuſtibili adauctâ materiâ.

Porrò ut noſtram adducamus ſententiam, ea notemus oportet, qu in noſtrâ *Trutina li.3.cap.1. De Ventriculi actione* fuſiùs tractavimus: Quæque ciborum genera ventriculum attingentia actutùm digeri, nutritionem incipere, & languentes reficere artus in ſano ventriculo, in imbecilli autem nequaquàm contingere patefecimus, quia. *Siquis febricitanti cibum præbeat, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit, aph.55. ſect.7.* Eapropter cùm hecticorum ventriculus vel hecticæ febri anſam det, vel unà patiatur propter membri principalis conſenſum, & conſpirationem, non poteſt in hectico ventriculus ſanas peragere functiones, ac proindè nutritionem depravatam fieri, & depravatum motum à motûs principio oriri neceſſe eſt: eapropter eſſentialis ciborum ſubſtantia acido-ſalina, & acris evadit, ac ſe ſanguini, vel nutrimento ejuſdem farinæ commiſcens, vel alicujus principalis membri læſi ſubſtantiam attingens, aciditatem ſalinam, & acorem intendit, efficitque illud, quod materia combuſtibilis leni igni injecta facere apta eſt.

Fit in hac febre pulſus celer, & frequens non à ſanguinis viſciditate, ut plures perperàm autumant, ſed à fibris conſumptis, & reſolutis in ſanguine à particulis acido-ſalinis, & acribus; has enim fibras clarè conſpici datur in ſanguine è venâ pedis educto intra calentem aquam, quæ ad vaſis fundum delapſæ in mucoſam concreſcunt ſubſtantiam, & manu, vel aſſere agitatæ albam quaſi nebulam repræſentent, has pro animalis nutricatione inſervire credidit noſter *Thomas Cornelius in Progymnas.6.* ſed nos ſanguini pro fræno in *Trutinâ* diximus, ne his expers diſſolutus, & effrænatè in gyrum verteretur. Caret his fibris hecticorum ſanguis, ideò eorum pulſus celer, & frequens obſervatur, & ideò circa arteriarum loca calor lentus manifeſtior, & magis perceptibilis ſentitur, quàm in partibus venoſis & carnoſis.

Temporis curſu hæ particulæ acido-ſalinæ, & acres in ſanguine congeruntur, ac proindè intenduntur, exaltantur, & ſolventem nanciſcuntur indolem, undè non tantùm in ſanguine ſerum ſolvunt, verùm etiam rorem, nutrimentum, & carnes colliquant

liquant, relictis fibrarum texturis, in ſudorem, qui colliquativus appellatur, præſertim nocturno tempore infeſtans, & hinc conſumptio, & facies Hippocratica ſubſequitur.

Prognoſis.

Febris hectica dicitur habitualis, non quia ſit in habitu corporis, ſed quia difficilè à ſubjecto removetur, id eſt curatur; undè eventum valdè incertum habet, & ferè ſemper lethalis eſt. Tres habet gradus, ſeu tempora, principium, medium, & finem, in primo gradu, ſcilicèt in principio non admodùm difficilis eſt curationis, attamen eam cognoſcere difficile eſt; clàm enim ità ſerpit, & cuniculis agit, ut indies incurabilior reddatur: quæ verò magis chronica, eò difficiliùs curari poteſt, id eſt quò propinquior primo gradui eò faciliùs, quo propinquior tertio, ideſt tabi accedat, eò curatu magis impoſſibilis, ac proindè primus, & ſecundus gradus curatu facilior, quàm tertius, quæ enim cum tabe conjuncta eſt, & profundas egit radices, lethalis eſt; Cùm humidum illud radicale abſumptum, & exſiccatum ſit, parteſque ſimilares abſumptæ refici non poſſint. Si viſcus aliquod principale, aliudque minus principale eſſentialiter læſum ſit, ut vix, ac ne vix refici, vel reparari poſſit, lethaliſſima. Quæ putridæ, ut dicunt, febri, intermittenti, vel continuæ conjungitur hectica, curatu difficillima eſt, & plerúmque lethalis. Tabidis in aquam marinam expuentibus, ſi pus fundum petit, celerem perniciem denunciat, ſit autem marina aqua in vaſe æneo. Qui tabe vexantur, ſi ſputum, quod extuſſiunt, carbonibus injectum graviter olet, pernicioſum ſignum. Si lienteria, aut alvi fluxus, capillorum defluvium, tibiarum inflatio, ſudor colliquativus, aut facies Hippocratica accedat, mors præ foribus adeſt.

Nullus eorum, qui habitu corporis præditi ſunt humidiori, ſtatim ab initio hujusce modi febre correptus fuit, ſed quicumque ſunt naturâ ſicciores, ac præſertim ſi unà calidam habuerint corporis conſtitutionem, vitamque elegerint in laboribus, vigilijs, curis, victuque pauco, hos ſtatim ab initio hectica febris invadere ſolet, ex irâ, vel triſtitiâ, ac magis æſtate, ſtatuque temporis calido, & ſicco, ac loco prætereà conſimili.

Febres hecticæ utplurimùm ab anno decimo quarto ad trigeſimum quintum affligere ſolent, & ægri in hiſcè annis conſtituti difficillimè evadunt, qui autem ante hanc ætatem, vel paulo pòſt hecticâ corripiuntur, ſæpè curantur, vel ſaltem longo pòſt tempore palliativâ curâ vitam protrahere poſſunt, & præcipuè mulieres.

Curatio.

Habitualis febris curationem à diætetico fonte exordimur, qui in rectâ ſex rerum nonnaturalium administratione conſiſtit, ex qua remediorum materia deſumitur, & primò ſe nobis offert.

Aër, qui ſecundum vulgares ad frigidum, & humidum vergere debet, ſi vel admodùm calidus ſit, vel admodùm frigidus corrigatur. Pro calido inducendus eſt arte contrarius, ſubterraneis inventis domibus, quæ fri-

frigidiſſimæ ſint, & maximè ad Septentrionem veriæ; quapropter *Gal. 1. meth. cap.* 8 Æſtatis tempore aëre exiſtente calidiori, ægrum in loco ſubterraneo degere præcipit, qui frigidiſſimus ſit, & maximè perflatus, & hoc unico remedio *L. Riverius* hecticum extremâ confectum macie intra menſem reſtitutum vidit. Optimum quidèm remedium, quod hujus febris indicationi reſpondet; putavit enim caliditatem, & ſiccitatem in ſolidis partibus radicatam, & à nullâ cauſa fotam febrem hecticam conſiſtere ac proindè hujus medicamentum eſſe per contraria, ſcilicèt frigidum, & humidum. Vel aëris caliditatem in conclavi aſſiduè aquâ, quæ prorsùs frigidiſſima ſit, de vaſe in vas transfuſâ temperant, cujus ſtrepitu etiam ſomnus conciliatur; tùm etiam pavimentum frigida indè aſpergunt, & floribus ex herbis refrigerantibus, tùm ipſis herbis refrigerantibus plurimis frequenter illud diſſeminant, turbâ quoque hominum ingredi prohibitâ, hæc námque domum calfacere poteſt. Cæterùm de hoc minimè ambigendum eſt, nàm hujuſmodi morbus contagioſus eſt, ac propterеà à ſanguine junctis, & amicis etiam charis declinatur ægrotus. Frigidiſſimum aërem admittendum præcipit Galenus, quatenùs reſpirando attrahitur, ut qui calorem, qui eſt in corde admodùm refrigeret, quamvis minimè conferat, quatenùs extrinſecùs ægrum contingit, quippè id denſat, cogitque cutem, ac humorum, qui comburuntur, effluxum tranſpirare prohibeat. Attamen majus fore ex frigidâ inſpiratione commodum affirmat, quàm ex cute condenſatâ, præſertim illud vitari poſſit operimentis corpus probè muniendo; porrò utendum maximè ejuſmodi aëre in ijs hecticis, quibus primum, quod afficitur, ipſum eſt cor. Verùm ſi hectica febris ex pulmonis ulcere fuerit, aërem frigidum ulceris ratione non convenire, quia frigidum eſt ulceribus inimicum, putant, ſed temperatum in activis ad calidum vergentem, in paſſivis ſiccum. Qua ratione Galenus phthiſicos ad Stabias è Græciâ mittebat, ubi aër ſiccior erat, ſed illi in Græciam non revertebantur, ſed per proximum Veſevi orificium ad Averni fauces deſcendebant; non enim deperdita pulmonis pars ab aëre cujuſcumque optimæ notæ reparabilis erit.

Aër ſecundum noſtrám ſententiam debet eſſe temperatus, nullis inquinatus exſpirationibus, ac alkalicis refertus particulis, qui particulas acido-ſalinas, & acres inſpiratu caſtiget; quadere unius loci aër magis ſalutaris eſt, quàm alterius: contra verò particulis ſalinis, acidis, & acribus conſpurcatus ſanguinem inſpiratu acriorem reddit, qui pulmonum veſiculas erodit, ſcindit, ſecat, & ulcus in eorum ſubſtantiâ producit, ut in aliquibus obſervamus regionibus, in quibus vel phthiſis generatur, vel generata ad ultimam morbi periodum terminat. Multùm conferre aëris ſalubris mutationem in febre habituali experimur, attamen in primo, & ſecundo gradu, in tertio verò nulla ſalutis ſpes remanet, ut in quo gradu noſtrates medici cum magnâ æris, & totalis valetudinis jacturâ ſuis ægrotis tandèm aëris mutationem ſuadent. Hìc Neapoli Stabiarum aërem ſaluberri-

berrimum eſſe prædicant, quia alkalinis particulis è Veſevo monte eſt imbutus. At Stabiæ everſæ fuêre à L. Syllâ, extat nunc ex earum ruderibus, ut fertur, Civitas, quæ *Caſtrum ad mare* vocatur, vulgò *Caſtello à Mare di Stabia*, cujus aër ità nunc depravatus, & conſpurcatus eſt à magna ſtagnantium aquarum, & putridarum copiâ, ut quotannis adventante autumno epidemicæ graſſantur febres, imò inibi fluviolus eſt, quem ex fœtore *Aquam fœtidam* appellant, cujus energiam odoretenus in cephalalgiâ incolæ extollunt, mirum eſt ex viro alexipharmacum elicere cephalicum ineptè credere.

A Stabijs Neapolim verſus multi extabant pagi, ut *Pompejanum*, ex cujus ruderibus nunc viſitur *Turris Annunciata*, ſed hujus aër à Sarno flumine aliquibus in locis ſtagnante peſtifer redditur, & quotannis ejus putrida effluvia dant incolis pœnas.

Extabat olim *Herculanum*, cujus ruderibus novum ſuperinductum eſt oppidum, vulgò *la Torre del Greco*: Hîc extat celebre Noſocomium, ad quod Phthiſici pro incolumitate recuperandâ confugiunt ſed miſelli pro vitâ mortem ſubeunt. Multos nos phthiſicos hùc miſimus, ſed nullus regreſſus eſt, imò omnes perierunt, & nullus, quem hominum memoria ſcire poteſt, evaſit, & reverà eſt hujus languoris laniena, &

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Sunt hujus Noſocomij tecta, ut cætera taceamus, adeò effluvijs, & excrementis, quæ ab ægrotis excernuntur, conſpurcata, ut ſanos inficiant, & malè affectos interimant. Sunt in hoc tractu multi Pagi, ut *Reſina*, *Leucopetra*, *Portici*, *&c.* in quorum privatis domibus faciliùs redimitur ſalus, attamen adventante autumno, has ſedes tanquàm lethiferas fugiant oportet, tùm ob paludum vicinias, quum ob fermentantes immunditias, quibus Neapolitani ad olerum ubertatem hortos ſtercorant. Olim his in locis triumphali amictu natura ambulare, & ludere ſolebat, at nunc ſquallida, & diſcerpta veſtem aëris inſalubritatem deplorat.

Parem, imò nequiorem ſortitus eſt tractus *Puteolanus*, *Bajanus*, *&* *Cumanus* ſortem, erat olim adeò jucundiſſima plaga, & ſaluberrima, aëris temperis, maris tranquillitate, loci amœnitate, & ſoli fertilitate gaudebat, ut nec Cæſares, & Proceres Romani fuerint, nec ferè Romanus Civis, qui in hoc tractu ſuam non habuerint Villam, imò hortulum, villulam, ne dicamus tuguriolum, in quam à laboribus, forenſibus curis, & exactis prælijs non ſe conferrent ad ocia, voluptates, ſolatia, pompas, ludos, luxus, commeſſationes, Bacchi, & Veneris delicias, tandèm videbatur altera Roma. At nunc ſolitudine, loci ſqualore, aëris gravitate, & tetris Mephitibus totus inhabitabilis marceſcit, pauci viſuntur habitatores, & tuguriola potiùs, quàm domos illic aſpicies, ac littus à paucis, & pauperrimis piſcatoribus tenui cymbâ percurri. Cuncta temporis voracitas attrivit:

Quantùm potuit mutare vetuſtes,
Et nunc horridior nulliùs in orbe locus.

Sat aëris ratione digreſſi ſumus, regrediamur nunc ad fontem diæteticum.

Cibi laudantur à vulgaribus refrigerantes, & humectantes, quia hujus febris cauſam in calore, & ſiccitate conſiſtere fatentur, verùm non conveniunt, quatenùs refrigerant, & humectant; nos verò juxta noſtra principia eos convenire cibos dicimus, qui ſanguinem, cæteroſque ſuccos acidos, ſalſos, & acres temperant, & dulcificant, inſuper qui laudabilem producunt ſuccum, facilè concoquuntur, citò nutriunt, & quam minima generant excrementa, hujuſmodi ſunt juſcula pullorum, gallinarum, caponis, ovorum vitelli, &c. Proſunt carnes hædi, vituli, vervecis, porcelli, phaſiani, perdicis, lepuſculi, &c. ſed elixæ aſſis præferuntur. In juſculis incoquunt varias herbas hortenſes, ut portulacam, endiviam, lactucam, boraginem, cichoreum, acetoſam, &c. Verùm hæc olera parùm nutriunt, & in febre habituali laborantium ſtomachis facilè ob diminutam, vel depravatam digeſtionem corrumpuntur, & in acidum degenerant, illudque adaugent. Piſces concedi poſſunt, ſed ſaxatiles eligendi ſunt, in puris natantes aquis, qui tenerâ ſunt præditi carne. Inter fructus comedantur poma, pyra, pruna damaſcena, ceraſa, paſſulæ, & ficus; hæc enim ſuccum alimentitium dulcem producunt.

Putant vulgares hecticos infixum ſolidis partibus habere calorem, quo alimenta facilè, promptéque depopulantur, ac proindè illis alimenta ſolida, & viſcoſa præſcribere ſolent, ut animalium extremitates, carnes limacum, cancrorum, teſtudinum, ranarum illæ carnes viſcoſæ ſint, & humidæ, facilè partibus agglutinantur, nec facilè à calore febrili abſumuntur, & ſic partium ſolidarum ſiccitatem remorantur. Verùm animalium extremitates pauci nutrimenti, & difficilis ſunt coctionis, in ſtomacho immutantur, & mediante fermentatione ex ipſis pars ſubtilis, & ſpirituoſa elicitur, non viſcoſa, quæ ad partes ſolidas nec pervenire, nec apponi poteſt pro illarum nutritione. Concedimus nos in hoc affectu animalium extremitates quatenùs acidum abſorbent, quia alkali occulto conſtant.

Limaces montanas valdè pro hecticâ commendamus, non quia viſcoſæ, & humidæ ſunt, & facilè partibus adhærent ſolidis, ſed quatenùs in ſe ſal volatile admodum temperatum habent, ſicuti habetur in plantis, quas refrigerantes appellant vulgares. Undè vel præparatæ ad eſum, vel diſtillatæ imprimis ſi poſt plurium dierum diætam nutriantur ſaccharo, & farinâ; poſtmodûm aquâ, & pauco ſale coquantur, poſtremò abjecto cortice optimo pulli jure ad eſum præparentur, egregium dant remedium contra hecticam.

Cancri non marini, vel paluſtres, ſed fluviatiles eximium nutrimentum potiùs medicamentoſum, quàm ſimplex nutrimentum præbent, & optimè conducunt in febre hecticâ, vel pulmonum, vel renum exulceratione; totus námque cancer, quantus eſt, vulnerarius eſt, & occulto ſale volatili alkali vulnerario ſaturatus, ut *de vulneribus* diximus, & alibi; qua ratione conveniunt pro eliciendo acido excrementitio partium in hecticâ, ac etiam pro expurgandâ acrimoniâ, ſive fermento corruptivo acido ulcerum renum, & pulmonum in phthiſi, ac proindè in hecticâ, phthiſi, tabe, & atro-

atrophiâ ſunt magni usûs. *Butyrum cancrorum* in phthiſi ſingulare eſt remedium, quod paratur, miſcendo butyrum non ſalitum cum cancris fluviatilibus contuſis, & invicèm exprimendo, & ad humiditatis conſumptionē inſpiſſando, vocaturque butyrum anti-hecticum. *Lapilli cancrorum* in hecticâ magnum habent uſum. Item *pulvis cancrorum*, cujus præparationem in noſtrâ *Pyrotechciâ ſophicâ* docuimus, in ſupra dictis affectibus magni momenti eſt. Proſtat in officinis *Syrupus cancrorum fluviatilium* pro hecticâ, & phthiſi.

Teſtudo terreſtris magnæ efficaciæ eſt in hecticâ, & phthiſi, ex hac paratur à vulgaribus ſyrupus. Sunt, qui ex teſtudine ſingulari artificio *magiſterium ex teſtudinibus* pro tabidis parant. Medicorum vulgus his in affectibus jura conſumpta teſtudinis præſcribit. Pro eſu priùs nutriri debent ſaccharo, & farinâ, deindè coquantur, & abjecto cortice tandèm coquantur in gallinarum jure non admodùm ſalito.

Ptiſanam hordeaceam, & præſertim ipſius cremorem optimum pro his alimentum eſſe credunt vulgares, quia frigidum, & humidum cenſent, & non temperato ſale alkali ſaturatum: verùm eſt hordeum decorticatum, equorum potiùs quàm hominum alimentum. Frequentiùs farra præſcribunt, quæ æger ſtomachus non facilè concoquit, cùm vis digeſtiva laboret, & actualis ignis non niſi poſt octo, vel decem horarum ſpatium concoquit; hæc enim emaciata, & conſumpta corpora multùm nutrire, & incraſſare credunt. Qui infimum habent ventriculum, vel delicatiores ſunt, alimentis facilioris coctionis uti debent, ut ſunt variæ panatellæ, jura conſumpta, vel jura reſtaurantiâ, carnium deſtillationes per deſcenſum, quæ verò per aſcenſum fiunt, non niſi meras aquas inſipidas reddunt, & minimè nutriunt. Optimè nutrit, imò nutrimentum medicatum eſt *Paſta Regalis*, ad hujuſmodi ægrotos reſtaurandos idonea, cujus confectio talis eſt:

℞. *Pulpæ caponis,*
vel perdicis elixatæ ℥. iij.
amygd. d. in aq. ros. macerat. ℥. iv.
pinearum ℥j. ß.
ſem. papav. alb. ʒ. ij.
gummi Arabici,
tragacanth. ana ʒ. j. ß.
cum aq. ros. paucâ f. paſta regalis auro obducta.

Paſſulæ ſunt egregiæ in phthiſi, & *Riverius in Cent. 4. obſ. 43.* phthiſicam paſſulis curatam narrat: *Puella phthiſica, & ad extremam maciem perducta, & conſilio medici ſolis paſſulis victitavit cum pane comeſtis, & pro potu utebatur decocto hordei, & liquiritiæ, ſicque intra octo menſes reſtituta eſt, & optimè, ac probè impinguata. Joël* commendat paſſulas ad corpus pinguefaciendum, & incraſſandum: & aliàs in diſcraſiâ ſanguinis temperandâ, & corrigendâ paſſulæ blandæ, ac temperatæ inſigniter conveniunt. Reverà paſſulæ nil aliud ſunt, niſi muſtum coagulatum, in quo blandus vini ſpiritus aſſervatur.

Optimè conveniunt *nuclei pinearum, piſtachiorum, amygdalarum dulcium, quatuor ſemina majora* vulgò frigida dicta, *papaver album, & ſimilia*; hæc enim ſuo lentore mucilaginoſo humores acido-ſalinos, & acres

ob-

obtundunt, dulcificant, & per urinæ ductus educunt.

Sunt, qui commendant *oſtreas* in hecticâ, de quibus *Lindanus* habet exemplum de hecticâ oſtrearum uſu curatâ: Dicit námque *Fuit Amſtelodami virgo* xx. *annorum*, *quæ ex ulcere pulmonum in hecticam inciderat, & jàm deſperata per aliquot annos decubuerat: huic ægræ obveniebat voluptas comedendi oſtreas, undè cùm ipſi gratificaretur, vigintiquinque parata fuère oſtrea, quas avidiſſimè comedebat: poſtero die cùm ſentiret, quòd ſe haberet meliùs, plures fuère oblata, & ità in totum ab hectica liberata fuit.* Sed hoc credat Judæus Apella.

Dulcia, ut *mel*, *& ſaccharum* maximè vitanda ſunt, ex eo quod propter aciditatem latentem ſtomacho infenſiſſima ſunt, & hecticam deteriorem reddunt. Mel deſtillatum dat ſpiritum acidum volatilem corroſivum. Saccharum per ſe deſtillatum ſubminiſtrat ſpiritum acidum, & corroſivum, qui corallia, perlas, & ſimilia ſubjecta, ut ſpiritus aceti, corrodit. Imò ſi ſaccharum cum antimonio optimè permiſceatur, & per retortam deſtilletur, prodit liquor antimoniatus, ſive oleum antimonij, dùm ſaccharum corrodit antimonium, & corroſum per retortam ſecùm vehit. Saccharum rafinatum fit per aquam, in qua ſoluta fuit calx viva, quà aqua dùm purificatur ſaccharum, fit, ut illi communicetur acredo corroſiva, & quò magis rafinetur, eò magis evadat corroſivum, & noceat pulmonibus, & partibus internis. Undè in phthiſi, alijſque exulcerationibus internis ulcera ſordida, pulmones, aliaſque partes ad putrilaginem diſponit, patet ex eo; quia ſi carnes recentes ſaccharo aſpergantur, ſubitò putreſcunt. Quapropter ſaccharum ob vim fermentativam maximè nocet; hinc propter effervescibilitatem periculoſum eſt ſyrupos, conſervas, & ſimilia medicamenta ſaccharo parata præſcribere in febribus ſive intermittentibus, ſive continuis: ac propterea diſcite, quod multi ægroti divites in febribus interire ſolent propter ſyruporum, & medicamentorum dulcium, vel ſaccharatorum uſum, quæ nimiùm exaſperant febres: cùm contrà pauperiores, qui non ſemper ſint ſolvendo medicamenta ſaccharata, nudis decoctis, & ſimplicibus feliciter curentur propter ſacchari defectum.

Potus ſit *decoctum hordei*, *vel ſeminum emulſiones*, vel optimum erit *decoctum chinæ cum paſſulis. Gal.* 10, *meth cap.* 5. *&* 6. aquam frigidam exhibet, eâque ſe multos à maraſmo præſervaſſe gloriatur; verùm ſi corpus valdè extenuatum eſt, periculum minatur, ne puſillus calor exſtinguatur. Si ventriculus admodùm debilis fuerit, & æger vino ſit aſſuetus, concedi poteſt vinum aquoſum, & valdè dilutum, quod coctionem, & diſtributionem juvat. Vel admodùm elegans potus erit vinum ex paſſulis malvatici inſtar. Vel optimum erit decoctum chinæ cum paſſulis. Omnia potulenta ſpirituoſa maximè nocent, & ſæpè huic malo occaſionem præbent. Item potulenta, quæ diaphoretica, & ſudorifica ſunt, cane, & angue pejus vitentur, quia vires proſternerent, ſudorem excitarent colliquativum, & corpus abſumerent.

Ma-

Motus non convenit, ſed quies potiùs imperanda eſt, eſtò ante cibum, ſi vires ferant, leve aliquod exercitium conferre poſſit, aut ejus loco leves frictiones inſtitui poſſunt.

Somnus nec longior, nec brevior ſit; nàm longior viſcerum calorem adauget, & corpus magis exſiccat, attamen minus incommodi ex longiori, quàm ex breviori oritur, quia ſomnus magis humectat, quod in febre maximè expetendum eſt. Dormiant hectici in molli ſtrato laneo, non plumeo, commodamque latitudinem habente, lintea ſæpè mutentur, quæ aquâ roſarum anteà irrorata fuerint. Vigiliæ immoderatæ ſpiritus reſolvunt, vires diſſolvunt, corpus calefaciunt, humores acriores reddunt, & totum emaciant, ideóque *Somnus*, *& vigilia, utraque ſi modum exceſſerint, malum.*

Alvus pigrior proritetur glande, aut clyſtere ex juſculo pulli cum hordeo, malvâ, & violariâ parato, addendo mel violaceum, butyrum, & ovorum vitellos. Excretiones reliquæ ſolitæ, & præſertim naturales in ſuo tono ſerventur, ne ægrum debilitent, ſi ſegniùs procedant, promoveantur, reliquæ verò omnes fugiantur, quales ſunt ſanguinis excretiones. Si alvi fluxus ſuperveniat, ægrum ad interitum comitatur, ideóque refrænandus eſt.

Animus in tranquillitate, & hilàritate detineatur, ac ſpe, quæ alit afflictos, demulceatur; vehementes animi paſſiones: ut ira, triſtitia, & metus, ex quibus ſæpius hecticam productam vidimus, quantùm fieri poteſt, vitentur. Venus, ex qua etiam hecticam partam obſervavimus, fugienda eſt, quià corpus valdè reſolvit, & abſumit.

His præmiſſis, curationem pharmaceuticam inſtituamus oportet, & primò ſecundùm rancidæ medicinæ ſectatores curam proponimus, quam internam, & externam inſtituunt. Inter interna primum locum ſibi vendicant medicamenta purgantia, & præcipuè ſi prima regio excrementis ſcateat propter cruditates à debili ventriculo productas, ità ſunt *Manna*, *caſſia*, *ſyrupus roſarum ſolutivarum*, & ſi vires non ſint proſtratæ, exhibent *infuſum rhabarbari cum decocto prunorum, tamarindorum, myrobolanorum, bugloſſi, & violarum.* Cœterùm purgantia etiam lenia tuta non ſunt, & vires in hoc affectu conſervari debent, nàm non curatur in primo, qùia tunc non percipitur, nec actiones lædit, ſed tantùm in ſecundo, vel tertio gradu, & in his ſi diarrhœa ſuperveniat, malum, ac proindè irritari non debet. Prætereà ſolutiva corpus emaciant, calorem adaugent, & febrem intendunt, undè malum exaſperatur, & nos multos hecticos purgatos mortuos fuiſſe obſervavimus.

Poſtmodùm refrigerantia, & humectantia medicamenta in formam juleporum, juſculorum, & emulſionum redigunt in hunc modum, ut

℞. *Aquar. endiviæ,*
lactucæ,
acetoſæ ana ℔. ß.
ſyr. violacei,
nymphææ,
pomorum ana ℥ *j.*
m. f. julep. pro tribus doſibus
bis in die ſumendis, & per plures dies continuandis.

Vel

℞. *Hord. integri* p. j.
fol. endiviæ,
cichorij,
lactucæ,
pimpinellæ ana m. j.
flor. borag.
buglosſi,
violarum,
nymphææ ana p. j.
prunor. damaſc. par. iij.
coquantur ad ℔. j. ß.
in colat. diſſ. ſyr. de cich. ſimpl.
de nymphæâ ana ℥ij.
f. julep pro iv, doſibus.

Ex ijſdem ſimplicibus cum pullo gallinaceo, vel gallinâ juniori decoctis parant juſculum ad eundem uſum, ut

℞. *Radic. chinæ* ʒ. j. ß.
hordei integri p. ij.
quat. ſem frig. mai. ℥. j. ß.
contundantur, ijſque impleatur venter capi, aut pulli junioris. fiat juſculum, cui adde
ſacchari roſac. ℥. ß.
capiat æger per longum tempus; reficit enim, & impinguat.

Præſcribunt radicis chinæ decoctum cum ſimplicibus refrigerantibus, & humectantibus, quod per diuturnum tempus propinant; hoc enim hecticos nutriri, & pinguefieri credunt. Verùm *corpora impura quò magis nutries, eò magis lædes*, & ſit cibus quantumvis optimus (medicamentum námque non nutrit) nunquàm nutrire poteſt, niſi morbi cauſa tollatur; præterea china ſudores movet, quod periculoſum eſt in hoc morbo. Perperàm vulgares indicationem curativam à macie, & calore, qui ſunt effectus, & ſymptomata, & non à malo habitu ex ſuccorum impuritate, & membri principalis læſione contractâ, deſumunt.

Ad ſidera extollunt, & in frequenti habent uſu pro febre hecticâ hîc noſtri medici vulgares *Aquam Capocephali*, cujus nomen ab authore derivatum eſt, qui Capocephalus cognominabatur, Medicus Neapolitanus, cujus conficiendi modus talis eſt,

℞. *Fol. borag.*
buglosſi,
endiviæ,
meliſſæ
cichorij,
ceterach,
capill. Ven.
plantag.
betonicæ,
ſampſuci,
fumariæ,
acetoſellæ,
ſcabioſæ,
ling. cervinæ,
hepaticæ,
rad. gramin. ana m. vij.
pomor. appior. n. x.
mica panis albi m. j.
gallinæ n. j.
ſerpent. vulgò Cervone n. j.
teſtudinum num. iij.

Ex his omnibus hoc modo fit aqua. Panis infunditur in aquâ florum myrtillorum, herbæ cum carnibus minutim conteruntur, & omnia deſtillantur per alembicum vitreum moderato ignis regimine. Propinant hanc aquam per quadraginta aſſiduos dies ad trium unciarum pondus in aurorâ, & in ſiſtendis deſtillationibus, & contra febrem hecticam ſine pari celebrant.

Optima quidèm aqua, quæ paſſim à quopiam mediculo in hecticâ febre præ-

præſcribitur, ſed ſine fructu, & nullum à febre habituali, & deſtillatione, quam vocant, ereptum vidimus, & nos pluries præſcripſimus, ut ejus vires experiremur, & nunquàm effectus famæ reſpondit, ac proindè tanquàm futilem examine reijcimus, & primò, herbæ, nullâ præcedente fermentatione, nil reddunt, niſi ſudores, qui potiùs in aquam elementarem, quàm in ſingulares virtutes combinantur, potioribus partibus earum eſſentialibus in reſiduo concreto remanentibus. Secundò, carnes gallinæ, ſerpentis, & teſtudinum in deſtillatione dant vapores omni virtute carentes, qui in capitello, & indè in recipiens in aquam elementarem coagulantur. Nemo famelicus vapore è carnibus ebullientibus exhalante ſe ſaturare, aut collapſas vires reſtaurare poteſt. Conſiderate quæſò, an tabidos hæc aqua reſtaurare poſſit? Eaſdem habebit vires, ac aqua elementaris, imò niſi recentiſſima ſit, cadavericum ſpirat odorem, & ægrum inficit potiùs, quàm reficit, & malum pejorat.

In ſummâ emaciatione non tantùm per os, verùm etiam per podicem hecticum reſtaurant; frequenter námque nutrientes ex pulli, vel capitis vervicis juſculo cum ſaccharo, & vitellis ovorum clyſteres injiciunt. Cæterùm clyſteres cujuſcumque generis in habituali febre, & in quacumque aliâ, ſunt podicis remedia, & periculo pleni, ac proindè ſemper fuerunt hoſtiles, diarrhœam enim in hecticâ concitate poſſunt, & ægrum in mortis agone conſtituunt. Prætereà neminem, quem ſcimus, per anum nutritum fuiſſe obſervavimus. Sed quis credet alimenta per clyſteres in inteſtina craſſa, loca fætida, injecta, & ſtercoribus admiſta nutrire poſſe? Deberent alimenta in his inteſtinis per ipſos in chylum mutari, quod nullatenùs evenire poteſt; nàm in ventriculi cruditate aſſumpta alimenta non mutata, neque ullo modo cocta ab alvo defluunt per tortuoſos inteſtinorum gyros, & ante excretionem in putatitium chylum mutarentur, quod non ſuccedit. Unum tantùm in hoc, repudiatâ chylificatione in noſtrâ *Trutinâ*, fluctuando credere poſſumus ſecundum noſtram ſententiam, ſpirituoſam ciborum portionem ab inteſtinis craſſis elevari, & aliquo modo vitam ſuſtentare, non verò reſtaurare.

Inter optima remedia hecticis opportuna *lac* cenſent vulgares, cùm eorum indicationi correſpondeat, & utramque compleat paginam; eſt enim accommodatiſſimum hecticis alimentum, & medicamen, quod maximè refrigerat, & humectat, quia non ſolùm accidentaliter, & qualitativè, ſed etiam ſubſtantificè, & facilè diſtribuitur. Quatuor de idoneo lactis uſu notant, ſcilicèt ipſius ſpeciem, exhibendi tempus, quantitatem, & denique modum.

Primò, varia ſunt lactis genera, omnium tamen optimum muliebre fore cenſent ob ſubſtantiæ familiaritatem, quam cum noſtris generationis primordijs habet, & utilius erit, ſi ex ipſo ubere ſugatur: ſed quia morbus contagioſus eſt, nulla mulier etiam paupercula tanto ſe vitæ periculo exponit.

Poſt *humanum lac* ſecundas vices obtinet *aſininum*, & uſitatius eſt; ini-

ta itáque priùs multorum vulgarium medicorum conſultatione, lac aſininum præſcribunt ad multos dies, & menſes, ſed advertunt, quod multùm confert aſina nigra, & in otio refrigerantibus herbis eſt nutrienda, & quolibet mane pectenda: at non abſque ſale aſina nigra eſſe debet, ab illâ medicinæ parte edocti, quæ analogiſmo morbos curat, nàm cùm noſtrâ in hac urbe obſervârint, quibus nigri pallij eſt uſus, non ruſtico, ſed nobiliori, & delicatiori ſanguine natos, moribuſque ſimiliter urbanis ſtudere, ſic pariter de aſinâ nigrâ crediderunt. His impoſturis pinguiores vulgares, & aſinæ nigræ evadunt, & miſelli hectici, & phthiſici in ſceleti formam redacti magno vitæ, & fortunarum diſpendio ad aëris permutationem tandèm inſtigantur.

Poſt *aſininum* ſuccedit *lac caprinum*, quod licèt minùs refrigeret, magis tamen ad alendum valet. Unum de lacte aſinino, & caprino ex noſtrâ obſervatione dicere poſſumus, quòd ſi aliqui hectici, vel phthiſici evaſerunt, mores aſininos, vel caprinos induerunt, id etiam in infantibus à capra paſtis ob paupercularum matrum lactis inopiam obſervavimus. Lac autem recentiſſimè mulctum, & adhuc calens hauriatur, ne alteretur ab aëre; idcircò inductâ prope cubiculum aſinâ, vel caprâ, in vas calefactum mulgeatur.

Tempus exhibendi magis idoneum ſine dubio eſt matutinum, cùm ſcilicèt ventriculus vacuus invenitur ab aſſumpto cibo; aſſumitur tamen quatuor, vel quinque horarum ſpatio ante prandium. Poſt aſſumptum lac æger quieſcat, & non ſolùm à corporis, & animi motu, verùm etiam à loquelâ, & ſomno abſtineat, ni tamen ob ventriculi languorem ſit illi ſomnus concedendus; ſi verò vires ferant, levi deambulatione per cubiculum ſe exerceat. Non prandeat, donec lac benè digeſtum, & à ventriculo ſeceſſum animadverterit, & æger fame provocetur ad cibum. Vulgò lac ſumitur ſemel tantùm in die, ſed præſtat bis in die ſumere, & adhuc præſtat, ſi æger ſolo nutriatur lacte; nàm præterquàm quòd in majori copiâ ſumptum majores exerit effectus, & magnum vitatur incommodum, quod ex juſculis, & carnibus cum lacte permiſtis exoritur, facilè enim putreſcunt.

Quantitas ab eorum Anteſignano *Gal.* 7. & 10. *meth. med.* præſcribitur, ut ſcilicèt ex eo aſſumatur cyatus, verùm ejus mancipia docent, ut primâ vice à duabus, vel tribus uncijs exordientes ad quinque progrediamur, ut ventriculus illi aſſueſcat, illius quantitatem ſenſim augendo uſque ad uncias octo, decem, & libram unam, diligenter obſervantes, ne lac in ventriculo aceſcat, coaguletur, vel corrumpatur; quadere ſaccharum ei permiſcent eâ proportione, ut ad lactis uncias octo ſit ſacchari uncia una.

Ut tandèm lac commodè uſurpetur, quidpiam in contrarium, quod ejus uſum perturbet, vel inhibeat, adeſſe non debet, ut magna febris, aut capitis dolor, aut hypochondriorum tumor, aut bilioſus alvi fluxus, ut *Hip. ſect.* 5. *aph.* 64. notat. Illius uſus ad quadraginta dierum ſpatium producendus eſt.

Quantùm ad ea medicamenta, quæ exte-

exteriùs adhibent, omnium accommodatiſſimum, & hecticis utiliſſimum præſidium aquæ dulcis Balneum cenſent vulgares, ut 10. *meth. cap.* 10. latè proſequitur *Galenus*. Hoc plurimùm valet ad hecticum calorem exſtinguendum, ſiccitatem humectandam, & omnia viſcera temperanda; ægrotos itáque in Balneum aquæ dulcis moderatè calidum conjiciunt manè depoſitâ alvo naturâ, vel arte, duabus, vel tribus horis poſt aſſumptum juſculum, vel lac, vel ovorum vitellos, in quo tamdiù æger immorari debet, donec ſpontè tepeſcat, & tandèm refrigeretur. Quòd ſi nimis tardè hæ mutationes fiant, ut æger tædio afficiatur, aquæ frigidæ affuſione balneum ad libitum tepeſcat, & refrigeretur. Hanc tamen adhibent cautionem, ut cùm triplex qualitas in eodem balneo haberi poſſit: æger in calidâ parùm immoretur, in tepidâ diutiùs, & in frigidâ nimiùm. A balneo ægrum linteis calidiuſculis molliter detergunt. Poſteà verò *oleo violaceo*, *nymphææ*, *roſaceo*, *vel amygdalarum dulcium &c.* inungunt, & in thalamo collocant. Verùm nos per iſtam unctionem ambigimus, quin æger nucem Beneventanam adeat. Poſtmodùm ubi parùm quieverit, juſculum, vel aliud ferculum propinant.

Zacutus Luſitanus noſter balneum ex hydroleo miris encomijs evehit *Obſer.* 35. *lib.* 3. *Praxis admirandæ*, & tantæ utilitatis rationem ex eo deſumit, quòd balneum ex aquâ dulci paratum, cui olei copia adjuncta ſit, tenſas partes emollit, ſiccas, & rarefactas humectat, & poros obſtructos, ac præ ſiccitate conniventes aperiendo, ad extimas, maximéque diſtantes corporis partes alimentum attrahit. Alij, balneo aquæ dulcis, ut plus humectent, *malvam, violariam, brancam urſinam &c.* addunt. Quidam verò balneum ex lacte dulci magis exoptant.

Salutiferum præſidium eſt balneum, ſed loca affecta non adit, circumferentiam lenit, & centrum non attingit. Extimam ſiccitatem ad tempus humectare poteſt, ſed hecticum calorem exſtinguere, vel ſaltem temperare non valet, niſi fomes in ſuo foco deleatur, quò balneum pervenire non poteſt.

Quandò æger balneis uti non poteſt; admovent cordi, & hepati epithemata hoc modo concinnata, ut

℞. *Aq. roſar.*
nymphææ,
portulacæ ana ℥iij.
ſucc. granator. ℥j.
pulv. elect. diamarg. frig. ʒij.
oſſis de corde cervi ℈j.
camphoræ gr. IV.
f. epith. cordi admovendum.

Vel

℞. *Aquar. endiviæ*,
lactucæ,
cichorij ana ℥iij.
aceti roſacei ℥j.
trium ſantal. ℈ij.
ſpodij ex ebore ℈j.
f. epith. hepati admovendum.

Sed hæc epithemata Aſiaticè in noſtrâ *Trutinâ* repudiavimus.

Hepatis regionem *unguento roſaceo*, *vel cerato ſantalino* inungunt: cæterùm oleorum, & unguentorum inunctio proſcribenda eſt; nàm poros conſtipat, & obſtruit, ac proindè febrem intendere poteſt.

Curativa tabeſcentium corporum indicatio nullo modo à malo habitu deſumenda eſt, ut v. gr. à macie, ut pinguis producatur habitus: & à fœdo cutis calore, ut floridus fiat: ab exorbitante calore, ut ad temperiem reducatur, & à ſimilibus, quomodò medicorum vulgus hodiè tabidorum curationem aggreditur, nàm prædicta ſunt effectus, & ſymptomata potioris cauſæ, à qua pullulant, tanquàm à radice. Ridiculus ſanè eſt medicus, qui tabeſcentem conatur reddere pinguem, niſi tabis cauſam priùs evellat, imò tantùm abeſt, ut cibus optimi, & plurimi nutrimenti in tabeſcentis corpore in bonum cedat, ut corruptioni, pluſquàm alij obnoxius afferat nutrimentum. Erit ergò indicatio curativa omnium maraſmorum purificatio liquorum ſolidas corporis partes irrorantium cum correctione vitij eos contaminantis, ſive illud in membrorum principalium ſubſtantijs ſit impreſſum, ſive à causâ externâ originem ducat; Verum enimverò cùm liquores corporis purificationem admittere non poſſint, uſque dùm contaminans illos vitium ſubſiſtit, & contrà correcto vitio, facile ſit ipſi naturæ liquorum purificationem moliri, cardo curationis maraſmorum omnium in correctione vitij in ſubſtantijs membrorum principalium contracti vel ab externâ causâ exorti prorsùs innititur: quippè vitio correcto, liquores etiam corriguntur, atque paulatim in bonum habitum corpus adducunt abſque medicamenti, vel cibi ſpeciali exhibitione, ſed ſufficit communis, & ordinarius.

Eſt adeptorum medicorum ſententia dari non poſſe medicamentum, quod membra principalia eſſentialiter læſa ad priſtinum reſtituere poſſit, niſi indolem habeat univerſalem, ſcilicèt ut ſit tantæ ſubtilitatis, perfectionis, & temperiei, ut ipſi naturæ ob ſymbolum conjungi poſſit, & membris reddere, quod illis deficit, vel auferre, quod illis præter naturam eſt additum; cúmque ad tale medicamentum obtinendum ſumma induſtria, & artificium requiratur, ſpecifica quædam medicamina trademus, quæ inſtaurationem principalium viſcerum ſummoperè promovent, & maraſmo ab ipſis ſupervenienti ſuccurrunt.

Si itaque in tabidum incideris, qui ſigna tabis ventriculi ſuprà notata præſeferat, ſitque auxilio capax, vomitu primò illum levabis hoc modo:

℞. *Vitrioli albi* ℈j.
fiat pulvis.

qui conſ. flor. borag. incluſus exhibeatur, & immediatè poſt juſculi gallinacei uncias tres ſuperbibendum præbe. Verùm hoc emeticum non eſt tutum ob indolem ſuffocantem.

Si validæ conſtent infirmi vires:

℞. *Merc. Vitæ opt. præp.* gr. IV.
infunde per noctem in vini græci ℥ij.
manè vinum ſeparetur à pulvere,

& infirmo exhibeatur: Sed præſtat *Hippocras emeticum noſtrum* alibi deſcriptum.

Poſt vomitum uſus *Vitrioli Martis* per 40. dies proſequatur curationem, ejus doſis erit gr. vj. quæ augeatur paulatim uſque ad gr. xv. manè

nè jejuno ſtomacho. Verùm vitrioli Martis uſus repudiatur à nobis in *noſtrâ Trutinâ*: præſtat *Tinctura Martis* à nobis deſcripta in *Martis Julepo*, vel *idem julepus*: & quolibet etiam die exhibe *elixiris proprietatis Helmontij* ʒj. duabus horis ante prandium, totidemque doſim ante cœnam in *ſyrupo de corticibus citri*, & *elæoſacchari citri* gr. v. Vel exhibe *pulveres ſtomachicos Quercetani ſine ſaccharo* per menſem. Exteriùs ventriculi regioni ſummo cum juvamine applicatur *Scutum ſtomachicum*, quod in *Auctuario Andreæ Battimelli in Hadriani A Mynſicht Armamentario* deſcriptum reperitur. Si opus fuerit, vomitus repetatur, & à ſolutivis abhorre.

Verùm ſi ſigna tabis inteſtinorum tibi occurrant, à vomitivis, & ſolutivis abſtine, & curationem cum *ſero lactis caprini* inſtitue:

℞ *Seri lactis* ℔j.
ſenſim augendo ad ℔ij.
ſyr. de ſucc. Viol. ℥ij. m.

Quòd ſi ſerum per alvum reddatur, per xx. dies ejus uſum proſequere, nàm curationem integram complebit; niſi ſerum per alvum reddatur, poſt ſecundam vicem ab eo abſtine, & per 40. dies ſequentibus utere pilulis:

℞. *Myrrh. opt.* ℥j.
aloës. ʒij.
f. pulvis utriuſque

& cum terebinthinâ Venetâ reduc in maſſam, pro quibus doſis à ℈j. ad ℈ij. quolibet mane. Vel *pilulis noſtris familiaribus* in noſtrâ *Mantiſſâ* deſcriptis ad ℈j. quem in duas redige pilulas, unâ ante prandium, & alterâ ante cœnam utere.

Si tabes à liene, ſive ſcorbuto ſigna ſe manifeſtaverint, deobſtruentibus, & diureticis curatio tentanda eſt, purgato priùs corpore, quàm itâ conſequeris:

℞. *Seri lactis caprini* ℔jß.
ferveat in igne, & dùm fervere incipit, injice
fol. ſen. or. ℥ß.
cinnam. contuſ. ʒij.

vas illicò cooperiatur, & auferatur ab igne, frigefactum ſerum coletur, & infirmo exhibeatur per quatuor dies eâdem doſi. Hoc leviſſimo purgante corpus à craſſis humoribus liberetur, tunc

℞. *Vitrioli Martis,*
ſalis abſynthij
tart. vitriolat. ana ʒj.

in pulverem redacta miſceantur, hujus miſturæ recipe ℈j. & infirmo exhibe quolibet mane per 40. dies

Unicè prodeſt, & ſingulare remedium erit. *Tinctura tartari, vel ſal volatile tartari* ex deſcriptione *Andreæ Battimelli in Auctuario, vel ſal ammoniacum aperitivum, vel Tinctura Martis aperitiva ejuſdem Battimelli.*

Si lien durus, & turgidus apparuerit, diſſolve *oleo de Verbenâ* à nobis in *Mantiſſâ* deſcripto. Demùm lienis ſubſtantiam hac inunctione corroborabis:

℞. *Olei laterini q. ſ.*

quo quolibet mane per 30. dies lienis locum inunge, & hæc eſt omnium affectionum lienis efficaciſſima curatio, itâ ut obſtinatas etiam vincat quartanas.

Scirrhoſum etiam hepar ſuam affert tabem cum proprijs ſignis, ut ſuprà, quam diarrhœa cruenta ſemper

per

per comitatur, hanc hepatis tabem tutò curabis ſolo ſero caprino abſque ullâ additione, niſi ſolius ſyrupi violarum:

℞. *Seri lactis* lib. ij.
Syrupi viol. ℥ ij. m.

Exhibe per xv. dies quolibet mane. Nec te terreat cruentus fluxus à ſeri uſu, quippè cauſam leniter abſtergit cum partium integrâ mundificatione. Poſt ſeri uſum liquore abſynthij per menſem hepatis ſubſtantiam roboratis, quem ità parabis:

℞. *Abſynth fol. & ſummitat. q. ſ.*

Contundantur craſſo modo, injiciantur in vas vitreum amplum abſque ullâ additione, quod optimè obſtruatur, ne exhalet, & bulliat in B.M. *per* 24. *horas, refrigeretur, tunc vas, & aperiatur, liquoremque pretioſum abſynthij à foliis ſeparatum remove leni foliorum expreſſione, & ſerva.*

♃. *Hujus liquoris* ʒ ij.
vini albi generoſi ℥ ij. m.

& infirmo exhibe per menſis ſpatium. Intereà hepatis regionem unguento ex ſantalis fovebis.

Corroboranda demùm eſt hepatis ſubſtantia *rhabarbari eſſentiâ*, (rhabarbarum à vulgaribus hepatis anima vocatur) quam ità parabis:

♃. *Rharbari opt.* ℥ j.
fiat pulvis,
Cui affunde in vaſe vitreo
Spiritûs viri ardenti lib ß.

ſine, ut ſimul maneant per 12 *dies, poſt quos ſpiritum vini intensè coloratum à rhabarbaro per inclinationem ſepara. Spiritum hunc tinctum retortæ vitreæ inde, & leniſſimo calore fac, ut vini ſpiritus pro tertiâ parte deſtilletur. Quod remanet in retortâ ſerva*, eſt rhabarbari genuina tinctura, quæ balſamum eſt hepatis. Doſis ejus eſt unius ſcrupuli quolibet die per menſem.

At ſi maraſmum ex pulmone ſigna affirmaverint, & tuſſis aſſidua, & ſpirandi difficultas vigilem faciat, ægroto ſomnum pro quiete tuſſis *Cynogloſſæ* uſu concilia:

♃. *Pilul. de cynogloſſ.* gr. xii.

& infirmo exhibe poſt cœnam quarto quolibet die. Vel exhibe *Laudani opiati* gr. ij. *vel* iij. in *Mantiſsâ* ex noſtrâ inventione deſcripti.

Verùm ſi ex ſanguinis rejectione periculum immineat, ſequenti utere arcano, quod nunquàm te deſeret in ſanguinis ex pulmone dejectione:

♃ *Ranas paluſtres integras, uti ſunt, q. v.*

atque viventes in ollâ cum ſuo operculo in calidiſſimum furnum immitte, ibique exſiccentur, uſque dùm in pulverem redigi poſſint, fiat earum pulvis, cujus infirmo exhibe in ſyr. de Papavere ʒ j. Ceſſabit illicò ſanguinis ejectio, induciturque lacerato vaſi cicatrix, ità ut novâ laceratione opus ſit ad novi ſanguinis ejectionem. Pulmonem deindè elixire proprietatis in noſtrâ *Pyrotechinâ* deſcripto robora:

♃. *Elixiris propriet. deſtill* ℥ ß.
Syr. de papavere ℥ j ß. m.

Hæc doſis per 24. horas ægro ſufficiat per vices ad modum lambitivi. Vel roborabis *balſamo noſtro catholico*, *vel balſamo ſanguinis humani* in *Mantiſsâ* deſcriptis, vel *balſamo Peruviano liquido* in eodem ſyrupo.

Porrò ſi tabes ex corde tibi ſigna apparuerint, potiùs mortis prædictionem, quàm ſalutem ex medicamentis præponere poteritis; incipienti tabi ex corde *Lac perlarum* mederi tantam

tùm poterit, quod abſque induſtriâ, & artificio haberi non poteſt, aliquod tamen perlæ promittunt, ſi aceto ſtillatitio ſolvantur, oleo tartari p.d. præcipitentur, à ſale abluentur, & reſiduus earum pulvis per 60. dies infirmo exhibeatur quolibet mane pondere unius ſcrupuli. Verùm quia hodiè in magno ſunt pretio, potiùs ad pulchrum mulierum vultùm, quàm ad morborum ſanationes valere credimus; undè inſulsè ab hecticis, & phthiſicis aſſumuntur cum magno æris diſpendio, & abſque ſalutis ſpe. Conducunt perlæ, ſed ſub lactis, ſcilicèt primigenij liquoris formâ, & non à menſtruis acidis ſolutæ, & præcipitatæ, quia his ſaturatæ nullam vim obtinent. Præſcribant vulgares medici has perlas ſolutas, & præcipitatas divitibus tantùm, & tenuioris fortunæ hominibus pro perlis matrem perlarum præparatam, quia majores dotes in matre, quàm in filiâ experientur. Eximium medicamentum eſt in maraſmo ex corde *Aqua Perlarum* noſtræ deſcriptionis in *Mantiſsâ*. Vel *elixir cordiale*, vel *magiſterium cordiale à Battimelli in Auctuario* deſcripta. Tribuunt medentes vim cordialem perlis, ſed qua ratione neſcimus, cum tantùm præcipitandi vim habeant. Multùm præſtat tabidis ex corde *cinis cancrorum fluviatilium* loco, & tempore hauſtus pondere ℥ß. Demùm liquore ex cornu cervino tanquam magno remedio in tabe ex corde utere, quem ità parabis:

℞. *Limaturæ C.C.* ℥ j.
aquæ comm. lib j.ß.

bulliat ad duarum partium conſumptionem, quod remanet aquæ à limaturâ ſepara, & ſerva.

℞. *Dictæ aquæ* ℥ j.
lactis perlarum ℈ j.
vel magiſt. cordialis ʒ.j.
vel elixiris cordialis cochl. j.m.

& ægro propina per 40 dies.

Hanc etiam curationem adhibere poteritis tabi ex cerebro, quæ nunquàm ferè auxiliis capax invenitur, & hæc de maraſmorum curatione, qui ex ſubſtantiæ principalium membrorum læſione ducunt originem.

Verùm ſi ab externâ causâ corporis liquores contagium ſuſceperint, ac proptereà tabidum produxerit habitum prudenti medico utplurimùm ſalutis ſpes relinquitur, at ſi ex ulcere ab externâ causâ producto tabes aliquem invaſit, hoc modo illum curabis. Solutiva ſunt fugienda, ut etiam vomitum cientia, corpus, ſi opus fuerit, aloë, vel rhabarbaro tantùm leniendum, deindè tota ſpes in vulnerariis reponenda eſt, inter quæ hoc, quod tradimus, efficaciſſimum experti ſumus:

℞. *limaturæ eboris,*
cornu cervi,
lign. guajaci ana ʒ ij.
ponantur in pupatella, deindè

℞. *Betonicæ,*
ſampſuci,
ſantal. rubr.
roſ. incomplet. ana ʒ j.ß.
aq font. lib. j.ß.

Ponantur hæc omnia ſimul cum pupatellâ in vas vitreum altum, quod optimè obſtrue, ne quid exhalet, & bulliant in MB. *per quatuor horas ſine deindè, ut omnia frigeſcant, & à pulveribus, & pupatellâ decoctum exprime,*

℞. *Hujus decocti* ℥ v.

quas infirmo exhibe mane, & veſperi duabus horis ante cibum, quo vulnerario

xar o utere per 40 dies; nàm paulatim æger bonum adipiſcetur habitum cum ulceris curatione.

Egimus hucuſque de febris habitualis curatione à membrorum principalium ſubſtantiæ vitio, vel læſione geneſim ducente; cognito enim membro principali affecto, faciliùs hectica, quàm quartana febris curatur. Medicamenta, quæ deſcripſimus, non ſecundum vulgarium opinamentum, ſcilicèt ad calorem refrigerandum, & ſiccitatem humectandam (ſunt hi affectus, non cauſæ) adduximus, ſed quatenùs membri principalis partium ſpermaticarum humidum radicale læſum ab acido-ſalino, & acri à cauſis procatharticis excitato, vel inducto corrigunt, temperant, edulcorant, vel ſi obſtructio adſit, deobſtruunt; hæc námque omnia medicamenta à nobis allata ſale alkali, vel volatili, blandiori, & temperato abundant, & acrimoniam acido-ſalinam deſtruunt. Agendum nunc ſupereſt tàm de illis medicamentis indolem ferè univerſalem habentibus, quæ humidum radicale in membro principali deturpatum, & hujus partes ſpermaticas, & ſolidas rectificant, quàm quæ ſanguinis maſſam, nutrimentum, lympham, alioſque ſuccos conſpurcantes corrigunt, emendant, repurgant; uno námque membro principali læſo, reliqua, ipſum univerſum corpus lædi, ac circulantes & irrorantes ſuccos coinquinari, ac malum corporis habitum produci certum eſt. Quandóque ſanguinis maſſa, nutrimentum, & lympha à cauſis procatharticis acido-ſalinam nanciſcuntur acrimoniam, & dùm in vertiginem aguntur, ad aliquod principale membrum imbecillum appellentes, illud ſenſim, & inſenſibiliter lædunt, & habitualem febrem gigni neceſſe eſt. Hæc medicamenta, ut ſuum ſortiantur effectum, ſale alkali, vel volatili blandiori, & temperato prædita eſſe debent, & hinc ſuccus alimentitius, ſanguis, & ipſe latex temperatur, corrigitur, emendatur, dulceſcit, & ab omni acrimoniâ, & acore ſalino vindicatur, & focus, undè aliquod acre ſuccis ſubminiſtratur, extinguitur. His ritè adminiſtratis, ſanguis in ſuum naturalem redit circuitum, & ſuccus alimentitius, qui anteà ob acorem à partibus reſpuebatur, fit illis gratus, & genialis: qua de re conſumptæ, & extenuatæ corporis partes avidè nutriuntur, reficiuntur, pingueſcunt, humidum radicale reſtauratur, & priſtinæ ſanitati hecticus reſtituitur.

Summoperè commendatur *Lac perlarum*, *magiſterium perlarum*, *aqua perlata*, *& manus chriſti perlatæ* & *Helmont.* inquit: *perlæ in ſuum primum concretum lacteum ſolutæ, ſunt abſoluta phthiſeos, & hecticæ cura*: Sed nunc ſolutæ cum menſtruis corroſivis (non patet alius modus) parùm, aut nihil conducunt, & decantatis encomijs non reſpondent, imò potius obfuiſſe, quàm profuiſſe obſervavimus: porrò qui primogenium perlarum liquorem habent, magno pro hecticæ, & phthiſeos curatione potiuntur arcano, ſed primogenio perlarum liquore carentes ſubſtituere poſſunt *perlas præparatas*, vel *lapides cancrorum fluviatilium* ſimpliciter in pulveres redactos. *Pulveres cancrorum fluviatilium* valdè commendamus, & cum magno fructu exhibuimus; ſunt enim

in

in acrimoniâ ſalinâ deſtruenda planè egregij.

Eximium medicamentum eſt *Manna*, ſeu *Saccharum aluminis*, cujus deſcriptionem habet *Andreas Battimelli in Auctuario. Dolæus Dulcedinem aluminoſam* commendat, quam ità parare poteſt, qui vult: *Alumen pulv. in calore arena igne phlegma deſtillatum ſuo corpori reddat, denique hanc deſtillationem ſepties repetat, donec totum phlegma in ejus corpore maneat: paratum alumen tritum ſolvatur in liquorem in loco humido p d. Hunc liquorem deindè balneo per* 12. *vel* 15. *dies digere, poſteà ſeparatis fœcibus liquorem purum filtratum lento igne coagula.* Doſis gr. x. ad xv. in liquore convenienti.

Petrus Poterius ſalutare *Antihecticum* (ità appellatum ab uſu contra hecticam) deſcribit, quod nos pluries exhibuimus, & multos hecticâ febre correptos à Libitinâ ſubtraximus, & nihil eſt, niſi *Regulus Antimonij, & Jovis compoſitus cum triplo nitri perfectè fixatus*: ſed magna adhibenda eſt ſolertia, qua Joviale ſulphur auferatur, at hæc non omnibus eſt nota. Communiter proſtat colore cœruleo, qui tamen impoſturam olet; nàm color cœruleus eſt adhùc de ſulphure Jovis inflammabili, ratione cujus interdùm movet vomitus. In ejus itáque præparatione ſecernendum eſt ſulphur, ut præſtantiſſimum habeatur hoc anti-hecticum, cujus doſis à gr. vj. ad viij. Verùm hodie propter pſeudo-chymicorum impoſturam decantatos non præſtat effectus. Nonnulli putant hoc anti-hecticum ex alumine fieri, quod de *Lue Venereâ* in febris habitualis curatione deſcripſimus ex *Hoffmanni* mente, qui perperàm ex alumine componi opinatus eſt, ſed reverà eſt quædam operatio quæ cum aluminis dulcedine, mannâ, & ſaccharo coincidit. Qui hoc caret anti-hectico, vel aluminis ſaccharo, uti poteſt antimonio diaphoretico ritè fixato, vel ebore ſine igne præparato.

Magnarum virium, & felicis ſucceſſus *Aquam Anti-hecticam* in noſtrâ *Mantiſſâ* deſcriptam ſemper experti ſumus contra hecticam febrem; In phthiſi verò *Decoctum Anti-phthiſicum* etiam in noſtrâ *Mantiſſâ* deſcriptum nunquàm ſatis laudare poſſumus ob ſtupendos effectus, quos præſtat; phthiſis námque inchoata, & pulmonis ulcus, ex quo pus toti ſanguinis maſſæ impertitur, undè lenta febris ſuam agnoſcit geneſim eliminatur, & tabes profligatur, ac propterea ulcus mundificat, conſolidat, ſanat, & ſanguinem pure conſpurcatum abſtergit.

Non omittenda ſunt *Viperarum jura conſumpta*, quæ tabidos ex quavis causâ ſummoperè reſtaurant; vires enim reficiunt, ut infirmo difficile non ſit validioribus non uti medicamentis, quæ alioquin ferre non poſſet.

℞. *Viperas* ij.
à ſenectâ denudatas, abſciſſis capitibus, caudis, & abjectis extis, minutiſſimè contere, ac in vitrum amplum injice, quibus adde

Vini generoſi ℥j.
aquæ card. bened. ℥jß.
ſantalor. rubr.
cinnam. contuſ. ana ʒj.

Vas optimè claude, & bulliat in MB. *trium horarum ſpatio. Poſt refrigerationem vaſis fiat juris expreſſio*, quod

propinetur infirmo bis in die per 40. dies, & hujus magni remedij admirabimini effectus; valdè enim ſanguinis maſſam renovant, & humidum radicale reparant.

Lactis uſum non omninò improbamus, & primò lac humanum maximè appropriatum homini eſt alimentum, cùm ab infantiâ accõmodatiſſimum, & primum fuerit, utpotè infans in utero ipſo jàm dudùm aſſuefactus, ac proindè laudari ſolet in phthiſi, in primis quidèm ſi æger nutricis mammæ adhibeatur, ut ipſèmet mammam exugat vel calidè emunctum propinetur, ſi nutrix infici perhorreſcat; eſt námque phthiſis morbus contagioſus Refert *Foreſtus* in ſuis obſervationibus, quòd *Aliquandò juvenis quidam phthiſi, & tabe deſperatâ laborans fuit curatus per lac humanum, dùm neceſſe habuit, ut ſibi conduceret nutricem, ex qua ſingulis matutinis, & veſpertinis horis exhauriret lac, undè factum eſt, ut non tantum fuit reſtitutus à tabe, ſed etiam nutricem poſtmodùm impragnavit. Nàm lac mulierum armat in Venerem, ut eidem ſine laſſitudine, & debilitate virium poſſimus operam navare.* Verùm aliquandò lac humanum fallit in phthiſi. Secundò lac aſininum potum potenter nutrit, ac valdè commendatur in hecticâ, phthiſi, & atrophiâ, in quibus expertiſſimum celebrari ſolet, cujus vis in ſale volatili temperato conſiſtit, ac proptereà optimè nutrit. Tertiò lac caprinum omnibus reliquis lactis ſpeciebus præfertur propter ſeri, & ſalis volatilis copiam, quia capra eſt animal ſpirituoſum, & agile, & hinc parum dat lac, quod minus præ reliquis lactis ſpeciebus in ſe continet materiæ caſeoſæ; nàm in lactæ, quò minus eſt talis ſubſtantia caſeoſa, eò elegantius, & efficacius eſt; omnes enim noxæ à caſeoſâ materiâ proveniunt. Quartò lac bubulum etiam magni æſtimatur.

Lac genericè eſt elegans nutrimentum medicamentoſum, & ejus bonitas non æſtimanda eſt ex proprijs qualitatibus, ſed ex beſtiæ qualitatibus, ejus ſanitate, longævitate, & ſalubritate; nàm quò longævius, Helmontio auctore, & ſalubrius eſt animal, eò convenientius eſt lac ad vitam longam. In genere notum eſt, quòd animalia quò ſalubriores comedunt herbas, eò ſalubrius dant lac. Undè in hecticâ ſi herbis humectantibus, & refrigerantibus ſecundum vulgares, ſecundum verò recentiores ſale volatili temperato, & blandiori abundantibus, ut ſunt borago, bugloſſa, endivia, cichorium, lactuca, acetoſa, &c. paſcantur beſtiæ, lac ipſum, quod hecticis prodeſt, eò magis erit appropriatum pro hecticæ curatione.

Lac tribus conſtat ſubſtantijs, prima eſt aquoſa, & dicitur ſerum lactis; ſecunda pinguis, & unctuoſa, quæ butyrum vocatur; tertia craſſa, viſcida, & terreſtris, & appellatur caſeus. Lac ratione partis oleoſæ, pinguis, & butyraceæ, uti etiam ratione ſalis volatilis nitroſi convenit in temperandâ quacumque humorum acrimoniâ, undè in hecticâ prodeſt, in qua peccans acido-ſalinum, & acre in partibus delet. Dùm humorum acrimoniam temperat, in phthiſi conducit, ne corrodendo pulmones, malum augeat. Hac eâdem ratione in omnibus partium internarum exulceratio-

ratio-

rationibus, ut renum, hepatis, & ſimilibus conducit ob partem ſeroſam, quæ pus abſtergit, & humorum acrimoniam temperat, & partis butyroſæ ratione ulcerum conſolidationem adjuvat.

Obſervandum eſt in lactis uſu, quòd calidum aſſumi debet, & quò citiùs poſt beſtiæ emulſionem ex beſtiâ hauritur, eò eſt melius; facilè námque ab aëre alterari poteſt, ne itáque nimis alteretur, expedit mox calidum bibi. Hujuſmodi lactis alteratio patet ex eo, quod facilè aceſcit, & quòd poſtquàm emulctum eſt, pauco interjecto tempore, in vermium propaginem convertitur, & copioſos exhibet vermes, ſi lac tantillum aëri fuerit expoſitum. Dùm lacte utitur æger, vitet omnia acida tàm in potu, quàm in victu, ne lactis coagulationem inducant; lac enim acida coagulant, ac propterea cum lacte permiſcetur aliquid ſacchari, vel aliquid de ſpiritu ſalis ammoniaci, vel ſimili, ne coagulatio ſuccedat; ſaccharum enim potenter lactis coagulationem impedit, & præ omnibus menthæ ſuccus, ut alibi diximus. Si ſacchari tantillum in lac injiciatur, exindè nec butyrum, nec caſeus fieri poteſt. Peſſima omnium eſt lactis corruptio, quandò coagulatur, nàm corruptio optimi peſſima, & multos producit languores, de quibus alibi.

Lactis diæta hoc modo inſtituenda eſt: Tempore matutino, jejuno ſtomacho aſſumatur libra una lactis, additâ ſacchari candi unciâ unâ, poſt hauſtum moderatus inſtituatur motus, & per tres horas jejunet: tempore veſpertino tribus horis ante cœnam eadem doſis reiteretur, ut manè eodem modo, & jejunium iterùm imperatur, ut fiat diſtributio. Multa ſunt, quæ lactis uſum inhibent, ſed *Non hæc tempus ſpectacula poſcit.* Accómodatiſſimus erit lactis uſus in hecticæ, tabis, atrophiæ, & phthiſis curatione, ſed non nimis ſerotinus, & integris viribus inſtituendus eſt, his enim deficientibus, nihil, aut parùm prodeſt.

CAPUT XXXI.

De Curatione febrium, quæ à ſanguine vel in motu, vel in ſubſtantiâ depravato producuntur.

HUmidum radicale in cerebro elaboratum per ſubſtantiam fibrarum, venarum, & arteriarum fluens intra ipſos venarum, & arteriarum tubulos deſtillat, & præexiſtenti in ijs ſanguini commiſcetur, & in ſanguinem tranſit, & ſanguis ſpiritus concretus, fibroſus, de naturâ ſalis volatilis, perenniter ſe movens, tùm quò ad ſe totum, tùm quò ad propriæ ſubſtantiæ partes, cùm effluvia à ſe ſemper emittat, quibus univerſum corpus calore perfundit.

Sanguini quò ad primum præter naturam accidere poteſt, eſt ut vel citatiori motu moveatur, quàm naturæ convenit, vel omninò à motu moveatur, quàm naturæ convenit, vel omninò à motu ceſſet, & in grumum concreſcat, utroque modo fit naturæ intolerabilis, & hoſtilis, quam ad depravatos provocat motus. Citatiori motu cieri poteſt ſanguis, vel in grumum concreſcere vel per accidens, vel

vel per ſe. Per accidens dicta accidentia patitur ſanguis, ſi ex cauſis, quas adducemus, vel citatiori motu moveatur, vel concreſcat in grumum, & in eo caſu curationis ſcopus reſpicit cauſas illas, quarum ope ſanguis à naturali ſuo motu exorbitat, pro quibus abſtergendis opportuna remedia per capita tradimus. Per ſe verò vehementiori motu cietur ſanguis, ſi grumeſcit, cùm abſque aliâ causâ præter naturam in corpore exiſtente, ejus ſubſtantiæ partes præter naturam moventur. Primò itáque de citatiori motu agimus, deindè cùm in grumos tranſit.

Signa.

Hæc febris citra rigorem, vel horrorem, vel etiam perfrigerationem impetit. Color corporis & faciei rubicundus apparet, arteriæ carothides vehementer pulſant. Oculi, & totius corporis venæ amplæ, & turgidæ conſpiciuntur, undè laſſitudo tenſiva oritur. Adeſt tenſivus capitis dolor, temporum pulſatio, vigilia, inquietudo, pectoris anguſtia, reſpiratio anhela, laborioſa, & frequens, æſtus præcordiorum vehemens, & ſitis Tantalea. Pulſus magnus, plenus, æqualis, & frequens. Urinæ vel apparent laudabiles, vel craſſiores, & ad rubedinem tendentes. Arripit frequenter carnoſos corporis habitus, & in floridâ ætate conſtitutos, qui plethoricum præſeferunt habitum, & verno præſertim tempore promptiùs excitatur. Hæc febris paroxyſmis caret, per acceſſiones non recurrit, ſed ſemper æqualiter, & uniformiter procedit, quò ſanguinis fervor perſiſtit, & eo ceſſante, omninò quieſcit. Dicitur febris continens, ſynochos à Galeno vocatur, nempè vel in eodem tenore perſeverat, vel decreſcit paulatim, vel creſcit æqualiter. Undè illius tres petuntur differentiæ; quæ enim in eodem tenore perſiſtit, homotonos, ſeu acmaſtica, quæ continuò decreſcit, paracmaſtica; quæ ſemper creſcit epacmaſtica nominatur.

Cauſæ occaſionales.

Excitatur à ſanguine febris per vehementiorem motum, quàm corpori congruit, atque hinc cor inter anguſtias verſatur, nàm ſanguis in arterijs præter modum ebulliens rareſcit, majorem exigit intercapedinem, quàm ab arterijs exhibetur, ac proindè verſus cor regurgitat, & impedit, ne ſanguis à ſiniſtro cordis ventriculo recipiatur; interim ſanguis venoſus ob acceleratum motum, & fervorem magno impetu in dextrum cordis ventriculum illabitur, itáque ventriculum, facto celeri ſanguinis acceſſu, & in ſiniſtro præpeditus ejus tranſitus, in arterias cor utrinque inter anguſtias poſitum exagitari præter modum, & frequentiùs moveri contingit, producitque febrem ſynocham, ſeu continentem, quæ ſine ullâ exacerbatione, durante motu, & fervore, à ſuo principio uſque ad ultimam, & integram ſui ceſſationem æqualiter perdurat. Fervoris, & motûs occaſio non in ſolidis corporis partibus, ſed in ipſo ſanguine ſuum habet fomitem; nàm cùm ſanguis per accidens, & non per ſe æſtuat, tunc ſynocham febrem non producit, ſed eam, quæ per acceſſiones recurrit. Eſt

ſanguis ſpiritus volatilis ſalſus ſe movens, & ob æthercam ſuæ ſubſtantiæ naturam quieſcere non poteſt, ſed ſuo motu per venas, & arterias fertur, ac proindè ſanguis in ſuis vaſis ſemper eſt in motu, & quicquid intra, vel extra corpus, quod ipſo ſanguine validius ſit, producatur, ſanguinem ad vehementiorem motum, & calorem excitabit, quia partes æthereæ, & volatiles ſanguinis ab extraneo ſollicitatæ calore in vehentiſſimum concitantur motum.

Cauſæ externæ, quæ citatiorem motum, & ingentem calorem in ſanguine excitant, ſunt omnia, quæ ſanguinis plenitudinem in corpore coacervare poſſunt, nec ſanguinea proritatur febris, niſi ſanguis in quanto, & multitudine luxuriet: hujuſmodi generis cauſæ ſunt plenior ciborum, ac potuum uſus, ut ſunt ex carnibus cibaria, & vinorum potentium potationes, ebrietates, & crapulæ. Ità etiam nimia quies, vita ſedentaria, & conſueta exercitia intermiſſa. Vel conſuetæ hæmorrhoides, hæmorrhagiæ, ſeu menſes ſuppreſſi, ſive per aliam quamvis regionem evacuatio, ex quibus facilè ſanguinis plenitudo in corpore aggregatur. Faciunt etiam ad hoc internæ cauſæ, ſcilicèt calida, & humida corporis conſtitutio, carnoſus, & plethoricus corporis habitus, venarum amplitudo, ætas juvenilis, &c. Proximæ autem, & continentes hujus febris cauſæ ſunt, quæ fervorem, & acceſſionem in ſanguine producere poſſunt, & eædem, à quibus ephemeræ excitantur febres, dùm leviores ſunt, ab iiſdem ſi paulò validiores fuerint, ſynochæ oriuntur febres: quinimmò plerùmque quia plus poteſt diſpoſitio, & apparatus corporis, quàm activitas cauſæ agentis præſente in corpore ſanguinis plenitudine, quævis cauſa externa quamvis levis hanc poterit febrem excitare. Itèm vehemens corporis motus, labores intempeſtivi, iter per ardentis ſolis radios, calida cibaria, iræ excandeſcentiæ, vel aliæ cauſæ, quæ multùm corpus calefaciunt, febrem excitant continentem.

Pro hujus febris cauſâ aſſignant vulgares obſtructionem; denſatis enim, & obſtructis cutis poroſitatibus, præſertim à frigido aëre, hic in frigidis natantes aquis, & in frigido aëre dormientes, facilè hoc febris genere febricitare credunt. Cœterùm non in ſolâ poroſitatum obſtructione hæc febris conſiſtit, tùm hyeme tantùm cùm inſenſilis impeditur tranſporatio, hac febre corripi deberent; ſed ità impedita eſſe debet tranſpiratio, ut totam ſanguinis maſſam, aquæ inſtar ſupra ignem poſitæ continuò in motum vehementem, & validum calorem adigat, quod nullo modo evenire poteſt, niſi in habitu plethorico, & verno tempore, quo ſanguis in corpore magis prædominatur.

Præcedit apud vulgares reliquas febres *Ephemera*, ſive *Diaria* omnium ſimpliciſſima, & curatu facillima. Dicitur ephemera à duratione, à Græcis *epi*, & *imera*, quaſi unico die durans, alij etymon ſumpiſſe putant ab animali quodam Ephemeron dicto, quòd unius diei ſpatio naſcitur, & moritur. Hæc vel brevis eſt, vel longior vel longiſſima. Brevis eſt ephemera; longior ſynochus ſimplex; longiſſima ſynochus putris. Verùm hæ febres differunt tantùm ſecundum

magis

magis, & minùs, ſecundum gradus, & ſymptomatum rationem, ac in curatione ſecundum minora, vel majora, & efficacia medicamenta. Putant vulgares ephemeram febrem eſſe calorem præter naturam in ſpiritibus primò accenſum, deinde horum ope in corde, demùm in toto corpore, actionem lædentem. Cœterùm nos ſecundum noſtram doctrinam dicimus eſſe motum vehementiorem, & calorem exorbitantem in ſanguine excitatum à cauſis occaſionalibus, ſed levioribus, quàm in ſynocho. Ephemera exquiſita tutiſſima eſt, nàm viginti quatuor horarum ſpatio finitur, ſi ſit plurium dierum in ſynochum ſimplicem tranſit, & medicis nec lucrum, nec famam parit, cùm nunquàm, vel rariſſimè pro ipſius curatione advocentur.

Duplex febris genus ex ſanguine vehementiori motu ſollicitato oriri aſſerunt vulgares Galenici, unum ex ipſo citra putredinem accenſo; alterum verò ex eodem non ſolùm accenſo, ſed etiam putreſcente; illud ſynocham ſimplicem, ſeu non putrem; hoc verò febrem ſynocham putrem communiter appellant. Si ſynochos diutiùs quàm par eſt producatur, tunc in ſynocham putridam mutari Galenici cenſent, quòd majora, & evidentiora in hac febre, quàm in illâ apparent putredinis ſigna, undè ſanguinis maſſam in venis, & arterijs majoribus contentam putreſcere credunt, eò quod ſectâ venâ ſanguis corruptus appareat, quam illuſionem planam facit experientia; nos námque multis in optimâ ſanitate conſtitutis verno tempore ſanguinem detraximus, & in pleriſque variegatus, & corruptus videbatur, ità ut exiſtimaſſent vulgares ſummum in illo putredinis gradum, cui tamen nullum aderat vitium. Opinantur vulgares, quòd ſi ſanguis intra venas, & arterias putreſcat, generari, indè febrem ſynochon putridam, ſi verò extra venas, phlegmonas, ſymptomaticè unà febrem excitari, & hæc quidèm in temperamento ſanguineo, in bilioſo verò maſſam ejuſmodi intra venas putreſcentem efficere febrem continuam ardentem, ſeu tertianam continuam; extra autem venas tertianam intermittentem; in phlegmaticâ corporis conſtitutione produci à maſsâ ſanguinis putreſcente intra venas quotidianam continuam, extra eas quotiadam interpolatam; in temperamento verò melancholico hoc modo fieri quartanam continuam, & interpolatam.

Ineptè, & inſcitè vulgares medici putredinem in ſanguine ſuadent in continuis febribus, & eam in vaſis minoribus ſine fundamento inſinuant; impoſſibile námque cenſemus ſanguinem in venis, vel arterijs putreſcere, quin profectò putreſcendo pergeret tota ſanguinis maſſa, & planè putrefacta, vita ampliùs perſiſtere non poſſet, quod autem putrefactum eſt, nunquàm redintegrari, vel renovari, vel in naturæ gratiam redire poteſt, ut patet in quolibet pomo tantillâ putredinis labe imbuto, putridum enim ejus punctum ſemper ulteriùs putrefaciendo procedit, donec totum pomum putrefactum ſit: quomodò hoc ſuccedat in pomo, Aſiaticè de lue Venereâ diximus, ubi vulgatum illud dictum

ctum trutinavimus: *Quod tangitur à putrido, putreſcit.* Præterea ſanguis putreſcere non poteſt, quin priùs à motu deſiſtat, & ſi tota ſanguinis maſſa in vaſis magnis à motu ceſſet, extemplò moritur animal; ceſſante enim ſanguinis motu, & vita neceſſariò ceſſat. Si in vaſis capillaribus aliqua ſanguinis portio ſtagnet, quo per aliquam obſtructionem in venas capillares tranſire nequit, ibi motum amittit, deindè grumeſcit, imò tantùm abeſt, ut ſanguinis putredo in facto eſſe ſit febrium cauſa, & febris ceſſet, integrè completâ ſuppuratione, undè pronunciatum fuit à veteribus: *Dùm pus fit, febres, & dolores accidunt, magis quàm jàm confecto.* Scilicèt in eo actu, quo ſanguis motum amittit, & in grumum concreſcit, in pus deindè digeſtum à lædendo ceſſat.

Secundum noſtram ſententiam dicimus, quòd ſynochus à ſanguinis commotione, & efferveſcentiâ nimiâ dependet, & in ſanguine puro nullam ſuperfluitatem, & extraneam admiſtionem vehente concitatur, at ſi ſit minor, ephemeram, ſi major, ſynochum ſimplicem conſtituit. Pro ſynocho putri, ut vulgarium medicorum æſtimationem conſervemus, & limitatum eorum judicium explanemus, quia ſe explicare neſciunt, dicimus, qùòd ſi motus, & calor accidat ſanguini impuro ſuperfluitatem continente, vocatur febris ſynocha putris, & reverà nullam putredinis ſobolem continet, ut probavimus, ſed tantùm ſorditiem, & peccat in quali. Illa æſtuatio fit ob materiæ heterogeneæ ſeparationem, pro majori, vel minori ejus quantitate, materiæ qualitate vehementior, vel mitior ſeparationis labor à naturâ adhibetur, donec materiam illam heterogeneam ſequeſtret, & vel per ſuppurationem alicubi inſtitutam, vel per hæmorrhagiam, vel ſudorem, vel diarrhœam, vel vomitum, vel urinæ profluvium exturbet, & quamdiù iſte naturæ labor durat, tamdiù ardet continua febris, & fiunt in eâ mutationes per ſeptinarios, qui dies critici ſunt, vel ſemiſeptinarios, qui judicatorij ſunt; ſi verò vitium non ſit in ſanguine, ſed in partibus coctioni dicatis, in ventriculo nempè, vel meſenterio, vel pancreate, vel felle &c. tunc diverſæ febres intermittentes oriuntur, in quibus natura per certos paroxyſmos fermentationem inſtituit, donec materiam degeneratam impedientem, vel obſtruentem paulatim abigat, vel percoquat.

Præter has continentium febrium ſpecies, alia circumfertur, quæ *Ardens* appellatur, græcè *Cauſos*, & præter ſynochi ſimplicis ſigna, duo pathognomonica, & caracteriſtica adnexa habet, exurentiſſimum calorem, & ſitim inexſtinguibilem, ac clamoſam, ità ut quamvis bibant ægri, ſemper tamen ſitis excrutiat. His duobus, ardori ſcilicèt, & ſiti ſubindè accedit linguæ ariditas, labiorum fiſſuræ, capitis dolor, delirium, & alia ſymptomata, ſubindè concurrit faucium ardor, ac rubor obſcurus, & tunc temporis lingua non tantùm arida exiſtit, ſed etiam colore puniceo nigricante imbuta apparet. Ab iiſdem cauſis occaſionalibus ſuprà allatis excitatur; Verùm quia in hujuſmodi febre urens reperitur calor,

& ſitis incompeſcibilis, propterea à calidiſſimis ſuccis in vaſis magnis ebullientibus originem ſumere, quales ſunt bilioſi, vel ad ipſorum naturam accedentes, imaginantur vulgares, ac proindè ad febres bilioſas continuas reducunt, & à ſynocho putri tantùm gradu differre credunt. Febris ardens inter æſtivos morbos numeratur, acutorum morborum naturam ſapit, & quandóque epidemicè graſſatur.

Febris ardentis cauſa, juxta noſtram ſententiam, eſt ſal volatile oleoſum, & acidum, quod tanto conflictu in miſtione vitioſè concurrit, & fermentat, & ſanguinis maſſam in tantam concuſſionem, & motum adigit, ut indè exurentiſſimus æſtus, & efferatus Vulcanius producatur ardor, qui in univerſum diſtribuitur corpus; & quò ſal volatile oleoſum, & acidum abundat, eò inſigniter calor acris, & acutus obſervatur, & quò magis ſanguinis maſſa eſt oleoſo ſale impraegnata, eò pulſus admodùm frequens, & major erit, & urinæ craſſiuſculæ, & coloratiores. Sic terebinthinæ ſpiritus ſalinus volatilis oleoſus cum nitri ſpiritu miſtus, ſi ambo ſint rectificati, promptiſſimè efferveſcentiam concipit. Hæc febris corpora juvenilia adoriri ſolet, quorum ſanguinis maſſa copioſo ſale volatile oleoſo eſt referta, & hoc verno, & æſtivo tempore contingit, & corpora euſarca, & euchyma, maſſa quorum ſanguinis nimis pinguis, & oleoſa eſt, & eos ſimiliter, qui crapulis, & ebrietatibus ſunt dediti, arripere aſſueſcit; hæc námque corpora magis ſunt diſpoſita ad tales febres, dummodò cauſæ externæ, quæ res procatharticas in actum deducant, adjungantur. Igneus ardor ex ſalis volatilis oleoſi turgeſcentiâ provenit; dùm enim ob hoc ſal ſanguinis maſſa turgeſcit, facillimè ingentes concipit ardores. Pulſus evadit maximus, & neceſſariò frequentior ex maſsâ ſanguineâ ebulliente. Ex lymphâ ſalivali minùs inſipidâ, fauces humectare ſolitâ, ſale volatili oleoſo impraegnatâ, ſitis intolerabiliter excrucians dependet, & ex eâdem ſalivâ eodem ſale infectâ faucium, & linguæ ardor, ariditas, color, & fiſſuræ proveniunt. Ipſa ſanguinis maſſa inſigniter efferveſcens non poteſt non inſigniter animales ſpiritus turbare, & excalfacto cerebro eoſdem agitare, undè tota Palladis domus ardet, & vigiliæ, capitis dolores, & tandèm funeſta inſequuntur deliria.

Prognoſis.

Ephemera febris ex ſuâ naturâ nullum involvit periculum, & curatu facilis eſt, ſæpè abſque medici ope per ſe plerúmque intra 24. horas cum madore, aut ſudore deſinit, licèt aliquandò ad tertium extendatur diem, quem ſi tranſgrediatur, in ſynochum ſimplicem, vel ſi nutrimenti degeneratio accedat, in malignam, vel in hecticam degenerat quandoque ob commiſſum in diætâ, vel medicamentis errorem, ac poindè non contemnenda eſt.

Synochus quantùm eſt ex ſe leviſſima, & tutiſſima eſt, & brevi quoque tempore terminatur; frequenter enim quatuor, aut ſex dierum ſpatio deſinit, adeò, ut raro ſeptimum attin-

gat, vel excedat diem, & tùm hæmorrhagiâ, vel ſudore terminatur, unicum tantùm habet diſcrimen; facillimè enim ex levi quopiam vel medici curantis, vel ægri errato, imò ſi ulterius producatur, in malignam ſi nutrimentum degener evadat, degenerat, vel ſicut ephemera, ità ſypochus tranſit in hecticam. Synochus increſcens alijs deterior eſt, & raro in ipſâ fit bona criſis. Synochus non admodùm timenda eſt, niſi aliquod peſſimum ſymptoma ipſi adijciatur.

Nulla febris æque citò, ac tutò per criſim terminatur, quàm ardens, & exquiſita die ſeptimo finitur, aliter nono, undecimo, & decimo quarto, præſertim ſi æger febrem non ægrè ferat, non nimis æſtuet, nec nimiâ crucietur ſiti, nec graviter vexetur: Si facilè ſpiret, ſi nullam partem internam dolore ſentiat, ſi dormiat, ſi ſomno ſublevetur, ſi corpus æqualiter ſit calidum, ac molle; ſi lingua non ſit adeò arida, nigra, vel aſpera; ſi urina bona: tùm enim febrem brevem ſignificat, & præſertim ſi coctionis ſigna appareant cum virium robore, in die critico larga è naribus hymorrhagia accidet, ſine dubio æger evadet; exquiſitæ enim febres ardentes per ſanguinis eruptionem judicantur, & hæc narium hæmorrhagia ordinaria eſt talium febrium criſis. Singulare hæmorrhagiæ exemplum *Zacutus Luſitanus lib.* 1. *Prax. admirand. obſ.* 86. affert de febre ardente ingenti per copioſum ſanguinis affluxum ex dentibus criticè ſolutâ. Quin & idem *Zacutus Luſitanus lib* 8. *Prax. hiſt. cap.* 6. *obſ.* 4. febris ardentis criſin per ſanguinis ſputum obſervavit.

Nos mulierem ardenti correptam febre obſervavimus, hanc menſtrua retenta concitaſſe conjectavimus, nec nos conjectura fefellit, menſtrua proritantia exhibuimus medicamenta, & apparentibus, immunem à febre reddidimus. Nonnunquàm per ſudores judicantur, & *Hildanus cent.* 6. *obſ.* 77. ſudoris critici poſt febrem ardentem notatu dignam affert hiſtoriam de quodam robuſto viro cum ardentiſſimâ febre conflictante, qui ſeptimâ die in ſudorem adeò flavum incidit, ac ſi croco tinctus eſſet, & quidèm copioſum, ità ut lintea ſubindè madida, neceſſum eſſet removerentur. Quin & interdùm alvi fluxus ſuperveniens, ſi ſufficiens, & ſpontaneus fuerit, hanc febrem tutò ſolvit.

Febris quæcumque non intermiſerit periculo eſt plena, & quò magis ſymptomata ſunt vehementiora, eò febris periculoſior eſt, undè ſigna pathognomonica, ut exurentiſſimus calor, & ſitis incompeſcibilis, quò vehementiora ſunt, eò febris periculoſior eſt. Idem periculum minatur, ſi lingua ſit arida, & ſitis abſit, denotat enim vel ægrum delirio teneri, vel appetentem ventriculi facultatem emori. Lingua nigra cum ſiccitate, ſcabritie, ſciſſuris, & uſtione lethalis; ob ardentis enim febris exurentem calorem lingua impensè areſcit, & aduſtas fuligines à viſcerum incendio elevatas recipiens, camini inſtar, nigredine tingitur. A minori quidèm uſtione ſiccitas, & ſcabrities efficitur, à vehementi verò ſciſſuræ producuntur, quemadmodùm terra valdè exſiccata æſtatis tempore undique & fiſſuras patitur. Lingua ab ini-

tio exuſta ſignificat alicuius viſceris inflãmationem, quæ ex hypochõdriorum dolore, duritie, tumore, aut calore dignoſcitur. *Quibus plurimùm ſiccæ tuſſes leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multùm ſiti infeſtantur.* 4. *aph.* 54. *febrem ardentem ſuccedens rigor ſolvit.* 4. *aph* 58. Verùm ſtatim à principio rigor proprium eſt pravitatis ſignum. Urinæ nigræ, ut tenues, & crudæ, vel alia mala indicia habentes, malæ ſunt. Si urinæ ſanorum ſimiles ſint, & cum virium robore, bonum. Si urina anteâ craſſa poſtmodùm attenuetur, malum; ſignificat enim ſal volatile oleoſum raptum ad cerebrum habere, & delirium excitare, quod lethale ſignum. Alvi fluxus in principio magnus vires diſſolvens, aut ex materiâ inſigniter corruptâ eſt periculoſus, & interdùm mortem minatur. Periculoſior eſt cauſus, ſi vires imbecillæ ſint, ſi itàque quod rarò accidit, ſenex ardente corripiatur febre, lethale, in pueris verò minus eſt quàm in juvenibus, at adveniens hyeme cæteris paribus deterior eſt. Tandèm ſi febri ardenti malignitas complicatur, admodùm periculoſa.

Curatio.

Febres continentes ſecundum graduum, & ſymptomatum remiſſionem, & intenſionem differunt, ac proindè ſecundum varias horum graduum figuras earum curatio inſtituenda eſt; eapropter mitiora febri ephemeræ, majora ſynocho ſimplici, & maxima ardenti conducunt medicamenta, & potiſſima curatio è ſex rebus nonnaturalibus, & primò ex diætetico fonte, deindè pharmaceutico, & tandem chirurgico deſumuntur.

Aër igitur pro inſpiratione ſit frigidior, qui ſi naturâ haberi non poteſt, arte paretur, ut diximus, attamen ità eligendus eſt, ne diaphoreſi obſit, & cutis poroſitates obſtruat, ac febris intendatur. Videtur aër calidus, aut æſtuoſus, ne febris cauſæ fomentum præbeatur.

Cibus tenuis eſſe debet, quia febris continens morbus acutiſſimus eſt, & brevi tempore judicatur. *Cùm itàque morbus peracutus eſt, extremos protinùs labores habet, ſummèque tenuiſſimo victu utendum ex aph.* 7. *ſect.* I. & ea antiquorum ſolertia fuit, ut potiſſimam totius curationis partem in tenui victu conſtituerit, & ægris acutiſſimâ laborantibus febre tenuiſſimum victum imperaret, Optimum ſanè remedium, quod multos curat ægrotos, & hac de causâ *Celſus* inquit: *Multi magni morbi curantur abſtinentiâ, & quiete.* Qui ſi curari nequeunt, ſaltèm multò leviores redduntur, efficiturque ut ægri cum ijs vivere poſſint: Sed noſtris hiſce regionibus adeò eſt muliercularum contumacia, ut in febribus quantumvis acutiſſimis ſemper febrientes varijs infarciant edulijs, timent enim, ne propter unius, vel duorum dierum totalem à cibis abſtinentiam pereant, ſed perperàm agunt, nàm *Sicut ſanis cibus eſt robur, ità ægrotanti morbus: Et corpora impura quò plus nutries, eò magis lædes.* Cæterùm maximæ ſunt medicorum illecebræ, & impoſturæ, qui Magnatum curam ſuſcipientes, ex eorum arbitrio operantur, ac ità in cibis ingerendis deſideria complent, ut tandèm miſeros in pernici-

ciem

ciem præcipitent, & de Magnatibus commune dictum verificatur:

Vivunt, ut volunt, curantur, ut jubent, & moriuntur, ut debent.

Victus itàque in febribus ardentibus debet eſſe tenuis, quia appetitus ferè ſemper jacet conſternatus, nec febrientes ad cibum ſunt cogendi, alimenta itàque aſſumpta ob calorem febrilem potiùs putreſcunt, quàm digeruntur, & quicquid non rectè digeritur, in ſcorias faceſſit febriles. Præterea in victu errata ferè ſemper recidivam inducunt, quandò ſcilicèt uberiori alimentorum euchymorum ingeſtione viſcera debilitata novum fomitem pro febre miniſtrant. Alimenta ſtomachum aggravant, quia abeſt fermentum digeſtivum, ac propterea non ità cibandi ſunt ægri, ut à morbo pingueſcant, ſed per aliquot dies ægros jejunare præſtat, quia faciliter jejunium ferunt. Abſtineant febricitantes à carnibus, quia ſtomachus unâ ægrotat, & cadavereſcunt; vitent etiam omnia ea, quæ ſtomachum gravant, & tantùm juſcula tenuia refrigerantibus condita aſſumant, poſtmodùm panatellis in jure carnium utantur.

Potus ſit aqua hordei, vel ſerum lactis, vel decoctum cornu cervi, cui inſtillentur aliquot guttæ ſpiritûs ſalis dulcis, vel ſpiritûs ſalis nitri dulcis, vel ſuccus citri, ſed de potu fuſiùs infrà.

Quies magis, quàm motus congruit; ſed quis quietem habere poterit cum ardoribus ſempiternis? ſit decubitus in locis frigidis, qui ad purum patent aërem, ac perflantur. Stratum molle ſit, non plumeum, ſed laneum, & ſæpiùs renovatum, vel ex corio ventipleno. Induſia, & linteamina ſatis gracilia, & non ſordida, quæ aſſiduò mutari debent, ſub quibus pelles teneantur, lecto non exiſtente ex corio: lectus ſit abundè ſpatioſus, quò membra excalefacta ſubindè ad alias, & alias ejus partes transferri poſſint, & per flabellum aër ignavior concitetur: Interim æger ſtragulis levibus, & mollibus operiendus eſt, neque nimis integumentis onerandus eſt. Per cubiculi pavimentum folia viridia vitis, myrthi, flores roſarum, violarum ſpargantur, & aquâ frigidâ irrorentur, ac frequenter mutentur, hæc enim exſiccata calefaciunt, & aquæ ſalientes in viciniâ ſonum edant; ſi aliquandò contigerit, ut nimia frigiditas ſit, ut hyeme, æger fortiter exuratur à febre, igne ſine fumo aliquantulùm contemperanda eſt: ſed modicam ſalutis ſpem in febriente collocare oportet.

Somnus moderatus juvat, nàm febrilem temperat æſtum, furentes pacat ſpiritus, ſanguinis motum quodammodò moderatur, vires reficit, & ad ſudorem diſponit; nimius tamen calorem obruit nativum, & excrementorum evacuationem inhibet. Vigiliæ præcipuè productæ ſemper noxiæ.

Alvus ſit libera, & ſingulis diebus excrementorum deponat onus, quò ſi liberè non fluat, clyſteribus ex varijs emollientibus, & refrigerantibus proritetur. Danda eſt opera, ne ea, quæ ſecundum naturam expelli debent, retineantur, niſi modica adſit evacuatio vires exhauriens, quæ impedienda eſt.

Animi paſſiones, & pertubationes, ut

excandeſcentiæ, mœrores, curæ, terrores eliminentur; hæ enim æſtum febrilem intendere poſſunt.

Febrium continentium curationem in ephemeram, ſynochum, & cauſum diſpertimur vel per durationis tempus, vel ſecundum minorem, vel majorem caloris intenſionem, vel ſymptomatum vehementiam, &

Primò ab ephemeræ febris curatione exordimur, quæ quotieſcumque viginti quatuor horarum ſpatium metitur, nullam medendi rationem præſcribimus, quia inutilis eſt hujus febris ſpecies, & ad eam curandam medici rariſſimè advocantur niſi unius diei intervallum tranſcendat, quia per ſe, & quidèm per madorem, vel ſudorem, vel aliam excretionem terminare ſolet. Cæterùm quia quandóque accidit, ut Principes, Magnates, & divites, qui majorem ſuæ ſalutis curam gerunt, hac corripiantur febre, medicos in conſilium advocent, pro ejus curatione quædam inſtituenda eſt methodus, vel quia levi datâ occaſione in ſynochum, vel acutas, vel hecticas tranſit.

Poſt debitam diætam febriens cibandus eſt tenui victu, concoctu facili, humido, & frigido, qui febrium eſt proprius, & magna ſolertia adhibenda eſt, ne in diariæ curâ error patretur; periculum eſt, ne in hecticam degeneret. Porrò quia variæ cauſæ occaſionales diariam inducunt febrem, ſecundum earum varietatem variam inſtituemus curationem; Tentare autem oportet, & contrarium ſemper afferre ei, quod moleſtat, labori quidèm quietem, vigilijs verò ſomnum, iræ autem, & furori, ac triſtitiæ ſermonibus, actionibus, ſpectaculis, enarrationibus, animi jucunditatem, ſic qui cogitatione laborant, omninò ratiocinationes omittant, & qui ex adenarum inflammatione febricitat, ejus curationi intendat, ac multo priùs undè ulceris originem habuit. Hæc quidèm febrium ephemerarum indicia, atque remedia ſufficiunt.

Priſci medici ephemeræ febris curationem aquæ tepidæ balneo peragebant, quo etiam in ſtatu ſano frequentiſſimè uti ſolebant. Verùm noſtris hiſce temporibus hujuſmodi balnea receſſerunt ab aulâ medicorum, in hujuſmodi etiam febre obſoleverunt; & reverà balneorum uſus minimè tutus habetur propter plethoram, cacochymiam, fluxionem, quæ in talibus corporibus timeri debent, ne accidant. Alterum præſidium, quo utebantur, erat victus refrigerans, & humectans *ex hordei cremore*, *juſculis refrigerantibus*, *julepis*, *ſyrupis ex ſucco limonum*, *violarum*, *cichorij &c.* Sed pro cauſarum occaſionalium varietate cùm variet curatio, ſecundum earum varietatem curationem adducemus ad Galeniſtarum mentem.

Si itáque ab *æſtu*, *ſeu ſolis ardore* ortum ducat ephemera febris, adhibito victu refrigerante, & humectante, ægrum in locum frigidiorem transferunt, & *oxyrrhodinum* fronti, & temporibus applicant, & *ſyrupum de Nymphæâ cum ſeminum emulſione* propinant.

Si à frigore pendeat febris, præcipuè ſi æger exercitio æſtuans in aërem frigidiorem protinùs ſe recipit, tunc ſudorem maximè in fine acceſſionis variis ſudoriferis provocant.

Si à *Cutis denſitate, & pororum obſtructione* originẽ duxerit: cutis denſitas, & pororum obſtructio emollientibus, & rarefacientibus præſidiis removenda eſt, & leves frictiones ſæpiùs repetitæ, & poſtmodùm ex *oleo amygdalarum dulcium, vel violaceo* inunctiones, ſed præſtat ex *vini ſpiritu* inunctio, nàm hæc cutem rarefacit, poros aperit, & ſudorem promovet, vel dictus vini ſpiritus admiſceatur cum oleo nucis myriſticæ per expreſſionem, oleum námque amygdalarum, vel violarum unctuoſitate ſuâ poros obſtruit.

Si à *Labore, vel corporis motu* geneſim ſumat ephemera febris, quies imperanda eſt, ut victus uberior, ac concoctu facilis præbendus eſt, & potu ſpirituoſo ſpiritus animales refocillandi ſunt. Si laſſitudo adſit, frictiones celebrandæ ſunt.

Si à *vigiliis* oriatur *nimiis*, tunc placidus conciliandus eſt ſomnus *emulſione ſomniferâ*, vel unico, aut altero *laudani opiati* grano.

Si à *crapulâ, vel cruditate* procedat febris, aquæ calidæ potione utendum eſt, quia hoc poculum eximiam corruptos cibos abluendi per alvum, & ejiciendi potentiam habet, præſtantiſſimi enimverò fuerit auxilij vomitus citatus, ſi ad vomendum æger facilis fuerit, at ſi ægrè vomat, inedia, vel victu tenuiori ad ſiccitatem vergente utendum eſt, & quæ in ventriculo ingeſta ſunt, per alvum emollienti, & laxante clyſtere deferantur. Cæterùm ſi corruptio metuatur; vomitus proritandus eſt, vel purgatio inſtituatur; attamen ſi ſpontaneus vomitus ſuperveniat, febris ſolutio imprompru eſt, ut & ſi alvus ſponte fluat, optimum erit naturæ remedium, ubi verò plus æquo ſoluta nimiùm fluxerit, adeò ut vires dejiciantur, reprimentibus medicaminum auxiliis occurrendum eſt. Intereà ventriculus intrinſecùs, & extrinſecùs roborandus eſt, ſed de hac febris ſpecie, ejuſque ſanatione cap. 22. egimus.

Si ab *inediâ*, victus euchymus, & refrigerans convenit, ſed ſenſim reficere oportet.

Si à *mœrore* ephemera febris ſit, ea medicamenta, quæ ſuccum auſterum emendare ſolent, conducunt.

Qui propter *Curas, & cogitationes* diariâ laborant, ad ſomnum alliciendi ſunt: Sic Helena in magnis animi perturbationibus ad Nepenthis uſum recurrebat, vel animi ſolamina recenſenda ſunt.

Si ex *irâ*, animi tranquillitatem, & hilaritatem conciliare oportet, ac ſanguinis fervor cibo, & potu refrigerante temperandus eſt.

Si *obſtructiones*, aut conſimiles effectus eadem ephemera febris ſequatur, erunt priùs affectus prædicti propriis expugnandi præſidiis, nàm ad eorum remotionem ipſa quoque eliminabitur febris.

Ejuſdem naturæ eſt febris ephemera ex *bubonibus*, nàm *aphoriſmorum auctor ſect.* 4. *aph.* 55. habet *Omnes febres ex bubonibus malæ præter ephemerus*. Malæ, inquit, nàm quotieſcumque bubones febri copulantur, & illa ephemera non eſt, ſunt febrium peſtilentium ſoboles, & ſymptomata, veneno exonerante ſeſe ad ignobiliorem emunctorij inferioris locum, & ad peſtilentia referuntur ſymptomata, & graſſante peſte viſuntur: cujuſmodi non ſunt, ſi febris adſit ephe-

me-

mera. In omni itáque febrium ephemerarum curatione ad duo reſpicere oportet, ad ſanguinis ſcilicèt fervorem compeſcendum, & cauſis occaſionalibus, quæ moleſtant, oppoſitum ſemper afferendum.

Pro ſynochi ſimplicis curatione *Galeni* procuratores cum eodem Anteſignano *Galeno* duplici præſidiorum genere utuntur, nempè ſanguinis evacuatione, & refrigeratione, & hinc duplex præſidium, venæ ſcilicèt ſectionem, & frigidæ potionem ſtatuunt; propteréa idoneo inſtituto victu refrigerante, & humectante cum abſtinentiâ à vino, calidiſque omnibus cibariis, & alvo fæcibus exoneratâ, ſtatim nullâ interpoſitâ morulâ ad ſanguinis miſſionem, tanquam ad ſacram anchoram properant, niſi ex aliquâ ſtomachi cruditate tamdiù eam procraſtinare cogantur, quamdiù prædicta adeſſe videbitur. Sanguinem itáque in hac febre liberaliter mittunt, & præſertim ſi vernum fuerit tempus, adoleſcentiæ ætas, calida, humidaque temperies, vel ſuppreſſa aliqua ſanguinis evacuatio præceſſerit. *Galenus* ſanguinarius ſanguinem ad animi deliquium fundendum cenſet, & hanc ſanguificinam in adoleſcentulo quodam hujuſmodi febre correpto exercuit, ex qua ſubdit illicò febrem quaſi jugulaſſe. Verùm hujuſmodi extremæ evacuationes ad animi defectum uſque non ſunt tutæ, imò pernitioſæ, & periculum imminet, ne febrem jugulandi loco, jugulemus ægrotum, ut ipſemet *Gal. lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap.* 12. nonnullis medicis eveniſſe refert.

Quantùm ad frigidæ potionem in hac febre ſpectat, eam *Gal.* tantâ in copiâ exhibendam eſſe præſcribit, ut æger palleſcat, tremat, & toto refrigeretur corpore: ſicque aſſerit eam igneum exſtinguere calorem, ſolidas roborare partes, & inutiles per alvum, vel urinas, vel ſudorem excernere humores. Magnum quidèm remedium ad tantum febrilem æſtum temperandum, ſed ſuos patitur manes; nàm in tantâ frigidæ ingurgitatione pro præter naturam exſtinguendo calorem, periculum ingruit, ne nativus exſtinguatur calor, & ſanguis ob repentinam refrigerationem in aliquâ parte ſtagnet, & inflammationem inducat internam. Præterea ſi poſt uberrimam frigidæ ingurgitationem, & ſanguinis refrigerium neque per vomitum, alvum, urinas, vel ſudorem aqua non excernatur, in magno vitæ diſcrimine verſatur febriens; nàm vel in anhelitûs difficultatem, hydropem, convulſionem, tremorem, lethargum, vel in alium gravem ruet affectum. In fervido itáque febris ardore cùm corpus plurimùm æſtuat, noxium eſt illud derepentè frigido potu affatim refrigerare, nàm plurimos pravos parere affectus, & non ægrè vita, quæ eſt manſio caloris in humido exſtingui poteſt; ideóque uberrimam frigidæ potionem abſolutè damnamus juxta *aph.* 51. *ſect.* 2. *Plurimùm, atque repentè calefacere, vel frigerare, vel quovis alio modo corpus movere, periculoſum. Omne enim nimium naturæ inimicum, ſed quod paulatim fit, tutum eſt.*

Ut impunè uberrimus frigidæ potus aſſumatur, multas cõditiones proponit *Galenus* ne ſcilicèt intra corpus adſit aliquis craſſorum, tenacium-

vide f. 185. de febribus.

D. CAROLI MUSITANI

PHILOSOPHI, AC MEDICI CELEBERRIMI

PYROTECHNIA SOPHICA.

IN QUA

RERUM OMNIUM PRINCIPIIS VESTIGATIS, Reliquiſque Chymici apparatus expenſis, ſingulorum Corporum ex triplicato Naturæ Regno Vegetantium nempè, Mineralium, & Animalium principia, geneſis, præparationes, uſus, & doſis ignis artificio examine explorantur, & ad TRUTINAM revocantur.

Cum INDICIBUS *Capitum, Rerum, & Materiarum locupletiſſimis.*

COLONIÆ ALLOBROGUM.

Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER & S. DE TOURNES.

M. DCC.

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
JOSEPH MUSITANUS
IATRIAS PROFESSOR.

INTER complurima infortunia L. A. quæ uſque ad hanc diem noſtro in Regno Chymia patitur, tum illud maximum ſemper exiſtimavimus, non niſi nebuloſis, nulliuſque pretij hominibus Chymicarum præparationum curam laxari, qui nullo judicio, nullâ doctrinâ, ſed caſu ducti præſentiſſima potiùs noſtræ vitæ parant venena. Horum certò impoſturis, vel ipſum nomen Chymiæ communi omnium opinione ſummoperè horrendum redditur, adeò ut non pauci, ſuperſunt ex vulgi ſententiâ, ſaniori meliorum Scientiarum ſucco imbuti, ſed noſtro videri hircoſi, & præpoſterâ nati Minervâ, ab omni hominum memoriâ abradendum putaverint, & veluti Reipublicæ exitiabile, ipſam quoque recordationem eſſe damnandam. Nos verò de his nil commovere ſolemus, quippè ſatis, ſuperque apud Cor-

datos Viros, atque à vulgi opinione ſemotos innotuit, non Chymiam culpandam; ſed Batavos illos homines, quorum opera hæc ars infamatur. Horum bono ne credas hæc noſtra ſcripta in lucem protuliſſe; ſed propoſitum nobis fuit omnibus illis brevi methodo viam ſternere, qui ſano judicio prædititi ad Chymiam animum adjicere expetunt, ut ſaniori ſapientiæ fores rectà ingredi poſſent. MUSITANUM autem cœteris præſtitiſſe in hoc uno crediderim, quod ſuo judicio nil temerè commiſerit, ſed omnia in obſervandâ naturâ, quam ſibi veluti ducem, & magiſtram præfecit, illiuſque artificio cognoſcendo, probato examine paravit, & digeſſit. Hinc præcipuus ſapientiæ fructus reputatur, qui per improbos labores, poſt tot vigilias, tot ſtudia in naturalis ſcientiæ comparatur, ut ea, quæ per noſmet ipſos aſſequi nequimus, naturam ducem, non propria judicia ſtatuere oportet. Tali igitur ingenuitate omnem arrogantiam, quæ ab homine Philoſophio plurimùm diſſidet, vitare ſtuduit, ut quæ ad humanos uſus protulit, ad majora vitæ compendia inſtruerentur. Lege interim L. A. & bene utere. *Vale.*

INDEX

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Cap. I. De Chymiæ Origine, & Progreſſu. 3

II. De Variis Chymiæ nominibus, & eorum Ethymo. 8

III. De Chymiæ Definitione, & Partitione 9

IV. De Chymiæ Officio, Neceſſitate, & Dignitate. 10

V. De Chymiæ Sectis. 13

VI. Præſupponuntur aliqua de corporum naturalium Principiis ad dicendorum intelligentiam neceſſaria. 15

VII. Explanantur voces abſtruſiores apud Chymicos uſurpatæ. 20

Art. I. Metallis attributa nomina enucleantur. 20

II. Mineralium attributa nomina exponuntur. 21

III. Attinentia ad Animalia, & Vegetabilia nomina explicantur. 22

Ult. Inſtrumenta, & Operationes Chymico uſui inſervientes deſcribuntur. 23

Tabula, in quâ Metallorum, Mineralium, aliarumque rerum Chymicarum notæ ſignantur. 26

LIBER SECUNDUS.

De Igne, & Variis ejus Operationibus.

Cap. I. Quid ſit Ignis. 29

II. Quotuplex ſit Ignis. 37

Art. I. De Igne Actuali, & ejus in Chymiâ operationibus. 38

II. De Igne Potentiali, ſive de Menſtruis. 40

III. De Igne Fermentali. 43

Cap. II. De Variis Ignis in Chymiâ operationibus. 45

Art. I. De Calcinatione
II. De Sublimatione 46
III. De Solutione 49
IV. De Putrefactione 50
V. De Deſtillatione 52
Ult. De Coagulatione, & Fixione. 53
54

LIBER TERTIUS.

De Secretioribus Medicamentorum Chymicis Præparationibus in communi; & præſertim De eis, quæ ex Vegetabilibus educuntur.

Cap. I. Quid ſit Medicamentum, in quo conſiſtat ejus vis curativa, & per quid differat ab alimento, & Veneno. 58
II. Quotuplex ſit Medicamentum in Communi. 60
III. De Materia circa quam verſatur Chymia, ut Medicamina educat. 63
IV. De Medicaminibus, quæ ex Vegetabilibus educuntur 64
Art. I. De Modo extrahendi eſſentiam volatilem è vegetabilibus. ibid.
II. De Sale volatili, ſive eſſentiali è vegetabilibus parando 67
III. Quâ methodo ſal fixum è vegetabilibus extrahatur 68
IV. De Eſſentiâ Menthæ 69
V. De Eſſentiâ Tithymalorum, ſive Eſulæ 71
VI. De Eſſentiâ Sambuci, & Ebuli 72
VII. De aliis vegetabilium ſucculentorum eſſentiis 74
VIII. De Eſſentiis ex ſiccis vegetabilibus extrahendis, ſive de Extractis. 76
Extracti Agarici deſcriptio 77
Extractum Senæ 78
IX. De Scammonij, Aloës, Guttæ gambæ, & aliorum concretorum ſuccorum extractis. 79
X. De Extractionibus eſſentiæ ex Floribus, ſive de Tincturis 80
XI. De Extractione Eſſentiæ ex gummoſis vegetabilibus 85
Extractionis Eſſentiæ Terebinthinæ deſcriptio 86
Eſſentiæ Thuris extractio 87

XII. De

XII. De Aromaticorum vegetabilium eſſentiis ibid.
XIII. De Elixiribus 89
XIV. De Anodynis 92
XV. De Aceto Deſtillato 96
XVI. De Spiritu Vini 98
XVII. De variis Vegetabilium decoctionibus 101
Ult. De Specificis quibuſdam Vegetabilium medicamentis 105

LIBER QUARTUS.

De Chymicis Magiſteriis ex Mineralium Regno præparabilibus.

Cap. I. De Magiſteriis, quæ ex ſalibus, & ſaliformibus omnibus educuntur. 107
Art. I. De Vitriolo ibid.
II. De Sale communi 114
III. De Sale Nitro 119
IV. De Sale Armoniaco 123
V. De Alumine 124
VI. De Tartaro 125
Ult. De Aquis Fortibus 130
Cap. II. De Magiſteriis Lapidum, Gemmarum, Coralliorum, Unionum, & ſimilium. 131
Art. I. De Coralliorum præparationibus 133
II. De Margaritis 137
III. De Gemmis 138
Cap. III. De Sulphuris, Antimonij, Mercurij, & ſimilium hujuſmodi foſſilium præparationibus. 140
Art. I. De Sulphure ibid.
II. De Antimonio 145
III. De Marcheſitæ, Arſenici, & Auripigmenti operationibus. 158
IV. De Mercurio 163
Cap. IV. De Metallorum præparationibus 174
Art. I. De Auro ibid.
II. De Argento 178

III. De

III. De Plumbo 180
IV. De Stamno 184
V. De Marte 186
VI. De Cupro. 189
Ult. De Bezoarticis 193

LIBER ULTIMUS.

De Chymicis Magiſteriis ex Animalium Regno parabilibus.

Cap. Unic. Que animalia ſub hoc regno contineantur. 196
Art. I. De Medicamentis Chymicis, quæ ex Homine eliciuntur. ibid.
II. De Medicaminibus, quæ ex Brutis educuntur. 198
Ult. De Medicaminibus, quæ ex Inſectis eliciuntur. 199

D. CAROLI

Ingredit ante numerand seu
pagin i [illegible] sub sign. *

tollunt. Hic idem liquor ſummum eſt remedium in morbis venereis. Curat omnis generis ulcera fœtida, fiſtulas, lupos, cancros, noli me tangere, & alia carcinomata maligna. Duæ, aut tres gutt. exhibitæ intra corpus, potenter alvum movent.

Crollius hic idem *Jovis ſal*, ità faciliori via parat.

℞. *Cinerum ſtanni aperto igne ſine ſophiſticatione parati q. v. ſalem non aqua, ut habent irriti vulgarium deſcriptionum labores, ſed aceto deſtillato extrahas, quem poſtea à ſuo ſale aqua pluviali, ſolvendo, filtrando, & leniſſimè in B. evaporando ſepties edulcora.*

Uſus. Secretum, & efficaciſſimum in ſuffocatione calidè umbilico inunctum: matrix ubi ſentit calorem, confeſtim in locum ſuum redit, nec ampliùs indè movetur.

Doſis gr. iij. tribus, aut quatuor auroris continuis in aquâ artemiſiæ, vel aquis cordialibus.

Parant ſecundò ex Jove non ſatis laudabile medicamen, qui dicitur *Juppiter diaphoreticus*, ità

℞. *Jovis Anglicani limati, in ſcutellâ terreâ non vitreatâ, calcinati* ℥ ij. *merc. ſublim.* ℥ iv. *ſimul m. & per retortam deſtilla, igne arenæ, apponendo vas recipiens aq. ſemiplenum: cumque deſtillare incæperit, da ignem ſuppreſſionis moderatum, donec omnis liquor extillaverit, & præcipitatus fuerit in aquam. Quod autem ad collum retortæ ſublimatur abraditur, & cum eo quod deſtillatum eſt, per noctem digeritur. Aq. ſpiritu vitrioli imprægnata ſeparatur, & ad uſus ſervatur. Calx verò exſiccatur.*

Uſus ejus eſt in omnibus morbis, in quibus movenda eſt corporis diapheresis. Doſis à gr. iij. ad vi.

Theophraſtus Paracelſ. ex Jove, & mercurio nobile medicamen coctione parat, qui dicitur *mercurius diaphoreticus*.

℞. *Mercurij cum ſtamno coagulati q. s. redigantur in tenuiſſimum pulverem, qui dein pulvis in aureâ ſcutellâ in aceto vini opt. conſtituta, ac vino ſublimato repleta aliquandiù aſſervetur, tandem vinum illud alkoholizatum accendatur, idque aliquoties iteretur, & videbis vinum, mercurium, & ſtamnum in quandam oleitatem reſolvi.*

Uſus hujus olei, inquit, eſt, ut ejus gut. j. in vino opt. exhibeatur: atque æger ſtragulis opt. tectus ad ſudorem ſe componat, ſudoris autem normam, ac modum experientia abundè docebit. In lue gallicâ perſanandâ adhibetur.

Tandem *aquam ophthalmicam* utiliſſimam *Angelus Sala* nobis deſcriptam reliquit.

℞. *Calcis Jovis* ℥ iij. *aq. mell. virginei lib. j. circulentur per menſem Chymicum in ventre equino, & ſeparando ſubtile à ſpiſſo, ſervetur ad uſum.*

Uſus. Præſervat viſum ſenibus, ſi accipiatur hujus liquoris per duas, vel tres vices in hebdomadâ in convenienti doſi, cum æquali portione vini albi. Præſervat etiam ab inflammationibus, ſiſtit, & curat fluxiones corroſivas, & aufert maculas externas.

Plura alia ex ſtamno confici medicamina, atque labores deſcribi poſſent: utpotè oleum ex gummi Joviali, ſulphur, flores, cryſtalli, & mercurius currens. Verùm ſi quis ea exoptat *Cloſſæum*, & *Schröderum* adeat.

Ingredit post signum ✱ inter fol. 184 = et 185 & seq.

ART. QUINTUS.

De Marte.

FErrum, quod Mars à Chymicis dicitur, etſi deteſtandum utpotè mortis inſtrumentum, attamen ad vitæ præſidium eſt comparatum, nàm inquit *Plin.* hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus juveneſcere. Hoc extruimus tecta, cædimus ſaxa, omneſque ad alios uſus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominùs ſolum, ſed etiam miſſili, volucrique nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato, & aliis recenter in perniciem hominum inventis.

Ferrum eſt metallum imperfectum ex iiſdem, quibus cætera metalla, conſtans principiis, ex pauco mercurio, & plurimo ſulphure fixo, minus liquabili, crudiori, ſeu ex ſulphure, & ſale, quæ partibus terreis crudioribus immiſta ſunt: Inter quæ ſal atque ſulphur dominio ſuperant mercurium. Hinc accidit, quòd metalla quò majori, & copioſiori abundant mercurio, eò faciliùs liquantur, & malleo extenduntur, undè ferrum, quia minimum habet mercurij, ideò diu ignitionem ſuſtinet, tardiſſimè funditur, & malleis non cædit, niſi calefactum, & promptè calcinatur. Difficilè etiam mercurio jungitur, cum ejus minus obtineat.

Eſt præterea aliqua differentia inter ferrum, & ferrum, quò ad loci natale ſolum, climata, & ferri fodinas, dum id quod præſtantius eſt, & purius chalybs appellatur, qui tamen ſi naturaliter defæcatus è terræ viſceribus elicitur; ars etiam *ferrum in chalybem* excoquere didicit ità.

♃. *Ferrum in virgulas, vel lamellas digiti majoris craſſitudinis adductum, virgulæ vel ſint rotundæ, vel quadratæ parùm refert, in vaſe terreo oblongo, & harum f. s. s. & capaci cum duabus partibus pulv. carbonis ſalicis, aut fagi, & una parte raſura cornu bovis, vas undique luto probè muniatur, idque per 4. vel 6. horas pro quantitate ipſius chalybis in furno venti cum ardentiſſimo igne excoquatur. Exacto tempore, & refrigerato vaſe, chalybem invenies perfectiſſimum. Quòd ſi artifex emolumentum majus ab hoc opere percupiat, pro lamellis, & virgulis, inſtrumenta cujuſcumque generis, gladios, enſes, & alia ex ferro ſimpliciter conficere poterit, eaque hoc artificio in chalybem adducere.*

Ferrum, præ cæteris metallis in medicinis deſtinatur, ex eo pharmaca paucis expenſis, & ſolertia reliquis palmam præripientia parari valent; attamen uberior ejus proventus, & frequentia, quâ ubique extat, nonnihil ſibi derogare videtur: cum ea ſolum ſint cara, quæ rara.

Antiquiſſimus fuit ejus in medicinâ uſus, tàm intùs, quàm deforis; crudum, limatumque noſtri exhibuerunt majores: ſed recentiores Chymiam profitentes, varia, jucunda, & infallibilia pharmaca ex illo conficiunt, quæ diverſis dotata ſunt viribus; adſtringendi, & aperiendi, juxta diverſas ejus operationes. Vis aperitiva in volatiliori potiſſimum parte conſiſtit, ac proindè in ſale, & ſul-

ſulphure: vis adſtrictiva in fixiori, adeòque in parte terreſtri latitat, aperit obſtructiones, & aperta obſtruit, *purgit* (ut dicitur) *& ungit, ſauciat, & ſanat.*

Medicamenta, quæ ex Marte ſpagyricè parantur ſunt potiſſimum.

Primò per calcinationem *Crocus Martis*, qui tàm variè à Chymicis præparatur, ut penè infinita, & varia extant apud authores recepta, ſed nos ſelectiora adducemus.

℞. Limaturæ chalybis à ſordibus ventilatione, & ablutione diligenter mundatæ lib. ij. ſalis præpar. lib. iij. m. ſimul, & in ollâ terreâ reverbera per diem naturalem: maſſam exime, & tere: diſſolve in aq. calidâ, & lava toties, donec ab omni ſalſedine, & terreſtreitate liberetur. Exſiccatur deinde, & in pulv. ſubtilem tundendo, & cribellando reducitur. Poſteà reverberatur per viij. vel x. dies, donec ſuperficies elevetur, & in crocum rubicundiſſimum impalpabilem, quo ablato, reliqua pars toties, & tamdiù reverberetur, donec tota in crocum abeat. Vas terreum limaturam continens habeat operculum, nè cineres ſuper crocum decidant, ità tamen elevatum, ut inter vas, & operculum flamma liberum habeat tranſitum.

Crocus martis omnium optimus, & ad medicinæ uſum præſtantiſſimus eſt, ſi ſola limatura martis ſine additione ſalis communis, & alterius ætherogenei per ſe in igne reverberij floriſicetur, & poſteà per aquam dulcem à ſordibus eluatur, qui autem cum corroſivis, ſalibus, &c. conficitur, periculo non vacat, meliùs autem, & citiùs procedit operatio reverberationis, ſi priuſquam furno reverberij committatur, limatura martis aliquoties puerorum urina conſpergatur; hac enim ratione inter reverberandum ſurgit in florem uno, atque altero die, qui tamen quotidiè colligendus eſt, nè ignis violentia reverberij pereat, aut ex rubicundo colore in nigrum viciſſim demigret, ac deſinat.

Uſus croci martis vulgaris internus eſt ad fluxum ventris, diarrhœam, dyſenteriam, gonorrhœam, hæmorrhagiam quamcumque ſiſtendam, ſed cautè procedendum eſt; ſæpè enim hujuſmodi adſtringentia tempeſtivè non adhibita majora pepererunt pericula. Quò circa ſumentes, priùs medicinis attenuantibus, & alvum ſubducentibus purgatos eſſe oportet. Externus ejus uſus eſt in exſiccandis ulceribus, ac vulneribus.

Doſis a gr. x. ad xv. & ad ℈j.

Paratur etiam *Crocus Martis* è laminâ chalybis candente, & ſcintillante immiſſa in magdaleonem ſulph. cujus vi chalybs liqueſcit, & decidit granulatim in vas ſuppoſitum frigida, vel aceto plenum. Granula exſiccata teruntur in pulv. ſubtiliſſimum, & ſi placet in crocum reverberantur ſpatio 6. vel 8. horarum.

Uſus. Virtutem hic crocus habet obſtructa viſcera aperiendi, & humores craſſos attenuandi: unde prodeſt in cachexiâ, (hæc martis calcinatio eſt baſis pulveris cachetrici *Quercet.*) pallidis virginum coloribus, ictero, menſium, Jecoris, lieniſque obſtructionibus, affectu hypochondriaco, & ſimilibus.

Alij alio modo *crocum martis* parant, ut

℞. Stricturæ martis q. v. phialæ vitreæ indita, acetum diſtillatum acerrimum

affunde, locoque aprico expone, ut per ſe exſiccetur: hoc toties per integrum menſem repete, deindè per biduum reverbera, & tabulæ humidæ ad craſſitiem j. digiti inſperge, indè enim groſſitiem iij. digitorum acquirit, fitque ſubtilis veluti lana, & in colore purpureum.

Hujus vj. vel vij. gr. ſumpta omnem hæmorrhagiam, & etiam dyſenteriam compeſcunt.

Parant alij *tincturam croci martis* tali methodo.

℞. *Limaturæ martis, & ei acetum deſtill. affunde & per aliquot dies ità dimitte, ut extrahat dulcedinem, quæ partim erit pulchra, & rubicunda, partim pallida pro ratione chalybis. Tunc acetum abſtrahe, & aliud affunde, idque tamdiù repete, donec nil amplius extrahatur, quod* ij. *vel* iij. *menſibus fieri ſolet; hoc tempore elapſo omnes effuſiones commiſce, & per B. deſtilla; reſiduo ſpiritum vini affunde, & digere: ità enim tincturam extrahit, tunc ſpiritum vini abſtrahe, & alium affunde, & ſ. a. ità procede, habebis tincturam veriſſimam martis.*

Hæc tinctura ad obſtructiones pertinaciſſimas hepatis, lienis, venarum meſeraicarum, & matricis; ad icteritiam enim, & hydropem incipientem eſt efficaciſſima pondere ℨj. cum decenti liquore in potu ſumpta.

Ab *Oſualdo* paratur *croci martis eſſentia* ità.

℞. *Scoriam ferri cæruleam vitreſcentem, rejectam in illis locis ubi minera ferri funditur, tere in pulu. minutum, pone in vitro, affunde acetum vini deſtillatum acerrimum, ſtet in calore mediocri per* XIV. *dies, & tingetur colore rubro filtra, & abſtrahe in B. remanet materia rubra, ter, vel quater aq. pluv. abſtrahitur, ut ſapor aceti evaneſcat: poteſt etiam priùs in tigillo, in arenâ calidâ parùm calcinari movendo, ut aceti evaneſcat aciditas, & poſteà cum aq. edulcorari, ſi debitè tractetur, ſpontè ſe ſe in cellâ poſteà pars in ol. ſupra marmor reſoluit.*

Uſus. Conducit in ſiſtendis menſibus, ac fluxionibus intempeſtivis. Prodeſt albæ profluviei mulierculárum, gonorrhœæ, hæmorrhoidibus, dyſenteriæ, fluxui hepatico, & diarrhœæ, urinæ incontinentiæ, & diabetæ. Hæmorrhagiæ internæ, ſi ejus à ℈j. ad ʒß. cum ſucc. cydon. condenſato, ſeu conſ. roſ. ℨiij. aſſumatur, aut vulneri ſanguinem fundenti aliquid inſpergatur. In omnibus jecinoris, & lienis obſtructionibus deploratis, ſed ſumentes priùs medicinis (ut diximus) attenuantibus, & aluum ſubducentibus purgatos eſſe oportet. Lienoſis datur ex aquâ aſplenij, adianti, tamariſci. In hepatis affectionibus in aq. intybi, cichor. agrim. exhibetur, tunc ſiſtit ſanguinis ſputum. In morbis diſſolutis, hydrope, & aliis, ubi conſolidatione opus. Ventriculum corroborat, & nauſeam tollit in conſ. roſ. vin. generoſo.

Doſis à gr. viij. x. xij. ad xv. in vino rubro, aq. plantag. burſæ paſtoris, tormentillæ, in conſ. ſymphyti, &c.

Secundò parant ex chalybe *Vitriolum martis* ità.

℞. *Chalybem, & cum ſulph. calcina, eo nempè modo ut ſulphur calybi ad ſummum candefacto ſuper aq. admoveas. Hoc enim facto chalybs ſtatim liqueſcit, & in aquam deſtillat: hunc itàque ex aq. exemptum exſicca, tenuiſſimè contere, ol. ſulph. acidum rectificatum affunde, aliquandiù digere,*

digere, & poſtremò in aquam deſtillatam infunde conſidet hoc pacto vitriolum non contemnendum.

Alij tali pacto *martis vitriolum* conficiunt,

℞. Spiritus vitrioli, vel ſulph. per campanam facti, licet non rectificati ℥j. aq. com. ℥ij. m. in matracio, & adde limaturæ martis ℥j. hocque aſſervatum colloca in cineres calidos, ut omnia bulliant lentiſſimè ſpatio 6. horarum. Poſtea infrigidari ſpontè permitte: invenies in vaſe generatum vitriolum viride, ſplendeſcens, quod calore diſſolvitur, frigore coagulatur.

Nos verò ità *martis vitriolum* conficere ſolemus.

℞. Limaturæ martis mundat. ℥j. ſpiritus vitrioli, vel ol. ſulph. per campanam facti ℥iv. m. in matulâ, & ſtatim ſpiritus vitrioli, vel ſulph. ebullit, ſtent ſimul ſpatio 24. hor. affunde poſtea aq. com. ℥iv. & filtra calidè per chartam emporeticam. Deſtilla lento igne in vaſe vitreo, quòuſque appareat cuticula, tunc permitte refrigerari in cellâ vinariâ per aliquot horas, & invenies martis vitriolum, quod amove, & reitera ad omnimodam vitrioli extractionem.

Uſus 1. Eſt blandè vomitivum, ſi exhibeatur ad ʒß. 2. Ad aſthma in ſyrup. pectoralibus ad gr. iij. 3. Eſt medicamentum ſpecificum in ſtrangulatu uterino, & hydrope matricis. 4. In ſuppreſſione menſium. 5. In pallidis virginum coloribus. 6. Hydrope. 7. Scirrho hepatis, lienis, & meſenterij. 8. In obſtructione hepatis, lienis, & meſenterij. 9. Eſt ſingulare remedium in melancholiâ hypochondriacâ. 10. Tandem in cancro, &c.

Parant tandem alij *ſpiritum vitrioli martis* calcinando martis vitriolum, deſtillant proceſſu, quo vitrioli ſpiritum eliciunt, aſſervantque ſine rectificatione, aut phlegmatis abſtractione, nè ſpiritus ejus ſulphureus tollatur. Eſt enim hic ſpiritus gratiſſimi ſaporis, cùm moderata aciditate dulcedinem quandam ſapit. Hepati, lieni, & ventriculo roborando, tùm etiam obſtructionibus eorundem reſerandis efficax eſt. Ventriculos cerebri permeat, unde epilecticis, & apoplecticis deſtinatur, in vehiculis quibuſcumque exhibitus.

Ex marte varia componuntur medicamina, ut ſunt vinum martiale, rotulæ, pilul. elect. ſyrup. & ipſe mars potabilis, quæ cum ſint vulgaria, meritó omittimus.

ART. SEXTUS.

De Cupro.

ÆS, ſeu cuprum Venerem ſpagyrici appellitant, quòd cum Venere cæleſti in macrocoſmo, cumque generativis partibus in microcoſmo ſympathiam habet; unde ſal albus ex chalcanto Veneris præſtat ad certiſſimam omnium morborum ſanationem, qui matricem infeſtant, & præcipuè ſuffocationis pericula. Idem ſal cum pari quantitate ſalis nitri cryſtallizati junctum contra dyſuriam; urinæ ardores, & renum inflammationes ſolatium præbet. Spiritus acidus opem fert illis, quibus deeſt facultas retentrix ſeminis, & qui perpetuâ gonorrhœâ laborant. Eſt metallum imperfectum, durum, ac ſolidum, igne fuſibile,

ſibile, & ſub malleo extenſibile, conſtans ex pauco mercurio citrino, & impuro; ſale rubro; & ſulphure infixo, purpureo, & impuro, non dum benè maturatis. Eſt hinc auro cognatum, & principia, ac ſemina auri in ſe continet: undè ſi magis ejus materia fuiſſet cocta, aurum dediſſet puriſſimum. Eſt enim in cupro ſulphur rubeum, ſed infixum, & impurum valdè, natura non potuit ipſum figere, & depurare ob temporis anguſtias, quas habuit in figendo, & depurando; opus enim inceptum jàm rapiunt avari, & aurum inde fieri expectare nolunt, malunt cupro uti, quàm poſteris aurum futurum relinquere: ergò quod natura non fecit, ars naturam ſequendo, idem ipſum poteſt.

Laudatur æs, quod reperitur in inſulâ Cypri. Duplici colore dotatur; unum quod in colore eſt auro ſimile, & à latinis aurichalcum appellatur; alterum quod rubrum eſt, abſolutè æs vocatur. Chymici parvifacientes rerum colores, abſque ullo diſcrimine æs, & aurichalcum Veneris nomine indigitant, & licet æs, & aurichalcum in ſuperficie diverſos oſtentent colores, tamen Chymici naturæ penetralia trutinantes, apertè oſtendunt hoc nobile minerale intus jucundiſſimum, cyaneum habere colorem, ut patet in multis medicaminibus quæ ex eo parantur.

Cæterum cuprum inſalubre metallum eſt, ſivè crudè, ſivè ſimpliciter in ſuum vitriolum reſolutum, ſivè extractum, mediante aliquo ſimplici menſtruo. Sivè enim acetum, ſivè alius ſuccus acidus, vel liquor ſalinus urinoſus æri affundatur, aut vaſi æneo infundatur, nil aliud elicitur, niſi inſalubre vitriolum cerulei coloris, ſapore amaro, eruginoſo, & nauſeoſo, ſtomachi cum inteſtinis œconomiam ſubvertens, ac legitimi veneni mineralis ſymptomata, effectuſque producens; quæ ſymptomata, pravoſque effectus patiuntur, qui vinum in æneis vaſis potant, propter viride æs, ſive vitriolum ex ære ab aciditate vinoſa extractum, ſive reſolutum. Monendi ſunt itaque pharmacopolæ, nè ſua medicamenta, quæ acredinem, & aciditatem ſapiunt, in æneis, aut ex aurichalco paratis vaſis, conficere velint: ſed potiùs in ferreis, è metallo omnium ſaluberrimo, aut terreis, lapideis, vitreiſque inſtrumentis, acria, aut acida, vel ſaltim vinoſa, medicamenta parent. Neque per hoc omnem uſum Medicum cupro denegare, ſed tantùm crudi, aut ſimpliciter ſoluti æris uſum internum improbare intendo; artificioſiora verò, & Philoſophica ex ære parata medicamenta non ſatis in medicinâ commendare poſſum; *Helmont.* enim ex ære elementum ignis ex vitriolo Veneris parat, quod eſt ſummè anodynum, cujus extractionem cum de mercurio egimus, docuimus.

Æris uſus antiquitùs fuit ante argentum, & penè etiam ante aurum. Virtutes ejus, & facultates ab omni ævo nobis innotuêre. Vetuſtiſſimus *Hippocrates* uſus fuit intrinſecùs, & extrinſecùs, ad hydropem, ad pleuritidem, &c. *Galenus* ejus uſum in extrinſecis morbis multùm commendat, in intrinſecis liberè fatetur de eo, ac de aliis mineralibus periculum nullum feciſſe, ut qui in

his

his non eſſet valdè eruditus.: de hydrargyro, quem non eſſe de ſpontè naſcentibus dicit, manifeſtè denotat. Poſteriores græci nec ejus intrinſecum uſum commemorant. Ad ulcera verò ſuis unguentis, & emplaſtris ſæpiùs miſcebat æris ſquaman, ejus eruginem, florem, & uſtum. Medici verò Chymicâ arte edocti, relicto ære crudo, alias præparationes agnoſcunt his longè præſtantiores, ex quibus frequenter experimur.

Primò *Veneris crocum* tali pacto parant.

℞. *Laminas Veneris f. s. s. s. cum ſale præparat. calcina paulatim leviter igniendo. Poſteà ignitas in aquam injice, atque à nigredine benè elue, iterumque f. s. s. s. calcina, atque elue ut priùs. Tandèm coque, ac repone, ut ſubſideat crocus, quem edulcora aquâ, & exſiccatum in vitro debitè munitum ſerva.*

Veneris crocus præditus eſt virtute adſtringente, & exſiccante: cujus uſus, ut plurimum in externis, qualia emplaſtra, unguenta, & pulveres adſtringentes ſunt. Proficuus eſt ad ſiccanda ulcera, quæ copioſo humore madent.

Non abſimili modo *Veneris calcinationes* fiunt, ac de ejus croco diximus: *Diſſolvitur enim cuprum in aquâ forti, ex ſale nitro, & alum. facta, & affuſione aq. tepidæ cum particula martis, vel lunæ præcipitatur ad fundum vaſis. Poſt abſtrahe rurſus aquam fortem per deſtillationem. Vel laminæ veneris reverberantur in æs uſtum in fornace figulorum, quod facilè contritione in calcem redigitur. Vel laminæ ponuntur in crucibulo cum æquali parte ſulph. triti f. s. s. s. & reverberantur 3. vel 4. horis in æs uſtum.*

Hujus uſus eſt in ung. Ægyptiaco, Apoſtolorum, præcipitato nigro, empl. de gratiâ Dei, &c. utimur loco flor. æris, quibus caremus. Prodeſt ulceribus putridis.

Secundò *Veneris vitriolum* tali ordine conficiunt præter deſcriptionem, quàm art. de vitriolo tradidimus, ut.

℞. *Cupri calcinati, ſive ſquamarum cupri q. v. reduc in pollinem, quem in aceto deſtillato per diem naturalem digere. Tinctum acetum per inclinationem effunde, & aliud reaffunde toties, donec non tingatur ulteriùs. Deplotiones filtra, & ad tertiam evapora, vel deſtilla, quod relinquitur in fundo vaſis, ponatur in locum frigidum, habebis vitriolum viride, obſcurum, & ſplendeſcens.*

℞. *Lamin. veneris q. v. cum ana ſulph. triti (ut dictum eſt in veneris calcinatione) reduc in pulv. ſubtilem, & in ollâ terreâ cum ſulph. trito calcinatur continuò cum baculo cupreo movendo, donec totum ſulphur combuſtum fuerit. Hinc calx denuò teritur, & cum octavâ parte ſui ponderis ſulph. triti calcinatur, ut ſupra, hocque quinquies, aut ſexies repetitur. Poſteà calx iſta in aquam ferventem projicitur, & baculo ſæpiùs movetur, dùm fundum vaſis petit, & aqua refrigeratur: quæ filtrata evaporet ex tribus partibus, & ponatur, in locum frigidum, ut cryſtallos cæruleas producat.*

Compendioſiori tamen proceſſu veneris vitriolum parabis, ſi illud efficies, ut de martis vitriolo diximus, eritque majoris efficaciæ, & energiæ.

Uſus vitrioli Veneris abſque alia præparatione valdè utilis in cachexiâ, ventriculo prodeſt, inappetentiam corrigit, fluores genitalium, tàm hominum, quàm mulierum ſiſtit,

ſiſtit, attamen in pauca doſi, aliter vomitionem excitaret.

Spiritus vitrioli Veneris eodem ferè modo, quo ſpiritus vitrioli martis, deſtillandus eſt per retortam probè lutatam, igne aperto, ad extremam radicalis humiditatis, oleique rubri expulſionem continuato igne, & ad ultimum gradum uſque adaucto, ſpatio. ij. dierum.

Hujus ſpiritus virtutes in roborando ſtomacho, ad medendum morbis capitis, febribus extinguendis, hyſtericis ſublevandis, aliiſque morbis curandis non ſunt exiguæ.

Oleum rubrum ex vitriolo Veneris elicitum, eſt mirabile in affectibus renum, & veſicæ, itèm in uterinis affectibus.

Parant alij *oleum viridis æris* cauſticum ità.

♃. *Virid. æris part.* j. *nitri part.* ij. *ponantur in catillo, incendantur carbone, donec deflagrarint, quod remanet ſolvatur in cellâ per deliquium, vel in veſicâ ſuillâ diligenter clauſa in aq. demerſa.*

Valet ad puſtulas Venereas, & verrucas abſumendas.

Sal Veneris eadem ferè methodo ac diximus in præparatione ſalis vitrioli, elicitur: & utriuſque eadem eſt præparatio. Veneris ſal calefacit interiùs, quàm reliqua metallorum ſalia, corroborat ventriculum, cruditateſque inibi emendat, proinde flatibus, aliiſque affectibus inde oriundis v. g. colico, & ſimilibus medetur. Uterum frigidum calefacit, ejuſque ſuffocationem ſanat, menſtrua promovet, renum quoque morbis ſucurrit. Doſis gr. ij. iij. ad v.

Parant tertiò nonnulli inſigne medicamen, qui dicitur *mercurius Veneris diaphoreticus* ità.

♃. *Limaturæ Veneris* ℥j. *merc. meteorizati* ℥ ij. *ſalis mercurialis* ℥ ij ß. *Trita, & ſimul miſta pone in matracium firmum, dando ignem arenæ: donec inſtar ceræ omnia liqueſcant. Tùm matracium ita calens frigidæ impone, ut in partes diſſiliat, & mercurius ſubviridis efflüat; quem exſiccatum in retortam parvam, cum ſpiritu ſulph. vel vitr. in cineribus per diem naturalem digerendum collocabis: & poſteà cum binis cohobiis in arenâ deſtillabis: tandemque ablues bis, aut ter, & ultima vice aq. cord. vel ſpiritu vini.*

Uſus. Non tantùm præſtantiſſimum remedium diaphoreticum eſt contra luem Veneream: Verùm etiam inſigne Bezoarticum contra peſtem. Doſis gr. j. vel ij. in aquâ theriacali, vel aliâ ſpecificâ.

Ex viridi ære *aquam* conficimus, quam *mineralem* appellamus, quæ per ſyphonem in penem injecta, gonorrhœam gallicam curat. In hanc eandem aquam mercurij meteorizati aliquot grana diſſolvere ſolemus qua caries, puſtulæ, & ulcera gallica ſtatim perſanantur.

Egimus de mineralibus perfectis, ex quibus in uſu Medico magnam medicaminum ſupellectilem ad morborum ſanationes extraximus; meritò nunc pro eorum completa cognitione de Bezoarticis agamus, oportet, quæ ex ipſis educuntur, cum illa maximopere decantemus, quòd ſudorifica, vel ſaltim diaphoretica ſint. Nullam enim calefaciendi vim habent: idque ex eorum inſipido ſapore probatur, cujus ratione etiam quibuſvis ægrotantibus delicatioribus, ingrata reſpuentibus me-

medicamina, cum ſalutis uſura exhibemus. Quot ſunt mineralia perfecta, tot ſunt Bezoartica, quæ ex ipſis parantur, & ideò nos in unum cogimus articulum.

ART. ULTIMUS.

De Bezoarticis.

BEzoarticum minerale ità paratur.

℞. Spumæ venenatæ duorum draconum ſemel rectificati ℥ iv. His calore reſolutis ſuperfunde ſpiritus ſalis balſamici uncias totidem, guttatim, nè nimiæ ebullitiones jacturam faciant ſpirituum. Deſtilla ex arenâ per cucurbitam cum alembico omnem liquorem ad ſiccitatem uſque, terram exime, & probè tere, eique liquorem deſtillatum reaffunde cum ℥ ij. ſpiritus recentis balſamici, & deſtilla ut antea. Huic pulveri trito reaffunde liquorem deſtillatum cum aliis ℥ ij. ut ſupra, & procede rurſus ut priùs. Maſſam tritam trade Vulcano Docimaſtico examinandam per aliquot horas: materiam continuò agitando rudicula ferrea pura. Tandèm eam, alkohol vini ab ea aliquoties abſtrahendo, rectifica, ut remaneat pulv. ſiccus, & candidus.

Uſus ejus ſingularis eſt in omnibus affectionibus peſtilentibus, & febribus malignis populariter graſſantibus: eas enim è centro educit, & evellit, ſudores potentiſſimè movendo. In eriſypelate capitis etiam curando potentiſſimum eſt remedium.

Doſis. Exhibentur gr. iij. uſque ad vj.

Bezoarticum Solare, ſeu Metallicum ità fit.

℞. Solis puriſſimi in aq. philoſophicâ ſoluti ℥ ij. ipſique adde guttatim liquoris gummoſi ſepties rectificati ℥ j. fiet maxima ebullitio. Pone matracium ſuper calidos cineres ad iij. vel iv. h. Tùm præcipita in aq. com. & ſæpiùs ablue ultimò cum aq. cordiali, & tandem exſicca. Habebis lapidem admirandæ virtutis: præſertim ſi ut Bezoarticum minerale, priùs rectè figatur.

Uſus. Diaphoreticum eſt utiliſſimum, quod vires conſervando, ſudores movet, articulorum dolores, artuumque morbos cum hydrope, & leprâ, omnibus ejus ſpecibus, in appropriatis vehiculis, expellit. Doſis à gr. v. ad vj.

Bezoarticum lunare, ità paratur.

℞. Lunam, eamque diſſ. in ſpiritu ſalis petræ, ut pondus ejus benè augeatur. Deinde ea in aq. viſcidam per digeſtionem redacta, funde unam ejus partem ſuper x. partes liquoris gummoſi benè rectificati, liquefactique, & ſuper hac miſtura ſpiritum ex ſerpente terreno bis, aut ter deſtilla, dando ignem magnum circa finem. Tandèm hæc materia in crucibulum poſita per unam horam, & dimidiam ignienda, atque ſuper ea in pul. redacta ſpiritus vini comburendus.

Uſus, ad cerebri affectus: eſtque ſpecificum ad omnes morbos muliebres. Doſis eſt à gr. vj. ad viij.

Bezoarticum Saturninum. Simili prorſus modo ex vitro ſaturni, quod fit ex minio, & ſilicibus ſimul fuſis, & aliquoties cum eodem butyro antimonij rectificato tincturam extrahe, illudque dicto cum ſpiritu nitri fige. Eſt in omnibus affectibus ſplenis remedium efficax.

Bozoarticum Joviale hoc modo paramus.

℞. *Reguli antim.* ℥iij. *Jovis puri in Angliâ nati* ℥ij. *Seorſim fuſa miſceantur, poſtea pulverizentur, pulv. adde merc. puriſſimi ſine arſenico exaltati, & priùs ſubtiliter in marmore lævigati* ℥v. *omniaque commiſta ſubitò in retortam parùm excalefactam ingere, & ultrò butyraceum ol. videbis egredi, gradatim tamen ignem ſubminiſtra, ut etiam poſt* ij. *horas ſuppreſſorium ignem adhibeas: hoc butyrum cum ſpiritu ſalis ter cohobando in album præcipitatum fige, & poſtea ignitum in ſpiritu vini extingue.*

Uſus Potenter ſudores pellit, prætereaque icterum, hydropem, lepram, luis Venereæ, & podagræ reliquias cum totâ radice funditùs per diapheresim evellit. Doſis à gr. j. ad iij. vel IV.

Bezoarticum Martiale, ex croco martis ſolius ignis beneficio facto, cum butyro antimonij rectificato in digeſtione elice tincturam rubicundiſſimam: Butyrum tinctura antimonij impprægnatum fige cum menſtruo fulminantis ſalis, more uſitato. Eſt ſpecificum, & præſentiſſimum remedium in omnibus fluxionibus ventris, & præſertim ab hepate ortum ſuum capientibus.

Bezoarticum Venereum ex baticturâ Veneris cum oleo antimonij dicto elicitur tinctura, quod fixatum ad Venereos morbos commendatur.

Bezoarticum Mercuriale. Ex vitro merc. vitæ cum butyro antimonij correcto elicitur tinctura rubea. Idèm igitur per ſpiritum nitri fixatum tranſit in bezoarticum excellens virtute prioribus non cedens.

His itàque modis poſſunt bezoartica, ſeu diaphoretica cum omnibus metallis fieri, in quibus virtuoſæ partes ipſorum metallorum cum butyro antimonij conjunctæ per nobile menſtruum ſalis nitri ſimul figuntur, ac in nobiles medicinas abeunt: Quinimmò ad eaſdem formas illorum plura alia ex iiſdem fingi, & confici poſſunt, de quibus priora ſæcula forſan non cogitarunt.

Et hæc ſatis ſint adducta ad hujus libri complementum, ex tot, tantiſque Chymiæ operationibus, quas deſcripſimus; quiſque filius artis ad ulteriorem aliorum medicaminum chymicorum præparationem ex proprio marte, labore, ſudore, impenſis, & patientiâ progredi poterit ad ulteriora arcana concinnanda, cum mineralium Regnum inexhauſtos contineat theſauros; Ideò nunc ſit

D. CA-

D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS, PYROTECHNIÆ SOPHICÆ LIBER ULTIMUS.

De Chymicis Magiſteriis ex Animalium Regno parabilibus.

TAndèm ad animalium regnum appulſi, ipſam nè dum laudibus extollere benigniſſimam naturam, verùm libenti animo gratari jucunda beneficentiæ recordatio nos monet, & pungit. Videmus nihil eſſe in hoc Orbe, quod ipſa noſtræ vitæ uſui non accomodaverit, ſive ut in rectâ ſuæ priſtinæ firmitatis conſuetudine conſervaret, ſive à præſentibus malis quibus ſæpiſſimè angitur, liberaret. Triplex regnum huic miniſterio deſtinavit, ut hæc omnia perageret. Satis quippè cuilibet manifeſtum fiet, ſi naturæ opera contemplabitur, noſtram vitam continuo, ne dum vegetantium, & animalium hauſtu ali, verùm etiam mineralium; latent ſiquidem mineralia, & in omnibus corporum partibus natura abſtruſit, quibus non apertè, ſed furtivo quodam modo veſcimur. Vel aër, & aqua quâ utimur quotidiè, varia ſalium genera, & mineralium intra ſe continet.

Attamen non rarò varia iſtorum miſcela humana corpora agitata infirmantur, & tandèm obruta malis concidere neceſſe eſſet, niſi provida natura ex triplici eodem Regno medicamenta deprompſiſſet, ut nunquàm à lege tutandæ vitæ illis data deſciſceret. Undè ſat illi non fuit ex vegetantium, & mineralium regnis medicamenta miniſtraſſe, niſi ex animalium quoque largiretur. Quadere ordo poſtulat, ut poſtquam peragravimus Vegetabilium, & Mineralium regna, jure merito illis de medicaminibus, quæ ex Animalium regno educuntur, agamus, neceſsè eſt: attamen hunc librum in unum caput comprimemus; ideò ſit

Caput Unicum.

Quæ Animalia ſub hoc Regno contineantur.

Cum vegetabilibus hoc habent animalia commune, quod alimentum in vegetationem utraque ſumunt, hæc ore, radice illa quidem, quæ ſenſibus rurſus inferiora ſunt animalibus. Sub animalium Regno continentur animalia, tàm perfecta, ut ſunt homo, & cuncta bruta, quàm imperfecta, & horum tria ſunt genera, reptilium in terrâ, volatilium in aëre, & natatilium ſub aquis; horum aliqua inſecta vocantur, quæ ex putri materiâ naſcuntur, ut lumbrici, muſcæ, ranæ, &c. De his omnibus in præſenti libro nos agemus, quæ ad uſum Medicum pertinent, & de omnibus eorum partibus, tàm fluidis, quàm ſolidis, ut ſunt carnes, oſſa, membranæ, ſanguis, ſperma, excrementa, & cœtera, quare præſens caput in tres partiemur articulos; in primo agemus de illis medicaminibus, quæ ex homine; in ſecundo, quæ ex brutis; & in tertio tandèm, quæ ex inſectis eliciuntur. Ad hanc pertractationem complendam ob temporis penuriam non ſicco veſtigio tranſibimus, ſed aliqua ſelectiora, & præcipua, ut noſter mos eſt, dicemus.

Art. Primus.

De Medicamentis Chymicis, quæ ex Homine eliciuntur.

Cum præcipuum inter animantia locum teneat mortalis homo, cum ob animam rationalem ad Omnipotentis Dei imaginem conditus ſit; meritò primò de illis agemus medicaminibus, quæ ex homine educuntur. Nulla equidem pars in homine extat, tàm homogenea, quàm ætherogenea, tàm alimentitia, quæ in nobile non tranſeat pharmacum. Et quidem

Ex humanâ carne paratur mumia, (non loquimur de mumiâ, quæ reperitur

peritur in Ægypti ſepulchris), quæ ab alto devolutis medetur.

Ex ſanguine varia parantur medicamenta, ut *ſal armoniacum*, tali modo.

℞. *Sanguinis humani lib.* j. *ſanguinis bovis, vel alterius animalis lib.*ij. *aq. putei lib.* VI. *m. & filtra, pone ad ignem, & bulliant ad conſumptionem aq. & ſal manebit in fundo.* De ejus præparatione, & uſu fuſiùs diximus in proprio articulo.

Sal ſanguinis humani quoque paratur ex fæcibus poſt olei extractionem relictis. Extracto ſiquidem oleo, ignis augetur, tunc ſal volatilis ad retortæ, vel capitelli ſpondilia ſublimatur. Vel fæcibus concrematis, & in cinerem verſis aqua ſtillatitia affunditur, filtratur, & tandem deſtillatur, vel evaporatur, & in vaſis fundo remanet ſal, repurgatur, & pellucidus redditur, ut in art. de ſalium vegetabilium præp. diximus.

Hic ſal morbis veſicæ, podagræ, chiragræ, & gonagræ medetur.

Paratur ex humano ſanguine *oleum* ità.

℞. *Sanguinis juvenum (verno tempore extracti) q. s. m. cum ſuff. quantit. ſpiritus vini, cucurbitis benè munitis, digere in ventre equino per menſem, dein deſtilla igne ciner. & progredietur unà cum aquâ ol. Repete deſtillationem in M. B. & extrahes ſpiritum cum phlegmate miſtum, rectifica in retortâ novies, & habebis oleum.*

Uſus. Maximè commendatur ad epilepſiam radicitùs tollendam, (ſi ſingulis diebus per menſem integrum ſumatur ℈ß. à novilunio incipiendo, & poſtmodum ſingulis noviluniis ſemel per annum ℈j.), ad paralyſim, apoplexiam, pulmonem exulceratum, pleureſim, &c.

Ex *cranio humano*, (quod ad capitis morbos conferre compertum eſt, & nominatim ad epilepſiam,) paratur *magiſterium* hoc pacto.

℞. *Limaturæ cranij humani nunquam humati, humoreque adventitio privati q. v. cum alkohole vini ſalviato ad supereminentiam* VI. *digitorum, per menſem dimidium digere, deinde per retortam pelle reaffuſum liquorem, cum capite mortuo denuò digere, ac viciſſim deſtilla, idque tertiò repete. Tandèm omne abſtractum aliquandiù circula, abſtractoque alkohole vini è lento B. & eſſentiam cranij inſtar coaguli remanentem ſerva.*

Uſus. Epilepſiæ eſt verum curativum, ſi ejus gr. aliquot in convenienti vehiculo exhibeantur.

Humano *ex cranio* paratur *ſal*, & extrahitur ex ipsâ cranij limaturâ remanente in fundo retortæ, quæ calcinatur, & s. a. ſal extrahitur, quod maximoperè epilepſiæ prodeſt.

Eodem modo pariter ſal elicitur ex omnibus oſſibus humanis: ſed cum difficulter calcinetur, ſulphuris flos adhibendus eſt, & poſteà extrahitur cum aquâ ivæ arthriticæ. Ità humana ſalia parata exhibentur in paucâ quantitate in doloribus articularibus & unumquodque os ſpecialem habet proprietatem juvandi patientium partes; nàm ſi ſal educitur ex cranio, prodeſt morbis capitis, ex manuum oſſibus chiragræ, pedum podagræ, &c.

Uſnea cranij eſt moſcus naſcens in cranio interempti, aëri expoſito, ingrediturque compoſitionem unguenti ſympathetici, ſcilicèt magnetici.

Ex urinâ humanâ paratur *ſpiritus*, ut

℞. *Urinam infantis ſani bibentis vinum, quam relinque in vaſe opt. obturato per menſes ij. ut putrificetur, deindè deſtilletur ex cucurbitâ, cujus orificium obturetur triplici charta ol. imbuta, vel ſpongia ſimiliter imbuta, quâ ſpiritus urinæ igneus tantùm tranſit. Poſtea rectificetur: fiet igitur ſpiritus omnis fœtoris expers.*

Inſeruit hic ſpiritus ad omnes obſtructiones internorum membrorum, utpotè hepatis, lienis, hypochondriorum, meſenterij. Flavam, & nigram icteritiam, & cachexiam curat. Calculum renum, & veſicæ atterit, doloreſque inde ortos ſopit.

Ex eadem *urinâ humanâ* extrahitur *ſal*, quod fit filtrando urinam, & eandemmet coagulando, & aceto ſtillatitio diſſolvitur, & coagulatur, ità repetendo per tres, vel quatuor vices. Facultatem habet abſterſivam, undè obſtructionibus convenit.

Ex humanis calculis ſal extrahitur, qui à *Paracelſ.* ludus humanus appellatur, cujus præparationem ſparſim commendat; nuſquàm tamen ejus deſcriptionem genuinam, à multis hactenus exoptatam, & anxiè quæſitam, reliquit, ut

℞. *Calcul. calcina primùm igne lento, dein magno, inque pulv. redactos, cum æquali portione ſulph. & ſalis petræ miſtos reverbera in alkohol albiſſimum, quod ad ignem cinerum moderatum in ſuccum berberum clarificatum ponatur, oportet, donec totum diſſolvatur: tunc filtrato liquore, extillandus is eſt per B. ad ſiccitatem, ſic ſal manebit in fundo vaſis.*

Uſus. Expellit potenter calculum è renibus, & veſica. Exhiberi poſſunt ejus gr. iij. iv. in decenti vehiculo, Lunâ creſcente: eſtque doſis aliquoties repetenda.

Hæc ſunt, quæ de medicamentis ex homine depromptis brevitas ſcribere permiſit, qui plura cupit, paſſim apud authores inveniet.

ART. SECUNDUS.

De Medicaminibus, quæ ex Brutis educuntur.

Bruta multa medicamina exhibent, quæ quidem magnos habent in medicinâ uſus.

Johannes Baptiſta Van-Helmontius ex hirci ſanguine in pleuritide nunquàm ſatis laudabile medicamen parat, ità inquiens: *Hircum ſuſpende cornibus, alligatiſque pedibus poſtremis ad cornua, abſectis teſtibus caſtratur. Cruor inde emanans uſque in ejus mortem excipitur, & ſiccatur. A vendibili cruore (qui nil niſi ovillus eſt) dignoſcitur, quòd venalis facilè teratur, ejus pulvis ſit puniceus: hircinus autem verus difficillimè, atque tædioſiſſimè teritur, eſtque picei coloris pulvis illius.*

Doſis eſt ad ℨj. per tres, vel quatuor vices in aqu. card. bened. ſyrup. papav. rheados in pleuritide. Datur quoque in inflammationibus internis, in anginâ, & ſputo ſanguinis.

Idem ſupra cit. author ex ſanguine, & carne leporis, duo in fallibilia remedia parat, dicens: *Pavidiſſimum ergò animal leporem videlicèt occiderunt, non quidem telo, ut inopinâ morte occumbat: ſed venando, ut per canum morſum intereat: quò vis geminata pavoris imprimatur in ejus totum. Itàque linteum in leporis ſanguine tinxerunt, & ſiccatum aſſervaverunt. Idemque in vino carptim* ex-

exhibuerunt, & curata eſt dyſenteria. Itemque ſiccum appoſuerunt eriſypelati, & ſanatum eſt. Imò milites Germani leporem fumo ſiccatum præbent in potu, & curatur dyſenteria non fallaci eventu. Doſis ſanguinis, & carnis eſt ℥j. Leporis pinguedo uncta ſpinam digito, vel alteri loco fixam una nocte extrahit.

Multa animalium ſtercora mirabiles, & præſtantes obtinent medicamentoſas virtutes; Conſtant enim ſpiritu volatili fætente flagrabili (ſulphur fætidum vocant) & ſale fixiori nitroſo, quo agri fæcundantur (ut diximus,) & interim, ut humanum taceamus ſtercus (res profectò indigna, à quopiam ut in uſum advocetur,) *Pavonis ſtercus* multoties non fallaci eventu in vertigine, & epilepſiâ experti ſumus, hoc modo.

℞. Stercus pavonis, exſicca, & reduc in pulv. maceretur ℥j. per noctem in vino. Trajice per linteum, & exhibe vertiginoſo, vel epilecticis mane jejuno ſtomacho ad multos dies continuando à novilunio uſque ad plenilunium, aut amplius, ſi opus ſit. Poteſt admiſceri ſaccharum.

ART. ULTIMUS.

De Medicaminibus, quæ ex Inſectis eliciuntur.

NOn minoris efficaciæ ſunt medicamenta inſectorum, ac cunctorum aliorum animantium, undè multa magiſteria parantur, & quidem in uſu Medico magnifacienda.

Parant ſpagyrici ex ranarum ſpermate illud medicamen, quod *ſperniola* appellitatur, ad cujus intelligentiam ſciendum eſt, quod ſperniola eſt ſperma ranarum, quod ineunte vere, hinc, inde circa lacus paluſtres, & ſtagna reperitur; undè poſteà ſolis beneficio ranæ in viva animalia excoquuntur. Illud autem ad medicinam colligendum eſt Menſe Martio ante Solis ortum, & quidem triduo, vel quatriduo ante novilunium, (in plenilunium enim maximè fætet,) inque uſus adhibendum. Chirurgi periti eo crudo imbuunt lacinias, eaſque viciſſim, idque ſæpiùs faciunt. Iis utuntur poſteà ad inflammationes quaslibet vulnerum tollendas, imò ſi ſuprà iiſdem emplaſtra extenduntur, mirificè eoſdem affectus retinent. In eriſypelate pedum, vel manuum, aut alterius membri externi, ſæpiùs recurrente, nihil eo utiliùs eſt, ſi tantùm ſicca talis lacinia, cùm ſperniola cruda præparata loco affecto applicetur, ac membrum involuatur. In tybiis, ſeu cruribus eriſypelas facilè cedit, ſi ex linteis fiant tibialia affabrè facta. Hæc verò ſepties, vel etiam ampliùs cum eâdem ſperniolâ imbibantur, & quaſi cum eâdem conquaſſentur, denuoque exſiccentur. Hæc nimirùm multos annos durare poſſunt, modò nè aqua alia extergantur, vel mundentur. Ab eorum uſu nec tàm facilè redit eriſypelas, nec tàm difficulter repellitur, quin ſtatim ab initio applicationis, & dolor, & tumor cum rubore faceſſant.

℞. Spermatis ranarum q. v. in menſe Martio, deſtilletur per ſe in B. triduum ante novilunium collecti (ut ſuprà diximus) ſic enim non fætet. Habita hac aquâ.

℞. Myr.

℞. *Myr. el. thur. maſc. an.* ℥ ij. *croci triti* ʒ iij. *tere omnia, & m. Hunc pulv. imbibe aq. ſtillatitiâ ſperniola, ideſt ſpermatis ranarum, vigeſies, vel trigeſies, ità tamen ut ſemper priùs ſpontè exſiccetur, poſteà ad uſus ſuos ſervandus eſt.*

Uſus. Summum eſt remedium in hæmorrhagiâ è naribus, gutture, utero, quia frigiditate ſuâ ſanguinem coagulat. Confert quoque, ſi ſolvatur cum aceto, & eriſypelati, doloribuſque podagricis calidis applicetur. Hæmorrhagiam quoque vulnerum impoſitione ſiſtit, panaritium necat, &c.

Parant *ex Ranis alkalia* hoc modo.

℞. *Ranas vivas q. v. pone in ollâ vitreatâ, operculo benè clauſâ, & in furno poſt panis extractionem opt. exſiccentur ad perfectam pulverizationem, poſt quam in vaſe ſerva.*

Uſus. In immodico menſium fluxu, in vomitu, & ſputu ſanguinis, in fluore albo mulierum, hæmorrhagiâ, & gonorrhœâ. Doſis ʒj.

Bufo, etſi animal ſit deterrimum, venenoſum, & abominabile; attamen non effugit uſum Medicum, eumque tùm internum, tùm externum. Internè ejus pulvis hydropicorum aquas per urinam educit; externè autem eſt *peſtis præſagium*, & *antidotum*, undè cap. de Anthrace fuſiùs egimus.

Paratur mirabile *oleum ex Bufonibus* ſequenti modo.

℞. *Bufones ij. vel iij. purgenturque per iij. dies. Inde ollæ novæ vitreatæ, quibus ſuperfunde olei lib. v. vel VI. claude vas nè quid expiret, bull. in aperto Jove, lento igne per ſex horas. Permitte vas ſponte refrigerari, decanta, & ad uſus ſerva.*

Uſus. Eſt veluti ſingulare arcanum, purgato corpore, avulſiſque capillis, in curandâ Tineâ, & Alopeciâ pluries partem affectam inungendo.

Peragrato jàm tandèm animalium Regno, nunc tempus monuit rem omnem ad umbilicum ducere. Quantâ induſtriâ, quantâque ſolertiâ in in alienæ utilitatis compendium his talibus ſtuduiſſemus: multus labor, quo plurimis ab hinc annis Pyrotechnicâ in re inſumimur, ſummâque animi delectatione tenemur, per hæc pauca noſtri ingenij teſtimonia vos edocuit. Unum dumtaxat credatis velimus (quod ſat ipſi obſervare potuiſtis) non temerè hæc omnia, quæ ad exactam medicamentorum præparationem ſpectabant noſtro huic libello intruſiſſe. Optima ſiquidem ſelegimus, multa, probat priùs meliorum authorum fide, multoties ad rationum incudem devocando conquiſivimus, complura noſtrâ diligentiâ exactiſſimâ paſſim ignis examine, laborata protulimus; ità ut nihil in hiſce deſiderandum, quod abſolutiſſimè rei conveniret, reliquiſſe, niſi ſuſcepti negotij amor me fallat certo certiùs adducor. Si grata, cordique fuerunt, veſtræ humanitati acceptum referimus, qui hos meos labores probare non dedignati eſtis, ad graviora forſan laceſſuri. Undè Deo gratari licet, qui ex noſtri animi ſententiâ huic operi, & fundamenta jecit, & ſupremum impoſuit faſtigium.

FINIS.

INDEX

RERUM, ET MATERIARUM, QUÆ IN PYROTECHNIA SOPHICA Continentur.

A

Ab alto devolutus. 77
Acetum deſtillatum. 97
Ægyptij ſummoperè Chymiam excoluerunt. 3
Ægyptus Sacra Lingua Chemica dicitur. 8
Æris principia, ejuſdem cum auro cognatio. 190
  Vſus antiquus apud Hip. & Gal. ibid.
Albugines 123
Alkaeſt, ſeu menſtruum univerſale. 43
Alopecia 200
Alvi fluxus, & proſluvium. 77. 83
Aluminis natura. 124
  Vſtum infallibile medicamen. 125
Amalgamatio quid ſit. 18
Ambuſta. 181. 182
Angina. 122. ibid. 198
Animalium nomina. 22
Animi deliquium. 81. 88
Antimonij varia nomina. 146
  Exitiale venenum apud Vulgares. 145
  Vſus vetuſtiſſimus. 146
  Mechanicis inſervit. 147
  Crudum non officit. ibid.
  Quibus principiis conſtet. 146
  Diaphoreticum. 149
  Mercurius. 157
  Oleum. 156
  Regulum. 151
  Sal. 157
  Sudorificum Fabri. 151
  Sulphur. 157
  Vitrum. 152
Aphtha. 111
Apoplexia. 77. 138. 153. 197
Appetitus dejectio. 82
Aqua Aluminoſa Fallopij. 125
  Arterialis. 125
  Anti Venerea. 147
  Benedicta Rulandi. 149
  Fortis, ejuſque variæ deſcriptiones. 130
  Ophthalmica. 149
  Ophthalmica Angeli Salæ. 185
  Regia. 131
  Saphirea. 123
  Saturnina, ſeu Æſculapij. 183
  Solativa Communis. 126
  Solutiva Magiſtralis. 127
  Theriacalis. 91
Arcanum Corallinum. 168
Argenti principia. 178
Arſenici natura, & ſpecies. 160. 161
Arthritis. 77. 73. 74. 80. 85. 94. 118
Aſthma. 74. 78. 143. 180
Aſtra ignea, & ſumma intelligentia prædita Oceani, Terræque humoribus aluntur. 33
Auripigmentum per quid differat à Sandarachâ. 160
  Sybillinum Oraculum interpetratur. 161
  Ineſt verum aurum. ibid.
Aurum ex tribus principiis conſtat. 175
  Fulminans cur tonet. 177

B

Balſamus Caryophyllorum. 92
  Sulphuris. 144
  Vitæ. 92
Bezoarticum Ioviale. 194
  Lunare. 193
  Martiale. 194
  Mercuriale. ibid.
  Minerale. 190
  Saturninum. ibid.
  Solare. ibid.
  Venereum. 194
Butyrum Antimonij. 153
  Arſenici. 162
  Saturni. 183
  Sulphuris. 143

C

Cachexia. 124. 129. 150. 187. 198
Calcinatio quid ſit. 46
  Quare illâ utuntur Chymici. 47
  Diviſio, & ſubdiviſio. 48
Calculus. 84. 85. 86. 95. 105. 122. 119
Caligo Oculorum. 90
Calix Chymicus. 151. 158

Calomelanos Turqueti. 168
Cancer. 79
Catarrhus. 82. 83. 85. 90. 143
Cautiones in exhibitione opiatorum. 94
Chiragra. 72
Cholera. 69. 70. 77
Chymia cum ipſo Mundo orta fuit. 3
  Ejus varia nomina. 8
  Definitio. 9
  Dignitas. 10
  Neceſſitas. ibid.
  Officium. ibid.
Cementatio quid ſit. 48
Cinnabaris antimonij. 154
Coagulatio quid ſit. 55
  Multipliciter fit. ibid.
Colchotar. 113
Colica. 84. 95
Colorum multiplicitas unde oriatur. 80
Contraria contrariis quomodo ſit intelligendum. 59
Convulſio. 146
Coralliorum ſpecies. 133
Cremor Sulphuris. 143
  Tartari. 127
  Ejus animadverſiones. ibid.
Crocus Martis. 187
Croci Martis eſſentia. 188
  Metallorum. 148
  Martini Rulandi. ibid.
  Veneris. 191
Cryſtalli Salis Communis. 117
Cupellatio quomodo fiat. 180

D

Decocta quâ ratione exſiccant. 102
  Vulneraria quomodo vulnera, & ulcera curant. 104
  Eorum varia formulæ. ibid.
Delirium. 94 180
Democritus Chymiæ peritiſſimus. 6
Deſtillatio quid ſit. 53
  Quotuplex. 54
Diarrhœa. 134. 187. 188
Diatartarus in formâ electuarij. 126
  in formâ pulveris. ibid.
Diocletianus Chryſopopaia libros combuſſit. 6
Dolor Capitis. 71
Dyſenteria. 69. 77. 83. 113. 115. 134. 187. 188
Dyſuria. 116

E

Electuarium granorum juniperi. 84
Elementa invicem non tranſmutantur. 29
Ens morboſum à duplici causâ in Archeo concepta conſtituitur. 60
Elixir Crollij. 90
  Helmontij. 89
  Peſtilentiale. 96
  Proprietatis Paracelſi. 89
  Vitæ. 91
  Vterinum. 91
Epilepſia. 82. 95. 105. 112. 113. 134. 188 174. 180. 183. 197. 199.
Eryſipelas. 118. 128. 193. 199. 200
Eſſentia Brioniæ. 75
  Cinnamomi. 88
  Cucumeris agreſtis. 74
  Ebuli. 72
  Eſſenſificatio ſpiritus ſalium. 118
  Gemmarum. 140
  Granorum Kameactes. 73
  Menthæ. 69
  Perlarum. 137
  Sambuci. 72
  Terebinthinæ. 86
  Thuris. 87
  Titymalorum. 71
  Volatilis ex floribus, fructibus, & herbis. 65
Exantemata. 150
Excreſcentia carnea. 108. 125
Extractum Agarici. 77
  Aloës. 79
  Guttæ gambæ. 80
  Marchaſitæ. 159
  Rhabarbari. 77
  Scammonij. 79
  Senæ. 78

F

Fabulæ quamplurimæ num de Chymiâ intelligantur. 6
Fames præter naturalis. 69
Febres 68. 72. 94. 113. 154. 172
  Ardens. 82. 110. 122. 157. 182
  Continua. 84
  Erratica. 170
  Maligna. 66. 91. 110. 118. 150
  Petechialis. 170
  Putrida. 91
  Quartana. 73. 74. 80. 84. 89. ibid. 112. 123. 124. 129. 150. 183.
  Tertiana. 84
Febrifugum Lazari Riverij. 170
Fæcula Brioniæ. 75
Ferri principia. 186

In

In Chalybem tranſmutatio. 186
Ficus purgantes. 72
Flores Antimonij. 155
Sulphuris. 141
Fluxio. 82. ibid. 85. 94. 110
Fluxus hepaticus. 95. 134
Fœdus Virginum color V. Pallidi Virginum Colores.
G
Gangrana. 113. 153. 156
Gemmarum ortus. 131
An vita ſint noxia. 132
Gingivarum laxitas. 121. 125
Gonorrhœa. 86. 87. 122. 187. 188. 190
Gryllus Paracelſi. 113
H
Hæmorrhagia. 95. 109. ibid. 113. 183. 187. 188. 200
Hæmorrhoides. 183. 188
Hemicrania. 90
Hepar antimonij. 149
Hermes Triſmegiſtus Chymiæ reſtaurator. 5
Hydrops. 73. ibid. 74. 76. 80. 112 128. 129. ibid. 134. 150. 152. 154. 159. 168. 188. 193. 200
Hyſterica paſſio. 91. 185
I
Ignis quid ſecundum Hippocratem. 31
Paracelſum. 34
Helmontium. ibid.
in fornace Babylonis quare non combuſſit. 36
Quotuplex. 37
Actualis gradus ſecundum Helmont. 38
Iuxta Authorem. ibid.
Fermentalis quid ſit. 43
Fermentum duplex eſt. 45
Indigeſtio. 69
Inſtrumenta Chymiæ deſcribuntur. 23
Iſchiadus dolor. 75. 143
Iulep vitalis ſimplex. 100
Compoſitus. 101
Iuppiter diaphoreticus. 185
L
Lac ſulphuris. 143
Lapides, vitrum, carbones, &c. cur divorentur. 133
Laudanum opiatum. 93
Lentigines. 118. 128
Litargyrium. 181
Lunæ calcinationes. 179
Lutandi inſtrumenta varij modi. 25
M
Magiſterium coralliorum. 135
Cranij humani. 197
Gemmarum. 138
Marchaſitæ. 159
Manna potabilis, vulgo aqua Angelica. 100
Marchaſitæ natura, & ſpecies. 159
Medicamenti definitio. 58
Quotuplex. 62
Circa quam verſatur Chymia. 63
Memoriæ imbecillitas. 88
Menſtrui definitio, diviſio, & ſubdiviſio. 40
Menſtrua alba. 188. 200
Retenta. 74. 75. 78. 88. 105. 127. 129. 150. 151
Mercurius ex quibus conſtet principiis. 163
Dulcis 168
Diaphoreticus. 154
Catharticus. 154
Correctus. ibid.
Diaphor. Helmontij. 171
Paracelſi. ibid.
Precipitatus albus. 169
Sublimatus. 167
Metallorum nomina. 20
Metallorum, & mineralium nomina. 26
Minium. 181
N
Narcoticorum effectus. 86
Neapolitanorum horti cur fertiles. 121
Nepenthes Quercetani. 93
Nitri varia nomina. 119
Quid ſit. 121
Vbi maxime abundet. ibid.
Calidum, an frigidum ſit. 122
O
Obſtructio. 74. 76. 83. 85. 110. 113. 118. 124. 127. 128. 129. ibid. 146. 150. 180. 187. 188.
Oleum Arſenici. 162
Bufonum. 200
Cinnamomi. 88
Coralliorum. 135
Menthæ p. d. 70
Mercurij diaphoretici dulcis. 174
Perlarum. 137
Sacchari. 101
Sanguinis humani. 197
Senæ. 78
Sulphuris. 143
Tartari p. d. 128
Vitrioli. 110
Opium calidum ſit, an frigidum. 96
Ophthalmia. 82. 101. 111
P
Pallidi Virginum colores. 74. 80. 187. 188

Panacea Antimonij. 157
Peſtis. 133. 134. 148. 182
Phrenitis. 94 138
Pleuritis. 83. 105. 122 150. 198
Plumbi principia. 180
Podagra. 72. 76 117 143. 168 197
Principia rerum omnium diſquiruntur. 16
Pulvis Angelicus, ſeu Algoreth. 153
Emeticus. 154
Iohan. de Vigo. 172
Marci Cornacchini dictus Cerberus. 150
Sympatheticus. 109
Putrefactio quid ſit. 52
Pyrius pulvis cur tanto impetu erumpat. 119

Q

Quinta eſſentia ſalis communis. 118

R

Ranarum alkalia. 199
Raucedo. 101
Reges tantùm Chymiam exercebant. 6
Regulus Antimonij ſimplex. 151
Rubinus diaphoreticus. 162
Ex auripigmento. ibid.
Sulphuris. 144
Rubedo oculorum. 182

S

Sacchari liquor. 101
Saccharum, ſeu ſal Saturni. 182
Salis Armoniaci natura. 123
Ejus confectio. 197
Coralliorum. 134
Cranij humani. 197
Fixum ex vegetabilibus. 68
Gemmæ. 118
Iovis. 185
Prunellæ. 122
Tartari. 127
Vitrioli. 112
Vrinæ humanæ. 198
Sanguinis hirci ad pluritidem præparatio. ibid.
Sanguinis profluvium. 109
Solutio quid ſit. 51
Quotuplex. ibid.
Spiritus vini vim narcoticam continet. 96
Cur ſit inflammabilis, ſecus aceti. 98
Spiritus Arſenici. 162
Ardens Saturni. 182
Mercurij albi diaphoretici. 173
Rubri. ibid.
Salis communis. 116
Dulcis. 117
Salis armoniaci. 423
Tartari. 128
Vini. 98
Vitrioli. 109
Vrinæ humanæ. 198
Spuma venenata duorum draconum. 133
Stamni principia, & proprietates. 184
Stercus pavonis. 199
Sublimatio quid ſit. 49
Sudorificum Fabri. 151
Sulphuris natura, effectus, & ſpecies. 141
Auratum diaphoreticum. 51
Mercurij. 174
Veneris. 171
Tartari. 129
Vitrioli dulce, & anodynum. 113
Syrupus emeticus. 149

T

Tabella ſulphuris. 142
Tartari natura. 125
Nitratus Mynſicht. 126
Vitriolatus. 129
Terra exanimata vitrioli. 136
Theriaca Germanorum. 84
Tinctura Abſynthij. 83
Antimonij. 156
Baccarum juniperi. 83
Coralliorum. 135
Corticis Peruviani. 84
Croci Martis. 188
Florum hyperici. 83
Florum Serpentariæ. 82
Gemmarum. 139
Lunæ. 180
Papaveris erratici. 83
Perlarum. 138
Roſ. pallidar. moſcatarum. 81
Rhabarbari. 85
Saturni. 183
Sulphuris tartariz. 144
Tartari. 130
Violarum. 82

V

Vegetabilium nomina. 22
Veneris calcinationes. 191
Vini ſpiritus, quibus prodeſt, & quibus obeſt. 99
Vitriolum quid. 108
Martis. 188
Veneris. 191
Vitrum Antimonij album. 154
Vulneraria ſimplicia. 103

Z

Zara in Hermetis ſepuchro Smaragdinam tabulam reperit. 4

FINIS.

INDEX AUTHORUM
QUI IN
OPERIBUS MEDICIS CHYMICO-PRACTICIS
R. D.
CAROLI MUSITANI
Citantur, & Laudantur.

A

Aëtius
Ægineta *Paulus*
Agricola *Joannes*
Agrippa *Cornelius*
Albertus Magnus
Alchmæon
Alexander ab Alexandro
Alexander Benedictus
Algoretus *Victorius*
Alpinus *Proſper*
Altimari *Donatus Antonius*
Amatus Luſitanus
Aquapendente *Hieronymus Fabricius*
Arantius *Julius Cæſar*
Arcæus *Franciſcus*
Arceſilas Pitanæus
Aretæus
Argenterius *Joannes*
Ariſtoteles
Arnoldus de Villâ novâ
Aſellius
Athenæus
Averroës
Avicennas

B

Bacchinus
Balduinus
Barbatus *Hieronymus*
Barbette *Paulus*
Bartholetus *Fabritius*
Bartholinus *Thomas*
Bartholus *Sebaſtianus*
Battimelli *Andreas*
Bauhinus *Joannes*
Bauderonius
Bauſchius
Bayrus *Petrus*
Beguinus *Joan. Baptiſta*
Birckmannus
Boëtius *Anſelmus*
Borellus
Bonetus *Theophilus*
Bourdelonius
Bovius
Boyle *Robertus*
Braſſavolus *Ant. Muſa*
Brendelius
Bruele *Gualterus*
Brunnerus *Balthaſſar*

C

Cabrolius
Capua *Leonardus à*
Capucius *Joan. Baptiſta*
Cardanus *Hieronymus*
Cardilucius
Capivaccius *Hieronymus*
Carrichterus
Carteſius
Caſaubonus *Iſaac*
Caſtelli *Petrus*
Caſtro *Rodericus à*
Cato
Cattierius *Iſaas*
Catullus
Cælius Aurelianus
Cæſalpinus *Andreas*
Celſus *Cornelius*
Charleton *Gualterus*
Chriſippus
Cicero
Cleanthes
Cloſſæus
Cole
Columbus *Realdus*
Conciliator *Petrus Aponenſis*
Conringius
Conſentinus *Thomas Cornelius*
Conſtantinus *Cæſar*
Cornachinus *Marcus*
Cornelius à lapide
Crollius *Oſualdus*
Curtius *Matthæus.*

D

Democritus
Deuſingius *Antonius*
Diemerbroeck *Isbrandus*
Diocles
Diodorus Siculus
Diogenes Laërtius
Dioſcorides
Divus Auguſtinus
Divus Hieronymus
Divus Paulus
Divus Thomas de Aquino
Dolæus *Joannes*
Donodæus
Donatus Marcellus
Donzellius
Doringius *Michaël.*

E

Entius
Epicurus
Epiphanius Ferdinandus
Eraſiſtratus
Eraſmus Roterodamus
Eraſtus *Thomas*
Ettmüllerus *Michaël*
Euripides
Euſebius
Euſtachius Rudius.

F

Faber *Petrus Jo.*
Fallopius *Gabriel*
Ferillo *Paulus Æmilius*
Fernelius *Joannes*
Fioravanta
Fonſeca *Petrus*
Fontanus *Nicolaus*
Foreſtus *Petrus*
Fracaſtorius *Hieronymus*
Freitagius *Joannes.*

G

Gabelchoverus
Galenus
Galilæus
Gaſſendus
Geberus
Geignerus
Gellius
Geſnerus *Cornelius*
Gliſſonius
Goclenius *Rudolphus*
Gordonius *Bernardus*
Guainerius,

H. Ha-

H

Haly Abbas
Hermes Triſmegiſtus
Hartmannus *Joannes*
Harveus *Gulielmus*
Helmontius *Joan. Baptiſta*
Heer *Henricus*
Hercules Saxonia
Herodotus
Herophylus
Highmorus *Nathanaël*
Hildanus *Gulielmus Fabricius*
Hippocrates
Hollerius
Holſtius
Hoffmannus
Homerus
Horatius
Horne *Joan. Van*
Hoſtius *Gregorius*
Huduardus.

I

Ingraſſias
Joan. Baptiſta Gemma
Joel *Franciſcus*
Joubertus *Laurentius*
Julius Firmicius
Julius Jaſolinus
Junghen
Juvenalis.

K

Keplerus
Kerchringius
Kircheringius.

L

Langius *Joannes*
Laurentius *Andreas*
Levinus Lemnius
Leonicenus
Libavius
Lindanus
Livius
Lucianus
Lucretius
Lullius *Raimundus.*

M

Magalotti
Malpighius *Marcellus*
Marchettis *Dominicus de*
Marcus Marci
Maſſaria
Matthæus de Gradibus
Matthiolus
Mercatus *Ludovicus*
Mercurialis
Meſues
Monardes
Morton *Riccardus*
Mynſicht *Adrianus à*

N

Natalis *Stephanus*
Nicander
Nyloë *Clemens*

O

Oribraſius
Ovidius

P

Palmarius
Paracelſus
Pauſanias
Pecquetus
Petræus
Platerus
Plato
Platonicus Proculus
Plinius
Plutarchus
Poterius *Petrus*
Poſthius
Prævotius *Joannes*

Q

Quercetanus *Joſeph*

R

Realdus
Regius
Reies Francus

Reiſ-

Reiſnerus
Reſerus *Horatius*
Reuſnerus
Rhodiginus *Cælius*
Riolanus *Joannes*
Riverius *Lazarus*
Rolfinckius *Guernerus*
Rondeletius *Gulielmus*
Ronſæus *Baldaſſar*
Rouſſetus *Franciſcus*
Rudbeck *Olaus*
Rudius *Euſtachius*
Rulandus *Martinus.*

S

Sala *Angelus*
Salius *Petrus*
Salvus Sclanus
Sanchez *Franciſcus*
Sanctorius
Sarpa *Paulus*
Savanarola *Joan. Michaël*
Saxonia *Hercules*
Scaliger *Julius Cæſar*
Scheckius *Jacobus*
Schenckius *Joannes Theodorus*
Shmitius *Joan. Andreas*
Schröderus *Joannes*
Seneca *Lucius Annaus*
Sennertus *Daniel*
Septalius *Ludovicus*
Severinus *Marcus Aurelius*
Sorſanus
Spigelius *Adrianus*
Strobelbegerus
Strobæus
Strumius
Sylvaticus *Joan. Baptiſta*
Sylvius de le Boë *Franciſcus*
Sylvius *Jacobus*

T

Talentonus
Tertullianus
Themiſtius
Theopompus Chius
Thomas à Vega
Thonerus *Auguſtinus*
Tiraquellus
Tondinus
Trallianus *Alexander*
Trincavellus
Triſmegiſtus *Mercurius*
Truſtonus
Tulpius.

V

Valeſcus de Tarantâ
Valerius Maximus
Valleſius *Franciſcus*
Valentinus *Baſilius*
à Vega *Chriſtophorus*
Veslingius *Joannes*
Veſalius
Vinderus
Viridetus
Untzerus *Matthaus*
Vulpinus *Joan. Baptiſta*

W

Walæus *Joannes*
Warthon *Thomas*
Weberus
Wecker *Jo. Jacobus*
Wezelius *David*
Wierus *Joannes*
Willis *Thomas*
Wittfidius *Cornelius*
Wormius
Würz

Z

Zacutus Luſitanus
Zeno
Zvvölferus *Joannes*
Zvvingerus *Theodorus.*

FINIS.

D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS,

PYROTECHNIÆ SOPHICÆ LIBER PRIMUS.

PROOEMIUM.

QUoties ipſe mecum conſidero inſtitutam noſtrorum temporum phyſiologiæ normam à tot, tantiſque Illuſtribus viris incomparabili felicitate, meliorique eventu aggreſſam, non modò antiquorum ingeniis anteferendos, verùm longo tractu poſt ſe illa reliquiſſe, nec vel quicquam gloriæ ab illis præreptam certiſſimè puto. Etenim ſi antiquorum doctrinam cum noſtrorum inventis conferamus, ſatis apertè cernemus intra anguſti temporis ſpatium innumera priſcæ medicinæ myſteria detecta, & ſexcenta ferè, quæ jàm uſque ab ultimis noſtrorum patrum ſæculis fuerant incognita ſecundo auſu noſtræ ætati advecta. Quinimò tot, tantæque nunc præclariſſimarum rerum cognitiones, novarumque diſciplinarum pulcherrimi partûs excoluntur, atque quotidiè ad uberiorem fructum promoventur, ut modò non ſit ampliùs cum antiquis de ipsâ naturâ conquerendum, ipſamque uti novercam accuſare, quod veritatem in profundo abſtruſerit. Laudabilis ſanè ab *Hippocrate*

inſtituta phyſiologiæ ratio, atque etiam *Galeno*, aliiſque præclariſſimis viris, quot unquam ſuſpexit antiquitas, laudabilis profectò fuit (non is ſum ego, qui auſim quicquam eorum laudi detrahere, audax negotium eſſet, & impudens), ſed non quæ non concedat ingenioſo *Harveo*, qui primus ſanguinis motu explorato novum mundum aperuit poſteritati. Quid dicam de incomparabili *Williſio*, qui cunctas phyſiologiæ partes novis inventis, admirabili ſtudio, ſummâque doctrinâ illuſtravit, primuſque de fermentationis naturâ præclariſſimè diſſeruit, undè innumera ferè tùm in phyſicis diſciplinis, tùm in hominis naturâ noſtræ ætati detexit. Per quot ſæcula in ignorantiæ ſinu demerſa delituerunt veræ motuum naturalium rationes, chylificationis modus, humoris nutritii, ſanguinis, & ſucci nervoſi diſtributio, ſacci lactei inventum, fellis, glandularumque uſus, & ſexcenta noſtrorum philoſophantium impenſâ induſtriâ conquiſita artificis naturæ opera. Longum nimis eſſet ſingula inventa, & denuò inſtituta, ſinguloſque auctores percenſere, qui regale veritatis iter ingreſſi decumanam Sapientiæ portam tenuerunt. Sed ut verum fatear, quod negabit nemo, nemo veritatis amator, primum huic operi in natura excitato lapidem chymia jecit. Cui enim hucuſque non innotuit ex fermentantium liquorum motu, deſtillatione, calcinatione, ſublimatione, ſpirituum permixtione, exactaque rerum omnium anatome, quot, quantaque tùm in Phyſicis, tum in Medicis, in univerſâ, tum denique natura ſint adducta. Complurima huc afferrem, & per ſingula exactiſſimè percurrerem, ſi per tempus id liceret, atque cum iis res eſſet, qui de re Philoſophicâ, & Medicâ non eſſent optimè meriti. Ideoque tantum opus aggrediamur, & pro virili, ſummâ diligentiâ, & inſtituto perſequemur; meis tamen cohortationibus alios in re Chymicâ invitare certè animo non eſt, ſi res ſe ipſam commendat; undè alacri animo nervos intendite ſic dabit Deus meliora.

Caput I.

De Chymiæ Origine, & Progreſſu.

CHymiæ originem præſenti cap. à fundamentis auſpicaturi, nè illotis, ut dicunt, manibus, non modicæ utilitatis tantùm futurum opus tractare videamur; hæret animus ſatis, nè digna, ut quæ hominum memoriæ prodatur res ſit, quippè quæ nihil adhuc habet explorati quis fuerit inventor, quæ primæ origines, proximaque originibus, ut aliquid certi affirmare, vel refellere poſſemus. Res eſt antiqua, & ſupra omnem hominum memoriam, nec uſque ad hanc diem apud Scriptores, qui vetuſtiorum rerum monumenta poſteritati tradidêre, quod fidem evincere potuiſſet, videre mihi datum fuit. Undè omnia, quæ nunc extant, multa veriſimilitudine quadam nituntur, quàm credulitate, nonnulla quoque poëticis magis decora fabulis, quàm incorrupta rerum priſcarum fide nitere conſpiciuntur. Nos autem etſi inter ſacrum, & ſaxum ſtemus, non tamen à propoſito rei difficultate deterriti, mentem avertemus, cum pro virili parte ſatis nobis conſuluiſſe viſi ſumus nobis videre, ſi veriſimilitudine ducti veritati propiùs accedere enitemur, itaque quid faciemus, à vero non deflectere omnium conſenſu apparebit.

Apud omnes jam ſatis conſtat Chymiæ uſum antiquiſſimum eſſe, imò cum ipſo fermè naſcente mundo ortam fuiſſe Chymiam, ſi latiſſimè illius uſum accipere volumus, illud ſanè perſpicuum reddere poteſt, primi nempè Parentis lapſus; Etenim tunc primùm homo in ſudore vultus ſui, pane ut veſceretur, ad agrorum culturam ſe contulit, variaſque artes propriâ induſtriâ excogitavit, quibus vitam potuiſſet agere: nec certè inſtrumenta, quibus terra colebatur, modus quo arva pinguiora fiebant, omniſque agrorum cultura ſine Chymiâ, ſive eam natura docuerit, ſive induſtria potiùs excogitarit peragere, vel quilibet potuiſſet: Præterea modus panem fermento conficiendi, muſtum in doliis fermentandi, aliaque innumera ſatis id apertè demonſtrant.

Sed quia Chymici in metallorum tranſmutatione, ut ad auri perfectionem illa eveherentur, plurimam operam navarunt, eorumque officium ſit, unita corpora ſolvere, & ſoluta coagulare, illud manifeſtum videbitur metallurgos huic arti fundamenta jeciſſe, & hiſce profectam initiis ad hæc uſque tempora ſemper majores in uſus creviſſe, & vires acquiret eundo; noſtri ſiquidem inſtituti erit ab his initium ordiendæ rei ſumere. Quàm veroſimiliter igitur poterimus pauciſſimis dicemus, & abſolvemus.

Julio Firmico Conſtantini Magni temporibus florenti anno à partu Virginis 320. *Samuel Bocciardi* Chymiæ inventum hiſce verbis adſcripſit:

Novum eſſe inventum, nec illius quemquam meminiſſe ante Julium Firmicum, quòd etſi *Suida*, *&* *Euſebius* narrent, nos tamen libentiùs crediderimus inſtauratorem potiùs fuiſſe, quàm inventorem, ejuſdem *Firmici* adductus teſtimonio affirmantis è priſcis Chaldæorum, & Ægyptiorum voluminibus hanc doctrinam in lucem extuliſſe. Ante multa ſiquidem tempora Chymiam effloruiſſe, ſat ex duobus, ut multa prætereamus manifeſtum fiet: Primùm liquet *Hermetem Triſmegiſtum* de hac arte non pauca poſteris conſignaſſe; certumq; eſt, poſt diluvium vixiſſe; non negaverimus tamen in Ægypto pluſquam nullibi, & incrementa cœpiſſe, & dignationem, ità ut variis characteribus, & hyeroglificis tanquàm rem pretioſam non cuilibet evulgandam abſconderent. Extat, & aliud *Firmici* monumentum, qui Alchymiſtarum meminit, ut jàm dudum cognitorum ab Aſtrologis in eorum divinationibus, undè ipſe *Lib. 31. decret.* Lunæ in nonâ domo hanc prædictionem de Alchymiſtis ſcriptam reliquit: *Si Saturni hæc domus fuerit, ſcientiam Alchymiæ dabit: ſi Solis providentiam in quadrupedibus.*

Sed ratio poſtulat, ut credatur non procul abeſſe à veritate illud in quod non pauci conſentiunt *Tubalcainum* nempè huic arti primum omnium materiam miniſtraſſe, occaſionemque dediſſe; Legitur etenim in ſacris Bibliis *Gen. cap. 4. Sella genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri.* Nec æs & ferrum (etſi ad communes uſus, & agriculturam paraſſet) vel fundi, coqui, & ab impuritatibus ſeparari, ut ad uſus fabrefieri potuiſſent ſine Chymico magiſterio credibile eſt: inde ad poſteros hanc artem perveniſſe, & in majores uſus creviſſe, non eſt cur verum non putetur.

Non multo ab hinc tempore terrarum orbis aquis diluvii unà cum artibus, cœteriſque rebus demerſus latuit, inde poſt diluvium *Hermes Triſmegiſtus* quibuſdam tabulis in valle Hebron repertis hanc artem excitavit, illuſtravitque, ut nonnulli ob id inventionem attribuant. Vixit *Hermes* anno ab origine mundi 2000. præceptoremque habuit *Noachum*, ipſe poſteà *Chamephis*, ſive *Chuſii* magiſter fuit: Præterea *Iſidem* inſtituiſſe ex *Diodori Siculi lib. 1.* memoriâ extat: columnam fuiſſe inventam narrat in ſepulchro *Iſidis* ubi ipſamet inſcripſerat ſe ab *Hermete* inſtitutam, ejuſdem etiam eſt ſententiæ *Franciſcus Patritius in Hermete*, undè *Iſidis*, *&* *Oſiridis* temporibus vixiſſe ex hoc ſatis liquet. Attamen non nos latet plures fuiſſe Hermetes, ut apud *Cic. 3. de nat. Deorum*, ſed hunc illum Hermetem Triſmegiſtum putamus ter maximum ſacerdotio nempè regali dignitate, & ſacrarum rerum ſcrutatione; primum traditur philoſophiam à naturalibus ad divina convertiſſe. Fertur (ſed de auctore parùm conſtat) in valle Hebron poſt diluvium inveniſſe tabulam Smaragdinam appellatam, & nonnulli dicunt, in ejus ſepulchro à quadam fœminâ nomine *Zara* fuiſſe inventam, ſed quis hujus tabulæ auctor fuiſſet, non ſatis quoque liquet: Hanc religioſiſſimè venerantur Chymici quippè in eâ certum occultari medicamentum putant, quo

nè dum morbi pellantur, ſed ætas quoque omni ſuo curſu incolumis, & vegeta ſervetur, illamque etiam continere artem, quâ metalla viliſſima ſummè perficiuntur, ſed ænigmatico, & allegorico ſenſu obſcurata, veram expoſitionem accomodare admodùm difficilè, nè dixerim, impoſſibile à Chymicis reputatur. Placuit illam hic ſubnectere: *Verum eſt ſine mendacio, certum, & veriſſimum. Quod eſt inferiùs, eſt ſicut id quod eſt ſuperiùs, & quod eſt ſuperiùs, eſt ſicut id quod eſt inferiùs ad perpetranda miracula rei unius. Et ſicut res omnes fuerunt ab uno meditatione unius: ſic omnes res natæ fuerunt ab hac unâ re adaptatione. Pater ejus eſt Sol, mater ejus Luna. Portavit illud ventus in ventre ſuo. Nutrix ejus terra eſt. Pater omnis Theoleſmi totius mundi eſt hic. Virtus ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, ſuaviter magno cum ingenio. Aſcendit à terrâ in Cœlum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum, & inferiorum. Sic habebis gloriam totius mundi. Ideò fugiet à te omnis obſcuritas. Hæc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis. Quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit. Sic mundus creatus eſt. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus eſt hic. Itaque vocatus ſum Hermes Triſmegiſtus habens tres partes Philoſophiæ totius mundi. Completum eſt, quod dixi de operatione Solis.*

Solent plerique pro certo decernere *Moyſen* (qui ab Hermete non longè abfuit) Chymicæ artis periſſimum fuiſſe, quippè qui vitulum aureum conſtatilem, quem opere fuſorio Aaron populo Iſraëlitarum adorandum effinxerat: *Combuſſit* (ut Exod. 32. verſ. 20. habetur) *& contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël.* Sine Chymia hoc fuiſſe factum credibile non videtur; unde *Cornel. à Lapide* ſtudioſiſſimus Bibliorum Interpres hæc ita exponit. *Conjecit vitulum in ignem, certis admixtis herbis, ut liquaretur in maſſam, & quaſi in carbonem redigeretur*, & in verbo contrivit hæc dicit Hæbr. *Et moluit uſque ad tenuitatem q. d. Moſes carbonem illum, vel maſſam igne extractam contudit, & contrivit in minutum pulverem.* Inſeritur quoque huic loco fabula noxios hauſtu aquæ tali cinere reſperſæ auream barbam, vel labia reportaſſe, vel in dolores ventris, aliumque morbum incidiſſe, quamobrem occidebantur, utpotè idolatriæ labe infecti; ſed hæc Judæorum ſunt fabulamenta, non etenim in hoc idolatræ dignoſcebantur, ut *Cornel. verſ.* 28. exponit hiſce: *Occidat quiſque quemlibet occurrentem, etſi arctiſſimè ibi conjunctum, plerique etenim omnes in populo rei, & conſcii erant idolatriæ vituli, idque ſatis, tùm voce, tùm ornatu, tùm choreis, tùm ebrietate, aliiſque modis prodebant. Alii apud Ruper. & Albulen. volunt nocentes ab innoxiis fuiſſe diſcretos potu cineris vituli, inde enim noxios auream barbam, vel aurea labra, alios etiam morbos contraxiſſe, ſed hæc Judæorum ſunt fabulamenta.*

Nos verò ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt nil certi decernere audemus, ut Moyſem Spagyricum faceremus, ideò aliis penſandum relinquemus. *Mariam propheiſſam Myſis ſororem in chymicorum claſſe non pauci repoſuerunt*, etenim in bibliothecâ Regis Galliarum codicem quendam, de Chryſopopæiâ extare

prodit *Iſaac Caſaubonus cui* tit. eſt, *Ars ſacra.* Laudatur ſæpè Hermes, & Maria, & ſcripta Judaica, quem credimus non abſimilem eſſe illi, qui hodie circumfertur ſub nomine *Turba Philoſophorum*, cui ſubjunctus eſt liber ſub tit. *Pract. Mariæ Prophetiſſæ ſororis Moſis.* Sed ſicut reliqui ſunt apocryphi, ſic hoc quoque exiſtimamus.

Sunt multi in eadem ſententiâ conſtituti, qui quamplurimas à poëtis fabulas effictas de hac arte intelligendas eſſe putant, qualis eſt illa Draconis à Cadmo interempti, Hortorum Heſperidum, Veneris cum Marte rete captæ, Atalantæ cum Hippomene, Expeditionis Argonauticæ, quam fabulam Suida intelligendam putat, non ut aureum vellus arieti eriperent, Jaſonem cum Argonautis Cholchidem cum Medea Regis Æete filia tranſvectos fuiſſe, ut poëtæ fabulati ſunt, ſed ut librum reportarent, in quo ars aurifactoria continebatur; Sed nos, an his intacta fides ſit adhibenda non ſatis ſcimus: Quamvis non nos fugiat poëtas ſub decora, & efficta fabularum ſpecie non pauca myſteria, & inſigniora philoſophiæ arcana ceciniſſe, ut vulgus aurium tantùm dilinimento teneretur, reliqui, & jucunditate apparentis ornatus, & rerum myſteriis animos quandoque delectatione remitterent, quandoque utilitate intenderent; attamen, quæ potior ſit in rebus tàm obſcuris, dubiiſque veritas ſub fabulis ignorare ultrò fatemur.

At ad certiora redeuntes illud verum eſt Chymiam apud Ægyptios non parvum ſuſcepiſſe incrementum, & veluti quid ſummè venerandum, & ſacroſanctum religiosè cuſtodiebant Ægyptii, ut Reges tantùm hanc exercere, & colere poſſent, poſteriſque de regali ſtirpe in ſucceſſionem tradebatur: profanum namque cenſebant divinum magiſterium inter populum vulgari, indè tot hierogliphicis, characteribus, ſymbolis, allegoriis, ænigmatibus, labyrinthis, (ut proprius fuit huic genti mos) ſollicitè aſſervarunt, quem morem ad hæc noſtra uſque tempora videmus obſervatum; Sed eò crevit hæc ars, ut *Diocletianus Suida* ſcripſit omnes chryſopopæiæ libros conquiri, & comburi juſſerit, nè in poſterum hac arte ditati à Rom. Rep. deficerent, nàm publicæ opes, quibus, vel arma in populos inferebant, vel hoſtiles impetus propulſabant, arte Chymicâ ſemper cumulatiores cogebantur.

Ex horum præſertim libris *Democritum Abderitam* omnium antiquorum Philoſophorum facilè principem Chymiam didiciſſe *Euſebius* auctor eſt, nàm ut *Diogenes Laërtius* in ejus vitâ refert ad Ægyptios Sacerdotes profectus eſt, inque Perſidem venit ad Chaldæos, Magos audivit, Indiam petiit ad Gymnoſophiſtas, & Æthiopiam, rubrum mare transfretavit, multaque loca tenuit, diſcendi vehementi cupidine flammatus; Sed præ cæteris clariſſimum hujuſmodi extat argumentum apud *Senecam* ad Lucilium. *Excedit porrò* (loquebatur *Seneca*) *vobis eundem Democritum inveniſſe, quemadmodum decoctus calculus in Smaragdum converteretur, quâ hodie cocturâ inventi lapides coctiles colorantur.* Sine Chymiâ id evenire an

an potuiſſet, non certè videmus. Divitiis itidèm abundavit, narrant nonnulli *Xerſem* hoſpitio exceptum à patre *Democriti* cum decies centenum millium exercitu, & ipſum *Xerſem* præceptores dediſſe *Democrito* fertur, ut edoceretur.

A Græcis ad Arabes Chymiam veniſſe ex ipſis Arabibus conſpicimus. *Meſues* maximè excoluit, *Avicenna*, etſi nullum ediderit librum, attamen Chymiæ ſtudioſiſſimum fuiſſe, *Sorſanus* in ejus vitâ narrat, ipſiuſque induſtria, & culturâ ad non parvum progreſſum veniſſe dicit; quòd ſi omnes Arabes, qui huic arti operam dederunt videre animo fuerit *Andream Libavium* adeas in *exam. ſent. Pariſ. ſchol. contra chym. lat.*

Apud Monachos latuit poſt Arabes, nam quod temporis ſuperabat ſacris occupationibus expediti, aliiſque curis exoluti, in Chymiæ ſtudium conterebant: quamplures effloruerunt optimi viri, nimirum *Albertus Magnus, Raimundus Lull. Savanarola, Baſilius Valentinus*; cujus viri doctrinæ inſtituendum traditus fuit *Theophraſtus Paracelſus*, qui medicinæ Chymiam aſſociavit, & ad grandes, & mirabiles uſus evexit, inde per totum terrarum orbem pervagata philoſophiæ adjuncta fuit, ut proptereà *Joan. Baptiſta Van-Helmont* ſecuriorem viam ingreſſus, multa innovare cœperit, perque latiorem campum ſpatiatus complura invenit, quibus Medicina, & Philoſophia colluſtraretur, attamen poſteritati magnam partem reliquerunt detegendam, maxima fortuna noſtri ſæculi: Videmus etenim infinita propemodum inventa ſapientiſſimis viris hæc ſæcula dediſſe, à quibus nè dum Chymia, verùm etiam Philoſophia cumulatiori ſemper novarum rerum acceſſione colluſtratur, & locupletatur, quòd ut exteros ſileamus incomparabilem nempè virum *Robertum Boylem*, qui inter experimenta vitam omnem tranſegit, *Thomam Williſium* non vulgari judicio præditum, alioſque famâ, & operibus ſatis, ſuperque notos; ad domeſtica me conferam, & inter tot viros omni litteraturæ genere illuſtres, hos non præteribimus, *Thomam* illum *Cornelium* Philoſophorum præclariſſimum, *Renati* genium ſortitum, Philoſophiæ, & bonarum artium reſtitutorem, cui Partenopæi ſuarum virtutum incrementa non immeritò referunt accepta; *Leonardum à Capua*, qui ſolus abſtruſiſſima naturæ penetralia ingreſſus noſtri ingenii imbecillas vires demonſtravit, omni eruditionis lumine, ſcientiarumque culturâ imbutus, jam ſuum nomen per omnes penè mundi oras reſonans longè, lateque diffunditur; *Joannem Baptiſtam Capucium*, *Sebaſtianum Bartolum* gloria noſtrorum temporum natos, ut illa meritò bearent, quibus invida mors alienam felicitatem peroſa, non ſine parvâ jacturâ omnium lachrymis orbavit: Mortuam jàm dudùm Philoſophiam, Medicinam, Eloquentiam, cæteraſque diſciplinas, nè dum in horum pectore renatas vidimus, verùm impenſo labore, mirâque induſtriâ brevi adoletas ad ſummum culmen evexerunt, omnique præjudicio exoluti, eorum ſtudio, & diligentiâ Chymiâ omnibus antiquorum ſordibus expolita fuit, poſteriſque nobilitatam, &

adauctam reliquerunt. Igitur iſti omni ſanè laude cumulandi non parvam gloriam huic arti quæſiverunt, ut noſtræ felicitati adſcribendum ſit, hæc tempora Deorum immortalium munere nos tenuiſſe.

Cap. II.

De variis Chymiæ nominibus, & eorum Ethymo.

NOn parùm ad perfectam rerum notitiam nominum varietates primò perſpectas habere, & cognitas, quibus tam artes, quàm ſcientiæ ornatæ fuêre, conducit: quippè, ut *Plato in Gorgiâ* loquebatur: *Cognitionem nominum ſequitur ipſa rerum cognitio*; Itaque cum in auctores offendimus utilibet varietate uſos non quoddam novum noſtris auribus obrepet, & menti tenebræ offundentur. Cordate igitur *Epictetus* dixit: *Initium cognitionis eſt nominum conſideratio.* Meritò multa nomina, quibus hanc diſciplinam appellitare conſueverunt, tùm antiquiores, tùm recentiores in medium proferentes expendemus.

Alchymiam primùm vocarunt aliqui ab *Alych* voce, quæ apud Hæbreos fluens facere importat; alii dictam putant à græca voce Αλς & Χυμὸς, ſalis ſcilicèt ſuccum, & condimentum (intellige de philoſophico) ſignificante; alii dicunt acceſſiſſe ex Arabicâ linguâ articulum *Al* huic voci *Chymia*.

Alchammiam non pauci appellarunt à Chamo Ægypti Rege cui hujus Philoſophici ſalis inventio adſcribitur, à quo Ægyptus ipſa Chammia nuncupatur, inde Alchammiam interpetrati ſunt ſalem Chami, ſalem Ægypti; Sed decipiuntur, nam ut refert *Herodotus*, oppidum erat antiquum in Ægypto, quod Chemis dicebatur, vel ut *Plutarchus* auctor eſt in *lib. de Iſide, & Oriſide* ſacra Lingua Ægyptus à Sacerdotibus Chemia vocabatur, undè potiùs Chemia nomen derivaſſe credibile eſſet; ſed ut liberè dicam, quod ſentio, in hiſce rebus nil certi affirmare auſim. Attamen alii à Χύμι verbo græco, apud Latinos fundo dictam putant Chymiam, cum ſolida fundat, & fuſa coagulet. Alii à *Ponchymo* nempè ſucco, vel ſapore, chymiatri è quolibet corpore ſuccum extrahunt purum, & veluti exugunt, natura docente nutrititium ſuccum ab alimento exugere, parteſque inutiles relinquere.

Inſpicientes nonnulli ad Alchymiam ſpectare puri ab impuro ſeparationem Euchymiæ nomine ornarunt, bonum namque elaboratumque ſuccum ignis miniſterio educit, purum ab impuro dividens.

Cœlius Rhodiginus vir antiquitatis ſtudioſiſſimus, & omni literaturæ eruditione imbutus *Antiq. lect. lib.7. cap.2. Archymiam vocat, quaſi Argyru Chymiam, argenti ſcilicet fuſoriam.*

Quamplures artem Hermeticam appellant ab *Hermete Triſmegiſto* inſtauratore, vel inventore, hujuſque diſciplinæ profeſſores, filii Hermetis, & Hermetici dicuntur.

Philoſophiam *Meſues* appellavit, ejuſque aſſeclas Philoſophos, philoſophorum filios, ſapientes: Jure tamen, nam vel hæc ſola naturæ pene-

netralia media vitali rerum omnium anatome permeat, vel inter reliquas diſciplinas principem locum ſibi vindicavit.

Chryſopopæiam non rarò dixerunt, utpotè nobiliſſimæ metallorum in aurum tranſmutationi addictam. *Paracelſus* cum aliis recentioribus Spagyricam appellarunt à voce græcâ σπᾶν, nempè evello, & Αγυρτιν ſcilicèt congregatio, ſeparat ſiquidem corporum particulas, & cogit.

Pyrotechniæ nomine ornarunt noſtri quoque: nàm veluti ignis eſt officina, cuncta medio ignis labore abſolvens.

Denique artem perfecti magiſterii, artem magni magiſterij, artem ſegregatoriam, ſeparatoriam, deſtillatoriam, Hermetis artem, Magiſterium ſapientium vocârunt.

CAP. III.

De Chymia Definitione, & Partitione.

OMnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio* loquebatur *Cic. 1. off.* *debet à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit, de quo diſputatur*, hoc etenim veluti primo lapide ſubſtrato, omnis deinceps, quæ ſequitur partitio benè ſibi conſtabit.

Noſtri ut eſt inſtituti Chymicam facultatem tractare, ità definiemus, partem nimirùm, tàm practicam, quàm theoricam comprehendentem: *Eſt ergò Chymia facultas naturalium rerum contemplatrix, ignis, ſive alterius artificio quæcumque corpora ſolvens, & coagulans, unde ſalubriora medicamenta eliciuntur.* Contemplatur equidem Chymia corporum principia, eorum compagem diſſolvendo, quòd niſi hanc ſolutionem contemplatio ſequeretur, ultrà ad tot artefacta rectè inſtituenda progredi non poſſet, hæc tamen ignis ope adjuta, ſive actuali, potentiali, vel fermentali perficit, ut ex inferiùs enarrandis clarum fiet.

Practicam dumtaxat partem nobis videtur *Beguinum* definiſſe in veſtibulo *Tyroc. chym.* cum dixit: *Chymia eſt ars corpora naturalia mixta ſolvendi, & ſoluta coagulandi ad medicamenta gratiora, & tutiora concinnanda.* Ex tali ſolutione, & coagulatione profectò perfectiora educuntur medicamenta, quippè ſpirituoſior, & exquiſita è corporibus pars ſeparatur, ex quà tota illorum corporum vita oriebatur, quam tamen partem craſſior ſubſtantia, ex denſis particulis compacta conſervabat, nimirum per hujus craſſioris ſubſtantiæ particulas diffunditur, & ſub latibulis veluti intruſa cohibetur. Attamen neminem latere arbitror hanc puriorem partem, melioremque corporum ſuccum illum eſſe, qui tot, tantaque mirabilia patrat, & corporum ſanationes perficit, morborum acerbitati reſiſtit, corporumque conſtitutiones facilè in priſtinum reponit, ut propterea illa puriori parte ſeparata, quod reliquum eſt, nulla vi, & energia præditum, ut inutile cadaver terra damnata non immeritò à noſtris nuncupatur. Salubriora certè, & tutiora iſthæc ſunt medicamenta, utpotè nullo prorſus pacto naturam morborum in commodis implicitam per gravantia, & faſtidientia; quippè Chymicæ artis ma-

giſterio utile ab inutili, & fæculento evellitur, nec naturæ morbo jactatæ operi relinquitur. Ipſe quoque *Galenus* (cujus aſſeclæ hiſce medicamentis hodiè oſcitanter obſtrepunt) qui Chymiam, vel parùm ſubodoravit medicamenta, pro parte ſaltem attenuare ſummoperè expetivit, atque in dies angebatur, ut aliquem exquireret modum quo calidam, purioremque vini ſubſtantiam ab eodem vino extrahere potuiſſet; quippè exquiſitiſſimæ virtutis fore ex eo dijudicabat, quia in parvo vis omnis comprimitur. Inde *lib.* II. *de ſimpl. med. facul. cap.* II. ſcripſit: *Quæ tenuium ſunt partium medicamenta, iis quæ ſunt craſſarum partium plus habent efficaciæ, etiam ſi parem ſortita fuerint facultatem, nimirum quia meliùs penetrant.*

Omnis Chymiæ partitio in tres ſpecies præcipuè reſolvitur, prima vocatur aurifactoria, quàm à græcis χρυσοποιΐα dicitur, quia metallorum imperfectorum in nobiliſſimum metallum aurum, tranſmutationi præcipuam dat operam. Alia eſt Philoſophica, qua ad naturæ cuniculos ſubeundos, & rerum proprietates dignoſcendas quamplurimæ inſtituuntur operationes. Alia denique Medica ex hac parte humanorum corporum natura inſpicitur, unde ut eorundem ſalutem tutari poſſit nobilia medicamenta majori vi, & efficaciâ præditâ, nec injucunda, ſed grata quibuslibet tutiora exquirit. Aëris quoque, & aquarum ſalubritatem, morbos aliaque ad humani corporis valetudines ſpectantia exactiſſimè veſtigat. Attamen hanc partitionem ex ipſius Chymiæ vario hominum uſu ad quamplurima agenda profectam certè arbitramur, etenim Chymiam ex ſe artem à reliquis diſtinctam eſſe nemini in dubium cadere ſemper exiſtimavi.

Cap. IV.

De Chymiæ Officio, Neceſſitate, & Dignitate.

OMnia, quæ in univerſo cernimus, atque in admirabili naturæ libro legimus, uſque ad hanc diem profundo ſinu abſtruſa jacerent, nec tantarum rerum notitiam adepti ad ſecretiora, & nobiliora contemplanda provecti eſſemus, niſi Chymiâ dirigente, uſum ignis ad naturæ arcana aperienda adhibuiſſet. Hujus namque uſus quanti ſit ad Chymiæ operationes rectè inſtituendas, illaſque ritè exequendas, ex hoc perſpicuum ſat eſſe poteſt, cùm nec metallorum, mineralium, aliarumque rerum hujus artis miniſterio, ſive ſolutiones, & fixationes, purificationes, & tranſmutationes perfici poſſent. Ad hoc omnis Chymiæ ſpectat labor, & officium, & quæ ad ignobilium in nobiliora metallorum tranſmutationem tanquàm ad unum ſcopum dirigit, niſi ſolutionis, purificationis, &c. miniſterio ſint adjuta, omnis ſpes fruſtabitur, & opus. Hoc proprium eſt ipſius officium, ut purum ab impuro ſecernat, ſive ſpiritus inflammabiles è corporibus educat, ſive ſulphur, & ſal ſeparet; Videmus etenim ſpiritus inflammabiles è quolibet corpore educi ſubſtantiæ æthereæ tàm affines, ut cujuslibet vaſis poros ſubeun-

ſubeuntes evolent, vel vitrea ſint hermeticè obſignata, vix contineri queant: Hæc non niſi pars illa purior eſt in unoquoque corpore diſperſa, & latitans, quæ veluti æthe-rea eſt facilè mobilis, itaut ſingulorum corporum particulas ſpontè pervia pervadat, ideoque quantulocumque motu ſit agitata illicò ignem concipit, & tota in flammam lambentem abit.

Sulphur quoque ſecernitur hujus ſubſtantiæ aliqualiter particeps in flammam urentem facilè erumpens, attamen magis craſſæ ſubſtantiæ in ſe admiſcet, undè flamma ſpiſſior evadit, non uno, raroque colore prædita ex variis, denſiuſculis particulis conſtans, itaut alium motum ſuperiores coni partes, alium mediæ, aliumque in baſi ipſius coni flammæ noſtris oculis cieant, undè varij colores ex varia æthereorum globulorum in oculo exiſtentium juxta rectas lineas propulſorum agitatione animæ repræſentantur; Undè illud quoque obſervamus flammam tenaciùs hærere, ut propterea abſumpta quid fæculenti poſt ſe relinquat: non ſecus ac oleum (quod ſulphuris pars quædam videtur eſſe) Chymico magiſterio è corporibus ſeparatum, hujus craſſæ ſubſtantiæ aliquid admiſcere cuilibet ſatis manifeſtum eſt.

Sal tandem, quod ſecernitur, ſive fixum, ſive volatile quendam latitantem ſpiritum cohibere intuemur (magis tamen exaltatum in volatili ſale, quam fixo, hic etenim ſupra partes ſubſtantiæ cujuſdam magis craſſæ, ſeu terreſtris, quàm illam ſulphuris dicebamus, fixatur) ubi ipſâ rerum ſemina inſidere, & occludi non alienum à veritate videtur. Ipſamet experientia duce, comiteque ratione docemur, nec terram in fructus germinare, & herbeculæ, vel minimum ceſpitem edere, ſuo ſale ſeminali, ut ità dixerimus, orbatam; loca ſiquidem montana, & maximè accliva, vel prorſus ſterilia evadunt, vel rara admodum herba circumveſtiuntur, brevi duratura, quippè aquæ lapſu ad decliviora fertur unà ſal cum ipſâ aquâ dilutum, ubi verò in aliquas valleculas deprimitur mons, ibi fertilior ſeges, & luxurians herbarum copia lætiſſimè frondet, nec ex ſtagnanti humore ſal abluitur, imò magis abundat, cùm aqua ex ſupernâ parte delabens illo ſale referta, & inibi ſtagnans, illud quoque deponit, totumque à terrâ exhauritur. Undè falſum eſt quod vulgò creditur ſterilia hæc loca ex humoris defectu fieri, cum apertè falſum convincatur, etenim propè montium cacumina ubi fontes perenni lapſu erumpunt, credibile non eſt, aquarum penuria viciniora, & ſummiora loca laborare, quod etiam manifeſtum eſſe poteſt, ſi terra effodiatur continuò humor exiliet, attamen herbarum ceſpes, vel nullus, vel rarus progignitur; ſed ubi aqua copioſiùs rigat proximum marginem, & vicina loca, muſcoſa quadam lanugine veſtit, & ornat: Nullus igitur locus, etſi ſummus aquis deſtitui poteſt, quia aqua ſubtus terram permeat, perque ejus viſcera hinc, inde delabitur, & ad ſuperiora enitens evadit, vel filtrationis ope, vel evaporationis à continuo viſcerum terræ calore

ad frigidam ejuſdem terræ extimam ſuperficiem delata, ubi impingens, à frigore denſata guttatim in ſtillicidia decidit. In ſale igitur terræ ſemen reſidet, nec ob aliud campi ſtercorantur, & ſtipula incenditur, niſi ut pinguior fiat, nimirum ſale copioſiore abundet: Stercus, & cinis multum ſalis nitrati, & alkali continet. Atque ut id magis, magiſque ratum fiat, & teſtatum non prætereundum illud putamus quod complurium obſervatione dignum fuit, ſol è vegetabilibus, aliiſque corporibus ſeparatum, cum vaſis parieti adhæreſcens, paulatim concreſcit, vegetantis plantæ, ſemini, & foliis, à quibus elicitur in bullas gliſcens; ità aſſimulatur, ut quandoque difficile non ſit ex ipſomet ſale plantam dignoſcere, quod non immeritò philoſophantium ora, oculoſque in ſe convertit, & rapit.

His, aliiſque partibus corporibus ſpoliatis, id quod remanet apud chymicos caput mortuum nuncupatur, non tamen omni re denudatum, ut prorſus inutile ſit, nam aliquam ſalis, alteriuſve rei particulam licèt exiliſſimam continet, ità tamen ut hac privatum reſtat tandem terra quædam, quam utpotè nihil in ſe utile admiſcens damnatam vocarunt. Hoc præcipuum eſt Chymiæ officium, ſupra quod cæteræ quæ inſtituuntur operationes, tali ſubſtruuntur fundamento.

Horum omnium neceſſitas ex illo innoteſcet, tùm quia ad vitæ uſum eſt comparata, tùm ad naturæ arcana diligentius exploranda. Quot, quantaque nobilia medicamenta parentur, à quibus noſtra vita uſque ad lapſantium annorum curſum ſatis benè firma conſervatur, cuilibet ex inferiùs enarrandis patebit, nec id ſolum præſtat, verùm abſque eo quod faſtidij periculum urgeant medicamina ſub parva mole compreſſa componit majori vi prædita ad mala propellenda, morboſque profligandos: Nec naturales corporis functiones à naturâ abſolvi poſſent, niſi ipſa Chymica quadam arte uteretur, quippè fermenti ope cibum concoquit, & purum ab impuro ſecernens in omnes corporis partes diſtribuit, aliaque perficit, quæ relinqui brevitas nos monet. Hanc artem Philoſophi ad naturæ aditus, & ſeceſſus penetrandos, ut liberiori pede excurrerentur, traduxerunt, & utpotè apprimè neceſſariam non ſine uberto fructu amplexati fuêre, qua profectò aperta, omnibus patefacta eſt janua, & ſtrata fuit via ad illud philoſophiæ ſtudium excolendum, quo noſtra ætas melioribus auſpiciis nata, quàm priora ſæcula, beata fuit, ut non modò antiquorum ſorti non invidendum nunc fore arbitror, verùm in maximam felicitatis partem ſemper duco, in hæc tempora invidiſſe, quibus omnes penè naturæ theſauri reſerati largiori pænu nobilitati homini Philoſopho ſe demonſtrant, non immeritò namque hoc philoſophiæ ſtudium ad delectationem animi, mentiſque jucunditatem comparatum, ſine quo hominis nomine indigni omnes videmur, cum ut loquebatur Cic. 1. *Academ. 9. Nec ullum ut apud Platonem eſt majus, aut melius à Diis datum munus homini, ad ſummum perfectionis faſtigium eſt evectum*; Summa hæc laus omnis

Chy-

Chymiæ danda eſt, quippè nec per experimenta philoſophari conceſſum eſſet, undè ratio ſolidior conſurgit, niſi Chymia uſum miniſtraſſet, & modum, nec ſalubriora medicamenta ad corporum ſanationes collata inſtituerentur, & eorundem conſtitutio cognoſceretur, niſi Chymia dirigeret, & Philoſophia variis hujus operationibus fæcundata contempláretur, ità ut altera alterius ope, & conſilio vigeat, & polleat.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt non difficile erit cuilibet ſatis apertè cernere dignitatem ipſius Chymiæ, ideoque non multum laborandum in hoc exiſtimamus: Siquidem ſive ejus originem conſideremus, ſive progreſſum, ſemper nobiliſſima, nè dum digna miniſteria tractavit, & ad altiora animum adjecit. Peperit hanc artem ſpectatiſſimum illud deſiderium tranſmutationis imperfectorum metallorum in perfectiora, ut auro mortalium ſitis accenderetur, atque ut id aſſequeretur, & voto cuncta cederent ad naturæ librum evolvendum ſe addidit, inde rei difficultate ſubacta (non dixerim vanitate) locupletioremque auri venam effoſſa (verum nempè philoſophandi fontem) ad naturæ penetralia recludenda ſe convertit, undè inexhauſtæ in dies ſemper ſuccreſcunt venæ, & quia ſub naturæ cenſu microcoſmi quoque venit contemplatio, ejus conſiderans ſtructuram non pauca adinvenit, quibus ejuſdem conſervatio ſtabiliretur, quæ omnia non modo ejus dignitatem ſupra alias artes, & nobilitatem demonſtrant, verùm eminentiam, ut procul ab omni dubio videatur illis meritò dignam nominibus, quibus antiquiores ornarunt.

CAP. V.

De Chymiæ Sectis.

MUndus ut rerum varietate componitur, atque non una, eademque facie veſtitur, ità hominibus velle ſuum cuique ineſt, nec eodem voto vivunt, indè tam variæ ſunt hominum, tamque diſcrepantes in una re ſententiæ, quod admirationi non ſit; nos quotidiè litium aſſiduo conflictu jactari, & diſſentionibus agi: Non ſecus ac in cœteris rebus qui Chymiam excoluerunt, non in eadem ſententiâ ſunt conſtituti, ſed in varias ſectas diviſi, quiſque pro ſua acerrimè contendit, quorum nobis moleſtum non erit dinumerare.

Omnium prima Arabum fuit, apud quos maximè claruit, ſed magnâ, & meliori ſui parte mutila, utpotè metallorum dumtaxat tranſmutationibus addicta, auri cupidine illecti, cujus conſtructioni omnibus nervis contendebant, complures effloruerunt auctores, quos *Andreas Libavius in exam. Pariſ. ſchol. contra chym. lat. recenſet.*

Nec minùs illa Monachorum manca fuit, quæ poſt Arabes effloruit, multis ſiquidem Ariſtotelicorum præjudiciis obvoluta, licet *Albertum Magn. Raimundum Lullium*, alios hujus farinæ Viros habuerit.

Harum illa celebratior eſt Hermetica, tàm antiqua, quàm nova à *Paracelſo* una, altera ab *Helmontio* in-

ſtituta; *Theophraſtus* ſiquidem *Paracelſus* Anno à partu Virginis 1493. in Helvetiâ natus, nè dum à patre in Chymiâ inſtitutus, verùm florentiſſimis in hac arte viris traditus fuit, qui novam ingreſſus viam, novam doctrinam, & philoſophandi methodum in lucem protulit, & licet ſubtiliſſimis diſquiſitionibus naturæ penetralia ſibi viſum fuerit ingreſſum; attamen toto erravit cælo, dùm potiùs denſiorem nubem obduxit, ſuâ non dixerim obſcuritate, & tenebricosâ jactatæ mentis infelicitate, ſed confuſa, nunquàm ſibi conſtante doctrinâ, quæ nocte ipſa cæcior tantam caliginem adduxit, ut animos potiùs fatiget, quam vel minimum roboret, abjiciat, quam attollat. *Cothurno*, ut dicunt *verſatilior* videtur, quippè principia, quæ ad naturalium rerum contemplationem ſumma firmat induſtria, ſæpiſſimè evertit, aliis, vel de novo confictis, vel ex diametro pugnantibus, multoties negando, quod affirmavit, & quam ſtatuit doctrinam, ſeipſum oblitus magno molimine aggredi conatur, ità *Paracelſus Paracelſo* pugnat, & ſecum ipſe acerrimè contendit. Quam plurima loca infinitis propemodum ſcatent paralogiſmis, & omnia excompoſito vernacula conſpurcata, & obtenebrata dialecto. Non raro nebuloſus homo turture loquacior velut principis naturæ comes eſſet, & miniſter fumos vendit, ut liberè cum *Horat.* loqui poſſimus: *Quid ferat hic tanto dignum promiſſor hiatu.* Sed quod magis eſt curioſitate dignum infenſus *Galeno*, & ipſum ſubſannans, in *Galeni* dicta relabitur, elementa, & qualitates ſupponit, aliaque *Galeni* exſcripta figmenta à bonâ Philoſophiâ aberrantia; dicam de hujus ingenio, ut celebre illud extat apophthegma, *benè currit Theophraſtus, ſed extra viam*; Attamen ut verum fateamur in Theoriâ infelicior Vir, in praxi feliciſſimus fuit. Sed prætereundum non putamus digito velut ejus principia monſtrare, quippè ejus famæ rumor apud omnes increbuit.

Non multùm ab *Anaxagora* (qui omnia in omnibus ineſſe voluit, nec de novo quid fieri, ſed quod latebat ſegregari) diſſidet *Paracelſus*: Elementa, ut rerum matrices, & thecas omnium ſemina occludentia poſuit, quæ inanitates, ſeu vacuitates vocavit, ut pro cunctorum corporum receptaculis ſtatui poſſent. In duos globos univerſum diſtinxit: Superior (qui firmamentum, ſeu Cœlum dicitur) ignem, & aërem continet; inferior Terram, & Aquam. Quinque rerum principia eſſe voluit, duo paſſiva viſibilia, ſeu materialia, tria activa inviſibilia. Primi generis ſunt *terra damnata*, quia ſicca omni activitate nudata, tantum emplaſtica vi prædita eſt. *Phlegma*, quia inſipidum nullo odore, ſapore, tantum humidum eſt, hæc duo principia *Relollaca* appellantur à *Theophraſto*, utpotè nulla ſeminum vi ditata, vel quidquam agentia: Vulgaribus elementis correſpondent, terræ ſcilicèt, & aquæ. Secundi generis ſunt *Mercurius*: ab ipſo definitur, eſt humor acidus æthera permeabilis, ſubtiliſſima, vivifica, & ſpirituoſa ſubſtantia, vitæ pabulum, & Uſia, ſive eſſentia,

forma, vel formæ inſtrumentum. Vocatur variis nominibus, nempè ſpiritus, ſpirituale, movens, informans, intelligentia, intellectus. *Sulphur* eſt humor ille oleaginoſus, ſubſtantificus, caloris conſervator, primigenius partium, vegetandi, tranſmutandi inſtrumentum, dulcedinis, & odorum ſcaturigo. Vocatur agens, natura, & judicium, anima, forma, principium formale, & inflammabile. *Sal* eſt principium omnis firmitatis, & ſoliditatis auctor, per quod corpora diſſolvuntur, coagulantur, deterguntur, unde ſapor omnis emanat. Vocatur corpus, patiens, principium fixum, materia, materiale.

Hermetica nova à *Joanne Baptiſtâ Van-Helmont* inſtituta *Ariſtotelis, Galeni, & Theophraſti* præjudiciis non ſanè libera, eorumque tricis ſæpiſſimè obtexta, etenim qualitates cum iſtis ſupponit, Paracelſiam quandoque deformat, ut reformet: Philoſophiam incohavit (ut *Cic. Varroni* dicebat *Academ. 1.*) *ad impellendum ſatis, ad docendum parum.* Verùm theoriæ nitore non certè aſpernanda, duo ſtatuit rerum naturalium principia, *Aquam,* & *Ens ſeminale,* de quibus infrà.

Altera ſecta ex his confluxit, quam *Galeno-Chymicam* appellant. Firmitatem rerum chymicarum oculatiores Galenici reſpicientes, non audentes, nec valentes negare, terra, marique, ut dicitur, conati ſunt, *Ariſtoteliſque* principiis, & deliriis explicare, & aſſociare; Sed mare cœlo miſcere dubium non eſt. Quid commune habent Chymiæ principia cum horum commentis? Aliam, non Ariſtotelicam Philoſophiam addiſcat oportet, qui Chymiæ animum advertere intendit. Ex hac enim agglutinatione dubito quin monſtrum illud naſcatur *Horatianum.*

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè:
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Vel illud Ariſtotelicum apud Scholas celebratiſſimum, Entis rationis.

Nos verò in hiſce inſtitutionibus hanc Spartam non aggredimur aliorum principia per trutinam traducere, ſed experientiâ duce veritatem aſſequi conabimur.

Verùm quia corporum tranſmutatio, & virtus in principiis componentibus reſidet, ideò ut clariori luce ad eorum virtutem eliciendam procedamus, aliqua de eorum principiis prægustabimus, nè ſicco veſtigio rem aggredi videamur.

CAP. VI.

Præſupponuntur aliqua de corporum naturalium Principiis ad dicendorum intelligentiam neceſſaria.

SPagyrica facultas, dum naturalia corpora mediis variis ignis operationibus tractat, ut utile, ac purum ab illis educat, rejectis inutilibus eorum impuritatibus, non aliter id perficit, niſi ſeparando eorum prin-

principia, à quibus naturæ corpora in eſſe, & operari conſtituuntur; nam cum omnis corporum virtus, ac operatio à chymicis quæſita ex illorum eſſentiâ pendeat, & omnis eſſentia, ex principiorum componentium eſſe prodeat: hinc antequàm varias ignis operationes ad principiorum ſeparationem directas examinandas aggrediamur, aliqua de principiis naturæ lumine hic præſupponenda duxi, & quidem.

Primò ſupponendum omnia corpora naturalia ex duabus tantùm conſtitui cauſis, ſive initiis, in eſſe, & operari, materia ſcilicèt, & efficienti intrinſeco, ſeu materialiter conſtare ex aquâ, eſſentialiter verò, & quidditativè ex ente ſeminali, ſive interno ſpiritu, efficienti intrinſeco, quem lumen appellamus.

Patet naturæ lumine, & quidem quo ad primam partem, quod ſcilicèt omnia naturalia materialia conſtent ex aquâ demonſtratur experientia ab *Helmontio* adducta, *Tract. cui tit. complex. atque miſt. elemental. figm.* §. 30. p. m. 68. inquiens: *Omnia vero vegetabilia immediatè, & materialiter, ex ſolo aquæ elemento prodire hac mechanica didici. Cæpi enim vas terreum, in quo poſui terræ in clibano arefactæ libras* 200. *quam madefeci aqua pluvia, illique implantavi truncum ſalicis, ponderantem libras quinque, ac tandem exacto quinquennio, arbor inde prognata pendebat* 169. *libras, & circiter uncias tres. Vas autem terreum, ſola aqua pluvia, vel deſtillata, ſemper (ubi opus erat) maduit, eratque amplum, & terræ implantatum, & ne pulvis obvolitans terræ commiſceretur, lamina ferrea, ſtanno obducta, multoque foramine pervia, labrum vaſis tegebat. Non computavi pondus foliorum quaterno autumno deciduorum. Tandem iterum ſiccavi terram vaſis, & repertæ ſunt eædem libræ* 200. *duabus circiter unciis minus. Libræ ergò* 169. *ligni, corticum, radicum ex ſola aqua ſurrexerant.* Ex adductâ mechanicâ, ſicut apertè patet, vegetabilia materialiter ex ſolo aquæ elemento prodire: ſic proportionaliter de cæteris hujus orbis productis ſeminalibus, mineralibus ſcilicèt, & animalibus pro nunc diſcurrere poteritis, cùm demonſtrationes, quæ ex animalibus, & vegetabilibus huc adduci poſſent, brevitatis cauſa omitto.

Quò ad ſecundam noſtræ ſuppoſitionis partem, quòd ſcilicèt eſſentialiter unumquodque corpus ex ente ſeminali, ſive ſpiritu intrinſeco, ſive luce tanquàm principio omnis motus, ac formationis, & alteritatis corporis uniuſcujuſque in quo talis conditur ſpiritus, facilè etiam demonſtrari poteſt lumine naturæ, & quidem

Primò, quia omnes quas videmus corporum operationes alij tribui agenti non poſſunt niſi intrinſeco huic ſpiritui in eorum aquæ centro condito: Etenim ei agenti tribuere debemus actiones, quo poſito eæ ponuntur, & quo ablato, auferuntur: manente tamen hoc ſpiritu in intrinſeco corporum nucleo, talia corpora conſervantur in ſuo eſſe, ſpecificaſque edunt actiones, & ablato, corpora deſtruuntur, & omnes actiones auferuntur: Nàm ſi omnia ſemina vegetabilium e. g. quæ aliàs tali ſpiritu ditata, fæcunda ſunt illo deſtituantur infæcunda, ac inutilia evadunt, nec ampliùs talia ſemina

in vegetabilis productionem aſpirant, haud quaquam operantur, ſed veluti inutilia cadavera omnium operationum ſpecificarum expertia jacent: ità ſi ſupra triticum v. g. vel aliud ſemen, aliàs fæcundum, acetum aſperges, aut fermentum in eo aliter excitabis, ſtatim comperies talem ſpiritum fermentali conturbatum motu, evaneſcere, undè talia ſemina infæcunda redduntur.

Secundò talem ſpiritum eſſe tanquàm eſſentiale conſtitutivum, ſeu entelechiam omnium corporum luculentiùs demonſtrat ſpagyrica: Nàm ſi vinum, cerviſiam vel alios vegetabilium ſuccos priùs fermentatos diſtillaveris, ſtatim leviuſculo ignis calore ex eis elicies ſubſtantiam quandam volatilem, æthercam, inflammabilem totius concreti craſim, atque naturam redolentem, hac ſubſtantia, dum talia corpora privantur, remanent veluti inutilia phlegmata omnis ſaporis, odoris, vel alterius actionis expertia.

Supponendum ſecundò corpora omnia naturalia ſuas mutationes, ſive generativas, & ſubſtantiales, ſive alterativas, & accidentales in hoc orbe ſubire ſolius fermenti beneficio, quod ut dicemus, nihil aliud eſt, niſi quædam indita excitativa poteſtas promovens internum corporum ens ſeminale, quod omnis motus in corporibus eſt initium, & cauſa, ut infrà demonſtrabimus. Condidit namque Altiſſimus ille rerum patrator ſingula corpora in hoc ſenſibili orbe, quibus proprium dedit eſſe per ferax illud verbum *fiat*, ac fæcunda etiam benedictione, terram (*quæ aliàs inanis erat, & vacua*) poſtquam ſeminibus, animalibus, mineralibus, &c. replevit, indidit quoque illis poteſtatem creſcendi, ac multiplicandi ſuper terram, ut ſcilicèt ſucceſſivis generationum periodis illam replerent. Hoc igitur, quo mediante craturæ omnes in ſuas moventur productiones, alioſque motus, fermentum vocant ſpagyrici, eſt quæ diverſum juxta uniuſcujuſque interni ſeminis, ſive ſpiritus ſeminalis, uniuſcujuſque corporis diverſitatem. Sed hæc clariùs patebunt ex dicendis cum de igne fermentali.

Supponendum tertiò, differre inter ſe univerſi corpora propter interni ignis, ſeu ſpiritus in penetralibus aquæ concepti formam, ſive Ideam ſecundum ſitum, vel figuram in eo ideatam, ſive impreſſam, quæ dum in materiâ exprimitur, materialem quoque format corporum differentiam. Quam ideam nacta fuêre producta naturalia in initio eorum creationis, dùm per verbum *fiat*, fuit extra cauſas poſita illa eſſentia, ſive idea, eo modo quo in mente Creatoris erat ideata. Sic eſſentia, ſeu primum conſtitutivum, ſicut & primum diſtinctivum, ſeu principium motus, & quietis (quæ ſynonima ſunt) corporum naturalium eſt idea, quæ internum corporum ſpiritum, ſive ſemen determinat, illique communicat vim ſeminalem corporum naturalium productivam.

Hæc de rerum naturalium principiis libavimus, quia eorum uſum ad dicendorum intelligentiam per neceſſarium exiſtimamus.

At quoniam apud nonnullos ſpagyricæ facultatis profeſſores con-

ſueta eſt Paracelſianorum principiorum, *Salis* ſcilicèt *Sulphuris*, & *Mercurij*, ſeu ſalis, liquoris, & balſami uſurpatio. Hinc pro hujus rei coronide hic nobis duo remanent inquirenda. Primò, quid *Paracelſus* intelligat per hæc ſua principia. Secundò an veri principij rationem habeat. Pro qua re

Supponendum quartò, quòd mediâ ignis anatome tres ſubſtantiæ, triplici ſpecie, ſeu formâ invicem diſtinguibiles è corporibus univerſi educi ſolent à Spagyricis, quas ob analogiam, quam dicunt cum ſale, ſulphure, & mercurio, ità appellavêre Paracelſiſtæ cum *Paracelſo*, eaſque tanquàm rerum naturalium principia aſſeruêre.

Et quidem primò media deſtillatione, quandoque è corporibus educitur ſubſtantia quædam ætherea, volatilis, facilè inflammabilis, ac ſulphurea, & ob analogiam, quam dicit cum minerali ſu'phure, ſulphur appellatur. Hanc etiam ſubſtantiam balſamum dixerunt, tùm quia balſamicâ ut plurimùm pollet virtute, tùm etiam quia ex ejus conſervatione in corporibus balſami ad inſtar, ea à corruptione præſervat & ex ejus eductione illa ſtatim corrumpuntur. Appellant etiam ignem vitalem, tùm quia omnis calor vitalis corporum ab eo prodit, tùm etiam quia ſulphurea dicta ſubſtantia, dùm è corporibus educitur, ignea præſtat vi, ut dicemus *cap. de Igne potentiali*; tùm quia eo excitato, aut è ſolari lumine per conum in puncto unito, aut ab alio igne producitur, & accenditur in corporibus ignis. Vocant demùm dictum ſulphur animam, quia ſicut anima, ſive internus ſpiritus corporum continet craſim, ſpeciem, ac eſſentiam, à qua omnes emanant corporum activitates, ità animadvertentes hæc à dictâ ſulphureâ ſubſtantiâ prodire, animam ideò eam nuncupavere.

Secundò mercurium vocant liquorem quendam acidum permeabilem, qui ob analogiam, quam habet cum vulgi mercurio, ſic eum appellant. Nam ſicut mercurius eſt radix, & materia omnium metallorum, ità ut junctus ſoli ſit Sol, junctus Veneri in Venerem degeneret, &c. ità quoque liquorem hunc ceu corporum omnium materiam dixêre, adeò, ut in ligno ſit lignum, in braſſicâ ſit braſſica, in lapide lapis, &c. Vocant etiam hunc liquorem humidum radicale, quia ſecundum eos eſt radix, & pabulum ſulphuris, in quo tanquàm in ſuâ radice ſtabulatur, gliſcit, operatur.

Tertiò demùm ſal inquiunt eſſe corpus, ſive principium illud fixum mirandis virtutibus præditum, omnium ſaporum, & ſoliditatis corporum auctorem, appellantque ſal ob maximam ſimilitudinem, quam habet cum ſale communi, dùm è corporibus extrahitur.

Hæc inquiunt eſſe rerum naturalium principia activa Paracelſiſtæ, quibus duo alia addunt principia, quæ paſſiva materialia, & omnis virtutis expertia aſſerunt, & ſunt illis *Terra damnata*, & *Phlegma*, quæ tamen cum nihil agant ſecundum ipſos inter vera principia eſſentialiter participantia, non numerantur. Tria autem ſupra enumerata aiunt eſſentialiter principia eſſe, &

mutua Sigizia inter ſe unita corpora naturalia conſtituere aſſerunt. Hinc vocatur ab eis ſal materia, ſulphur forma, mercurius ſpiritus. Sal patiens, ſulphur agens, & mercurius informans, vel movens. Sal principium fixum, ſulphur inflammabile, mercurius vaporoſum. Sal materiale, ſulphur formale, mercurius ſpirituale. Sal ars, & ſenſus; ſulphur natura, & judicium; mercurius intelligentia, & intellectus. Demùm præcipuè aſſerunt, quod ſal ſe habeat ut corpus, ſulphur ut anima, & mercurius ut ſpiritus.

Ex quibus breviter hìc adductis rectè percipere poteritis quid ſibi velint Paracelſiſtæ per ſal, ſulphur, & mercurium, ac quomodò ad varia componenda corpora per eos concurrant. Videndum nunc eſt, an veri principij rationem habeant; hinc

Supponendum quintò, Paracelſiſtarum principia verè, & realiter non eſſe prima principia, ex quibus, unumquodque corpus componitur, & in ſuo eſſe conſtituitur, ſed ea nihil aliud eſſe niſi ſubſtantias in corporibus pro ſeminum exigentiâ productas, ſive ignis activitate ex illis eductas. Non tamen eſſe primas, & ſimplices, ut principia, ſed ex aquâ, & ente ſeminali diverſimodè compoſitas pro uniuſcujuſque ſeminis exigentiâ.

Demonſtrari id facilè per ignem poteſt, quia dicta tria invicem tranſmutantur, & reſolvuntur in alia ſe ipſis ſimpliciora: ergò dicta tria realiter, & verè non participant, cum ipſa ex aliis componantur, neque ſunt prima, ex quibus omnia corpora componuntur, cum non omnia corpora in ea reſolvantur. Probatur experientiis, quibus compertum habemus, tàm mercurium, ut ajunt, quàm ſulphur in ſal tranſmutari ſecundum unam partem, & in aquam elementalem ſecundum aliam, manente deindè ipsâ aquâ non reſolubili in alia principia, tàm ab arte, quàm à naturâ. Sic omnis res oleoſa, ſive ſulphurea, ſive mercurialis per attactum ſalis alkali ſecundum unam partem in ſalem, & ſecundum alias in aquam elementalem reſolvitur, ut ſi ſpiritus vini v. g. vel alia ſimilis ſulphurea inflammabilis vegetabilium ſubſtantia, ex ſale tartari, aut ſibi ſimili cognato deſtilletur, pro decimâ ſextâ parte tranſmutatur in ſalem, & reliquum totum quod deſtillat, eſt ſimplex elementalis aqua. Rurſus omnis ſal alkali addita pinguedine, vel ſimile aliud per quod ſeminis coagulantis nexus diſſolvitur, etiam in aquam tranſit, ut in ſapone, & ſimilibus accidit. Præter quamquòd omnis ſal alkali antea ſal non erat in mixto, ſed combuſtione fit ſal, per colliquationem ſcilicèt ſpiritus interni ſeminalis cum aquâ, non ſecus ac Arſenicum, & ſal nitrum ambo volatilia per mutuam colliquationem fixantur, &c. Maneat nunc ergò tria Paracelſi principia, vel produci à corporum naturalium intrinſeco ſemine, vel ab igne educi; nàm alibi clariùs patebit ea componi ex aquâ materialiter, & ex ente ſeminali formaliter ſive eſſentialiter; hic autem per tempus non licet in theoriis ulteriùs immorari, ſed his ſufficienter pro di-

dicendorum intelligentiâ præſuppoſitis, ac libatis; ut ad noſtrum inſtitutum redeamus, ſit

Cap. VII.

Explanantur voces abſtruſiores apud Chymicos uſurpatæ.

NE in vocum obſcuritate, quibus Chymia utitur, hallucinentur Tyrones, eas breviter enucleare neceſſarium ducimus; nàm peculiaribus, ac propriis Chymici utuntur vocibus, quæ vel ad arcendos prophanos, vel ut utantur ſermone *Paracelſi* vernaculo, (qui proprio idiomate hanc artem ſcripſit) in Chymiâ uſurpantur: operæ pretium igitur duximus, magis neceſſarias, & abſtruſiores Chymici idiomatis explicare, ſit igitur

Art. Primus.

Metallis attributa nomina enucleantur.

CUm Chymia operationes ſuas ad materiam mediis inſtrumentis, & miniſteriis dirigat, nè ſine ordine in hac re procedamus, prius ad materiam ſpectantes voces, deindè ad inſtrumenta, & miniſteria, poſtremò ad operationes explicemus.

Metalla enim *Platonicus Proculus* primus Planetarum nomine appellavit, quem ſecuti Chymici, vel ab analogiâ ducti, vel ut aliquam operationem explicando indoctis occultarent, ſingulis metallis ſingulorum Planetarum nomina, & characteres illis ab Aſtrologis attributa aſſignârunt, & primò.

Metallorum nobiliſſimum aurum, præſtantiſſimi planetarum Solis ſcilicèt nomine, & charactere ſignârunt.

Argentum Luna appellatur, & Lunæ charactere inſignitur.

Ferrum Martem nominárunt, & Martis charactere ſignaverunt.

Argentum vivum, vel Hydroargentum ob Mercurij ſimilitudinem, à Mercurio nomen, & ſignaturam accepit.

Stannum Jovis nomine, & Charactere, decoratur.

Cuprum, ſive Aurichalcum Veneris, & nomine, & charactere gaudet, tùm ob analogiam, tùm quia in Cypro Veneris inſulâ abundantius, & nobilius reperitur.

Plumbum Saturno debet, & nomen, & ſignum.

Ulteriùs Solis nomine, & Microcoſmi, Cor à Chymicis aliquando ſignificatur, & hoc ut volunt, quia ſicut à ſolis motu, totius macroſmi pendet armonia, ac conſervatio: ſic à cordis motu microcoſmi quoque pendet vitalis conſonantia. Undè aliqui hac ducti analogiâ aurum cordi amicum aſſervêre. Sic quoque Lunæ nomenclatura cerebrum denotat, & cerebri morbis ab argento accerſitis medicaminibus occurrere prætendunt. Sed hæc nimis à re noſtrâ aliena videntur; nàm nos probabimus, cum de medicamenti eſſentia agemus, non ab imaginatis Planetarum analogiis, ſed ab interno Aſtro uniuſcujuſque medicaminis vitæ noſtræ ſymbolicè applicato morborum perfici curationes,

tiones, ipſa operante natura, quæ ſecundum *Hippocratem* noſtrum *morborum eſt vera medicatrix*.

Virtutem quoque ſive potentiam rerum, nedum mineralium, ſed etiam vegetabilium, & animalium ex præparatione acquiſitam, Aſtrum Chymici appellare conſueverunt, an quia corporum illa energia ad Aſtralem, Æthereamque eſſentiam exaltata, Aſtrorum ad inſtar per ſuum Blas in morbis depellendis operatur; an verò quia ſecundum *Ariſt. 2. de generat. animalium cap. 3.* corporum ſemina per correſpondentiam elemento ſtellarum explanare nituntur, unde defæcatas è materiæ impuritatibus Chymici miniſterij beneficio rerum virtutes, Aſtrum appellant; An denique quia aliqui Aſtrologicis nimis credentes, putant à cæleſtibus conſtellationibus ortas.

Sic quoque eodem præjudicio ducti aliqui Tetrarchias veluti in hiſce inferioribus ſingulis tribuunt planetis. Soli enim è mineralibus aurum. E gemmis carbunculum, rubinum, hyacintum, ætitem, & ſuccinum, quæ omnia ſolaria vocant. E vegetabilibus, omnia aromata, acetoſam, boraginem, bugloſſam, calendulam, chelidonium, helitropium, hypericon, cichorium, & ſimilia. Ex animalibus leonem, &c. quæ generoſa, & hilaria ſunt.

Lunæ præter argentum, è mineralibus ſubjiciunt alumen, corallia, & ſimilia. Ex vegetabilibus Agnum caſtum, alkekengi, & ſimilia. Ex animalibus canem, capram, &c.

Saturno ex mineralibus plumbum, ſaphirum, magnetem, & omnia terrea, quæ dicunt ſuſca, & ponderoſa. Ex vegetabilibus Apium, opium, herbam paridem, &c. Ex animalibus Buſonem, & omnia ſolitaria, nocturna, & triſtia.

Veneri cuprum, Berillum, coriandrum, &c.

Mercurio argentum vivum, althæam, aniſum &c.

Sic enim quoque Zodiaci ſignis ſubjectas eſſe volunt omnes materias à Chymiâ tractandas; hinc proinde, herbas, ſemina, & radices jubent colligi debere, cùm ſol hoc, vel illud ingreditur ſignum, cui illarum quælibet ſubjici aſſerunt. Sed hiſce, & ſimilibus omiſſis ſomniis tanquàm vanis fabellis in reali philoſophiâ immiſtis, ad utiliora accedimus. Qui verò plura de his deſiderat, legat *Carrichterum*, qui ad tædium uſque hæc inſinuat.

ART. SECUNDUS.

Mineralium attributa nomina exponuntur.

ANtimonium ænigmaticè dicitur *lupus*, quia ut lupus omnia ferè animalia vorat, ſic etiam Antimonium omnia metalla, præter aurum, abſumit. Dicitur *Proteus*, quia ignis beneficio multiplices colores induit. Vocatur etiam *radix metallorum*, quia quaſi fundamentum illorum eſt; omnibus enim metallis adjacet, unde à nonnullis ſtatuitur ipſorum minera. Appellatur etiam *Saturnus Philoſophorum* à voracitate ipſius, quia deſtruit, & abſumit omnia metalla, ſive quod Plumbi naturam ſapiat, ſive quia multi ex antimonio, Philoſophorum lapidem

fieri autumant, & ob eaſdem rationes dicitur quoque Magneſia Saturni. Vocatur denique *Aries*, quia cum Sol, Arietis ſignum graditur eſt lucidior, ità aurum per antimonium repurgatum, ſplendidiſſimum nanciſcitur colorem.

Arſenicus dicitur *fuligo*, *ſeu fumus metallorum.*

Alumen dicitur græcè ϛυπτηρίαν, Arabicè *ſceb*, ſeu *ſeb.*

Salnitrum vocatur *Cerberus Chymicus*, quia ſicut poëtæ de inferorum cerbero trifauce fabulantur, ità ſpagyrici de ſalenitro dicunt eſſe vegetabilium, mineralium, & animalium univerſale menſtruum. Dicitur *ſal infernalis*, quia inflammabilis. *Sal ferreus. Serpens terrenus*, quia in terra vivit. *Sal ſulphureus. Sal Anderone, Anatron, Hermetis*, *Baurach*, *Cabalatar*, *& ſal petræ.*

Sal Armoniacum aliud in arenis Lybicis concreſcit, aliud noſtrâ ætate factitium eſt. Dicitur *ſal Solare*, quia diſſoluit ſolem, ſcilicet aurum, *Aquila cæleſtis*, *ſal mercurialis philoſophorum*, *ſal cæleſtis*, *&c.*

Sal gemmæ dicitur etiam *foſſile*, ex eo quia eruitur in fodinis, gemmeum verò, quia ſplendet gemmarum ad inſtar.

Sal anatron dicitur ſal ex *Uſneâ lapideâ* tractum.

Sal, quod acutiem habet dicitur à Chymicis *Alembroth.*

Viride æs dicitur *Ziniar*, *& Zadir*, quod nomen Veneri competit.

Vitriolum dicitur etiam *Alcoth*, *Azeighi*, *Aregi.*

Vitriolum rubrum dicitur *Azudich.*

Vitriolum liquefactum, aut vitriolatum ſignificat vitriolum de minerâ tractum, & liquidum, quod coagulari nequit, vel à minera æris tractum. Vitriolum novum, eſt vitriolum album.

Marchaſita dicitur *Zeatuilter*, *Zitter.*

Auripigmentum dicitur *Zarnich*, *& Zarnech.*

Sulphur à *Paracelſo* appellatur *reſina terræ*, *ſive pinguedo*, *Alnerick*, *kibrith*, *Rabric*, *Alphebriock*, *Alchibith*, *Aneriock*, *Alcebris*, *Akiboth.*

ART. TERTIUS.

Attinentia ad Animalia, *& Vegetabilia nomina explicantur.*

Usnea eſt muſcus, vel plantis arboreis, vel lapidibus, vel oſſibus animalium adnaſcens.

Medulla in plantis, mediam plantarum partem, & molliorem, quæ etiam *cor*, *& matrix* dicitur, ſignificat. In animalibus verò, tùm adipem in eorum oſſibus contentum, tùm molliorem illam partem, quæ & in ſpinâ, & in cranio reperitur, denotat. In mineralibus quoque medulla eſt pars illorum molliuſcula, quæ etiam in ſaxis nonnunquam obſervatur.

Album græcum eſt *ſtercus canis.*

Zibettum Occidentale eſt *ſtercus hominis.*

Acetum quandoque ſignificat liquorem quemcumque acidum, ſed ut plurimum ex vino factum.

Lanugines in plantis ſunt filamenta tenella extimæ cuticulæ illarum inſtar lanæ ibi adnaſcentia, ut videre eſt in Verbaſco.

Venæ plantarum ſunt fibræ, quæ in

in ramulos diviſæ in illarum foliis apparent.

Signatura eſt quid ſignatum in medicaminibus, ſed in plantis præcipuè à ſimilitudine illius vires indicans.

ART. ULTIMUS.

Inſtrumenta, & Operationes Chymico uſui inſervientes deſcribuntur.

MUltis utitur inſtrumentis Chymia ad ſuas perficiendas operationes, ideò priùs inſtrumentorum adducemus ſupellectilem, deindè verò operationes ejus explicabimus.

Et inſtrumenta quidem ſunt fornaces, vaſa, lutum ſapientiæ, & reliqua ad hæc attinens ſupellex.

Fornaces ſunt inſtrumenta, quibus Chymiæ operationes peraguntur, à quibus denominantur deſtillatoriæ, reverberatoriæ, & his ſimiles. Pro quibus conſtruendis, habeas lateres, & terram pinguem, ſive figulinam, quam miſce, & ſubige cum arenâ, fimo equino, vel ſimul aliâ ſubſtantiâ filamentoſâ, & quandoque etiam aquâ ſalsâ.

Vaſa vitrea ſemper ſint pro Chymiæ operationibus peragendis, quæ ſi deſint, adhibeantur terrea, ſed vitreata, ut vocant. Artifices utuntur etiam metallicis quandoque & præcipuè æneis; ab his tamen abſtinendum eſt, quando materiæ, quæ deſtillantur acres ſunt, vel menſtrua acida. Nàm hæc in metallis ſuas exerunt actiones, atque illa erodere valent. Poteritis verò illis uti tantùm in deſtillatione vegetabilium, quæ talem aciditatem non habent.

Vitrea vaſa varias habent formas, quatenus variis deſtinantur uſibus, & primò

Circulatorium eſt vas vitreum, ubi infuſus liquor nunc aſcendens, nunc deſcendens circulatur. Hujus generis vaſa ſunt, ſed duo præcipua.

Pellicanus eſt vas ità nuncupatum à figurâ Pellicani pectus ſuum roſtro fodientis, quod repræſentat, amplo ſcilicet ventre, in anguſtius collum vergente, quod retortum, & recurvatum in ventrem immittit, habens propterea in ſummitate exitum, per quem liquor infundi poſſit, qui exitus poſteà infuſo liquore, Hermetico, vel alio ſigillo clauditur pro liquoris circulandi exigentiâ.

Dicta eſt alterum vas circulatorium duabus alis, vel utroque brachio lateribus applicato conſtructum, cujus inferior pars eſt ad modum cucurbitæ, cui impoſitus eſt Alembicus habens in ſupernâ ejus parte os infundendo liquori neceſſarium.

Circulatio eſt liquoris puri per circularem ſolutionem, & coagulationem, vi caloris exaltatio, ut volatilior, & ſpirituoſior illius pars continuò elevari, & decidere poſſit, ut purum ab impuro ſeparetur, &c.

Circulus eſt inſtrumentum rotundum ex ferro factum ad vitra dividenda idoneum. Perſtringuntur autem hoc inſtrumento vitra, ſic: Circulus candens factus vitro opponitur, & tamdiù retinetur, donec vitrum incaleſcat, & dùm adhuc fervet, immittitur aquæ frigidæ guttula,

Cru-

Crucibulum eſt vas fuſorium ex terrâ factum, igni, contumatiſſimo, ut reſiſtat, acutiore baſi, & tereti in ampliorem capacitatem, tàm triangularem, quàm rotundam deſinente, ad fundenda, & liquanda mineralia factum.

Cucurbita eſt vas plerumque turbinatum in cucurbitæ formam excreſcens, hæc aliquando fundo eſt globoſo, aliquando plano.

Cucurbita cæca eſt, quæ in ſummitate Hermeticum habet ſigillum.

Hermeticè ſigillare eſt ſigillo hermetico vas claudere, quod fit cum Vitrum media fuſione in vaſis ſummitate unitur, & clauditur, vel in lateribus, ſi latera ſunt aperta, &c. nè quid liquoris expiret.

Poteſt etiam quandoque ſigillum fieri paſtâ, luto cum aquâ ſalsâ ſubacto, vel calce cum ovi albumine conquaſſata, &c.

Aves hermeticæ ſunt ſpiritus illi, qui in circulatorio ſe ſe contorquentes, & in gyrum commoventes, aſcendunt, & deſcendunt.

Bocia idem ſignificat, ac cucurbita, dicitur etiam Beton, Baton, & Atanor.

Capitellus, ſive Pileus, tegmentum eſt, cui cucurbita ſupponitur.

Alembicus nunc totum Capitellum, ſive pileum ſignificat, nunc capitellum, & cucurbitam ſimul.

Excipulum, ſive receptaculum, ſive recipiens eſt vas illud, quod roſtro pilei, ſeu alembici ad excipiendum liquorem deſtillantem imponitur.

Veſica eſt vas metallicum ex cupro, ut plurimùm, in formam veſicæ, vel ovi, duorum, vel trium pedum altitudinis.

Retorta ſive cornuta eſt vas globoſum, cujus collum paulatim à ventre reflexum recedit, ac ſenſim in oblongum deſinit.

Matracium eſt vas etiam globoſum, cui collum directè à ventre recedit quadripalmarem circiter longitudinem habens.

Deſtillare eſt liquorem vi caloris attenuatum in recipiens appoſitum projicere.

Caput mortuum eſt id, quod remanet in fundo, vel veſicæ, vel retortæ, &c. poſt deſtillationem.

Matula eſt vas ad inſtar matulæ, cui alembicus ſuperponitur in materialium deſtillatione.

Non idem eſt, ut aliqui confundunt, deſtillare, & ſublimare; nàm deſtillatio propriè eſt liquorum; Sublimare autem dicimus, cum res volatiles ſiccas ſublimamus.

Filtratio eſt ſubductio, ſive quædam deſtillatio per filtrum facta, ut aquoſitas tenuis, relictis craſſioribus partibus, tranſeat.

Filtrum eſt colum Chymicum, & fit, vel ex chartâ emporeticâ in conicam figuram convoluta, vel ex panno villoſo in ſacci formam conſuto, quod dicitur Manica Hippocratis. Fit etiam ellychnio in liquorem filtrandum affuſo, & ad receptaculum inclinato.

Clarificare de liquoribus dicitur excrementis ſcatentibus, à quibus indigent purgari.

Præcipitare eſt ad fundum vaſis projicere.

Decantare eſt liquorem materiæ ſuperimminentem declinare.

Calcinare eſt in calcem reducere,

quod

quod fit, vel incinerando, vel reverberando, vel amalgamando, vel fortibus aquis diſſolvendo.

Decrepitare eſt calcinare cum crepitu.

Detonare eſt calcinare cum crepitu, & conflagratione.

Cryſtallizare eſt in cryſtalli formam reducere.

Coagulare eſt inſpiſſare rem mediâ evaporatione, vel aliter.

Cohobare eſt denuò deſtillatum liquorem cum fæcibus deſtillare.

Dephlegmare eſt phlegma, ſive humidum mediâ evaporatione auferre.

Etrahere eſt præcipuam partem rei medio menſtruo ſegregare.

Menſtruum eſt id, quod mediâ fermentatione ſegregat, ac ſolvit.

Fermentare fit quando res rareſcit, maturatur, & ſolvitur, ut clariùs alibi.

Fixare eſt volatile fixum reddere.

Volatilizare eſt fixum in volatile redigere.

Fundere eſt ad ignem liquefacere, & propriè ad metalla, & ſalia pertinet.

Infundere eſt materiam liquori immergere.

Imprægnare eſt liquore rem humectare.

Lævigare eſt rem in ſubtiſſimum pulverem redigere.

Pulvis omnis ſive ex calcinatione, ſive ex lævigatione paratus dicitur Alkohol.

Purgare eſt res animales, minerales, & vegetabiles à miſtione alienorum, & ad rem non facientium corporum liberare.

Hiſce utuntur terminis Chymici ad ſua explicanda opera, aliæ ſiquæ ſunt voces, ex ſe infrà patebunt.

Hinc pro hujus rei coronide advertendum vitrea vaſa interdum loricanda eſſe; Loricæ verò ſolent eſſe, vel quinque vel ſeptem, vel plures, pro ut deſtillanda res exegerit.

Pro his verò conficiendis præcipiunt aliqui argillam figulinam, ſtercus equinum lotum, & exſiccatum, farinam laterum, & ſquamam ferri, eaque miſcendo, & cum aquâ communi ſubigendo.

Aliqui recipiunt luti mundati, & exſiccati partes decem, cineris partes duas, fimi equini partes tres, ſcobis ferri partem unam, pilorum bubulorum, vel jumenti partes duas, miſcent cum ſanguine ovino, vel bovillo.

Aliquandò loricantur ſimplici terra figulina cum pilis ſubacta.

Nos verò prædictâ terrâ figulinâ utimur, ac ſi quando res deſtillanda exigit contumaciſſimum reverberij ignem, nè vitreum vas dehiſcat, hoc luto utimur.

℞. *Terra figulina partes* x. *ſcobis ferri partes* ij. *cinerum*, & *ſalis com. an. partem* j. *cum pilis ut ſuprà ſubige pro vaſis loricandis.*

Adverte tamen, quòd prima lorica debet eſſe exſiccata, ut meliùs ſuper illam alia imponi poſſit, & ſic ſucceſſivè de cœteris.

Solent vitra aliquando rimam aliquam contrahere in actu deſtillationis, quam conſolidare poteritis cum calce vivâ, & oui albumine ſimul conquaſſatis, & petia, vel alia vitri parte illincta ſuperimponere.

Interdùm membranis veſicæ etiam

cum calce vivâ ſubacta imbutis, vitri rimæ occluduntur; interdùm charta coriacea glutine imbuta.

Pro lutando autem Alembici roſtro cum excipulo hanc præſcribunt maſſam Chymici.

℞. *Ceræ ℥j. reſinæ, & colophoniæ an. ʒj. liqueſcant ſimul omnia in vaſe fictili, & adde olei olivarum parum, miſce & agita baculo ligneo, ut incorporentur, vas poſteà ab igne remoue, imple aquâ frigidâ, & manibus ſubige, & cum chartâ emporeticâ applica, vel veſicis bovinis, vel chartâ coriaceâ, & hoc quando ſpiritus ſunt nimis volatiles, nàm reſinoſas materias non pertranſeunt.*

Addunt hoc aliud pro Retortis cum recipiente lutandis in deſtillatione ſpirituum fortium, & acrium.

℞. *Lutum ſapientiæ cum aqua ſalſa ſubactum addito colophoniæ pulvere, & applica.*

Advertendum hinc, nè lutum, quo vaſa deſtillatoria glutinantur, expiret, vel liquorem tingat, inficiatque.

Ut autem vitra Chymico operi inſervientia optima ſeligere poſſitis, omni diligentiâ advertite, ut non ſint Ætherogenea, ſed ſummâ homogeneitate gaudeant, ætherogenea autem ſunt, ſi lapillos admiſtos habeant, vel diverſi generis vitrum; ſint ut plurimum alba, pellucida, & limpida.

Solent etiam, cum opus fuerit, Chymici vitra ſecare ellychnio ſulphureo accenſo, bino, vel trino ambitu vitrum circumvolvente, quæ operatio etiam fieri ſolet circulo candente, ut ſuperiùs diximus.

Quibus pro rei exigentiâ ſufficienter præmiſſis, quoniam Chymici aliquibus etiam utuntur veluti hyerogliphicis, ac ſignaturis ad varias ſignificandas res; ideò ſit

---

TABULA,

In quâ Metallorum, Mineralium, & aliarum rerum Chymicarum notæ ſignantur.

NOn ſolùm peregrinis vicibus, verùm etiam notis aliquibus, ſeu hyerogliphicis ad varias ſignificandas res utuntur Chymici; ideò nè Chymiæ Tyro hac in re forſan confunderetur, illarum ſpecimen hic adducemus.

NOTÆ METALLORUM, MIneralium, aliarumque rerum.

Acetum.	🜊
Acetum deſtillatum.	🜋
Æs uſtum.	🜨
Alembicus.	🝪
Alumen.	O
Amalgama.	ā ā ā
Antimonium.	♁
Aqua.	🜄
Aqua Fortis.	🜅
Aqua Regia, Stygia.	🜆
Arena.	🝗
Argentum.	☽
Argentum Vivum.	☿
Aries.	V
Arſenicum.	🜺
Auripigmentum.	🜽
Aurum.	☉
Balneum.	B.
Balneum Mariæ S. Maris.	MB
Balneum Vaporis S. Roris.	VB
Calx.	C.

Calx

Calx viva.	🝁	Piſcis.	♓
Cancer.	♋	Plumbum.	♄
Caput mortuum.	🝎	Pulvis.	🝖
Chalybs	♂	Præcipitare.	♎
Cineres	🝗	Quinta Eſſentia.	Q. E.
Cinnabaris.	🜓	Retorta.	🝭
Cornu Cervi.	C.C.	Sal Armoniacum.	*
Crucibulum.	🝧	Sal Commune.	⊖
Cuprum.	♀	Sal Gemma.	☋
Deſtillare.	🝫	Sal Nitrum.	⦶
Dies.	🝱	Scorpio.	♏
Drachma.	ʒ	Scrupulus.	℈
Ferrum.	♂	Semis.	ß
Gemini.	♊	Sigillare Hermeticè.	S. H.
Hora.	🝮	Sol.	☉
Ignis.	🜂	Spiritus.	Sp.
Juppiter.	♃	Spiritus Vini.	🜈
Leo.	♌	Stratum ſuper ſtrat.	S. S. S.
Libra.	♎	Sublimare.	♎
Libr.	℔	Talcum.	X
Luna.	☾	Taurus.	♉
Mars.	♂	Venus.	♀
Martis limatura.	♂	Vinum.	V.
Mercurius.	☿	Virid. Æris.	🜨
Mercurius Sublimatus.	☿ ☿ ♎	Vitriolum.	🜖
Mercurius Præcipitatus.	☿ ☿ ♎	Vitrum.	X. X.
Menſis.	⊠	Uncia.	℥
Nitrum.	⦶	Urina.	⊡
Oleum.	∴	Virgo.	♍

D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS,

PYROTECHNIÆ SOPHICÆ

LIBER SECUNDUS.

De Igne, & variis ejus operationibus.

PRINCIPALE in hac arte agens ignis eſt, non enim eſt in Chymiâ operatio, quæ ab eo non perficiatur. Ignis enim omnia corpora in ſua ſolvendo principia, tàm eorum virtutem pandit, ut *Apoſtolus Paulus* 3. *ad Corinthios*: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*, quàm etiam multa denuò producere, ac tranſmutare valet in hoc orbis amphitheatro corpora. Hoc potentiſſimum agens tantùm operatur in natura prodigia; corpora enim homogenea fixa illuminare, atque ignire valet; homogenea volatilia in vapores, & exhalationes reſolvit; ætherogenea in aquam, & ens ſeminale reducit, atque inter has actiones nova in dies producere valet entia, ut Sal, Vitrum, ac multa medicamina, quæ aliàs produci non poterant. Tota igitur ars Chymica in benè regulando igne cum conſiſtat, ignis ideò naturam perpendamus oportet, ut meliùs eum regulare, ac in noſtros uſus dirigere poſſimus, ſit ergò

CAP.

Caput I.

Quid ſit Ignis.

IGnem tanquam unum ex quatuor, tàm Macrocoſmi, quàm Microcoſmi elementis concurrere, tam ad hujus orbis, quàm ſingulorum corporum ſtructuram aſſerit Syllogizantium vulgus. Neque verum eſt, quòd aſſerit elementa invicem transmutari, nàm

Primò, aër rarefactione non poteſt tranſire in ignem, imò nec ullo modo, nàm aliàs minima flammula totum aërem accendere poſſet, quoniam aër flammæ continuus ſemper, continuoque & ſucceſſivè unus poſt alium incaleſceret, attenuaretur, & inflammaretur, quouſque Univerſum in ignem verteretur; Id quod autem quandoque in aëre flammeſcere videtur, ut patet in aliquibus Comætis, lampadibus, capreis igneis, & lanceis, metheoriſque aliis, non aër eſt, ſed pinguis exhalatio in aëre exiſtens.

Secundò, neque aër condenſatus convertitur in aquam, ut videre eſt in aëre condenſato ſummoperè in Pneumoticâ bombardâ, in cujus tubulo aër ſemper aër eſt, quod autem videtur verti in aquam, non aër, ſed vapor in aëre exiſtens, qui nihil aliud eſt quàm minimæ guttulæ diſperſæ ejuſdem aquæ compreſſione coactæ, quibus cum careat aër, nunquàm aqua creari poteſt.

Tertiò, neque aqua condenſata terra fieri poteſt, neque terra è converſo rareſcendo in aquam verti poteſt; quamvis enim terra videatur quandoque à ſole in aquam verti, id ſuccedit tantummodò cum terra aqua imprægnata eſt, hoc eſt aquæ guttulas inſenſibiles continet.

Singulis Elementis ſingulas primarum qualitatum tribuunt Galeniſtæ cum eorum Anteſignano *Galeno* combinationes, quarum unam in ſummo, alteram in remiſſo gradu unamquamque combinationem requirere ajunt. Sic terræ ſiccitatem in ſummo, frigiditatem in remiſſo tribuunt; Aquæ frigiditatem in ſummo, humiditatem in remiſſo; aëri humiditatem in ſummo, calorem in remiſſo; Igni demùm ſiccitatem in remiſſo, caliditatem in ſummo gradu tribuunt. Has verò qualitatum combinationes, ceu ſingulorum elementorum conſtitutivas eſſentias ſtatuunt. Hinc ex mutuo elementorum confluxu mutuam etiam earundem qualitatum miſtionem emergere ajunt, ac facta veluti ex eis ſimul confluentibus veluti conſonantia, inquiunt ſingulorum ex elementis conſtitutorum corporum conſtitui eſſentiam, quam nihil aliud eſſe niſi temperamentum ſtatuunt. Hinc ſecundum temperamenti diverſitatem diverſas miſtorum formas in naturâ conſtitui aiunt. Hæc in corporibus non viventibus ſtatuunt, in animalibus verò, & præſertim in homine quatuor elementa ſub humorum qua-

ternario ludere ajunt, eò ut quatuor humores aſſerant eſſe viventium elementa. Sic bilem igni proportionaliter correſpondere, atrambilem terræ, ſanguinem aëri, pituitam verò aquæ aſſeverant.

Has ſeniles nugas primarum qualitatum præſcrutari lubet, an eas natura unquam agnoverit? &

Primò, ignem à calore, & calorem ab igne minimè diſtinctum agnoſcimus, nec moderatus calor ab igne actuali comburente differre credimus, ut fuſiùs dicemus.

Secundò, frigiditatem omnem, ſive frigus non conſtitui per entitatem aliquam accidentalem frigidam, ſed nihil aliud in ſe eſſe, niſi lucis, & caloris, ſive ſubſtantiæ calidæ privationem fatemur; nàm corpora, quæ lucem à ſuâ entitate excludunt, excludunt calorem. Sic defectu lucis vitalis cadavera ab actuali frigore occupantur, & in ea terræ plaga ubi ſol ſupra horizontem emergit cum tantâ inclinatione, ut trium horarum ſpatio commoratus, illumque metitus in occaſum vergit, intolerabile frigus experitur: occurrunt quippè radij ſolares terræ ſuperficiei cum tantâ inclinatione, itaut in eorum reflexione minimum motum cieant in corpuſcula in aëre diſperſa; etenim quò minor eſt ad ſuperficiem inclinatio, eò vehementior fit reflexio, & motus corpuſculorum, undè calor oritur. Conſtat ſiquidem æſtate, quò propriùs vertici noſtro ſol acceſſerit, quia normaliter, & ad rectos incidunt angulos ſolares radij, eò calor intenditur, lucidiorque dies conſpicitur; ſolares igitur propellas radios, caloris luciſque fons prorſus extinguetur. Sol meritò mundi cor apud philoſophos appellatur. Quod verò ex tali corpuſculorum remiſſiori, vel vehementiori motu, nè dum calor, verùm & ignis excitetur, vel remittatur, in motu vehementi fermentantium corporum luce meridiana clariùs liquet: ex illâ agitatione, & corporum conflictu ſemina ignifica ſuſcitantur, undè ignem actualem ſæpiſſimè elici à nobis fuit obſervatum, ut poſt pauca fuſiùs dicemus.

Dicunt aliqui, actu frigus agere, & corpora frigefacere, ut contingit in nive reſpectu vini, vel aquæ, vel ſimilis corporis, quod ab eâ frigefit: ergò frigus erit revera ens poſitivum, non autem calidi ſimplex privatio.

Non inquam ità dicant, quia in ſimilibus actionibus corporum non ſuccedit frigefactio à qualitate poſitiva, quæ ibi forſan agit frigefaciendo, ſed quia aqua, vel vinum, vel ſimile corpus calidum calorificis æthereis particulis privatur, abſorbendo ſcilicèt eas corpus frigidum, & conſequenter non eſt nix quatenus frigida, quæ agit, ſed corpus calidum, quod dùm nivem excalfaciendo progreditur calorificis extraneis particulis, ſicuti privatur, ità nivem excalefacit, & ipſum frigefit, quatenus hujuſmodi calorificis partibus privatur, & conſequenter ſemper remanet veram frigiditatem conſiſtere in caloris privatione.

Tertiò, quò ad humiditatem, ejuſque naturam, præterquam quòd conſtat ex *Ariſt. 2. de generat. & corrupt. text. 54. & 2. de anima tex. 113. humidum*

dum illud eſſe, quod aqua eſt, vel habet intra ſe aquam, quæ eſt principium omnis humiditatis conſtitutivum, nàm cit. tex. 2. de anima inquit: *humidum autem non eſt ſine corpore, neque udum, ſed neceſsè eſt aquam eſſe, aut habere aquam, & cit. 2. de gen. tex.* 14. hæc habet: *Udum quidem eſt, quod habet alienam humiditatem ſuperficie tenus*; tamen lumine naturæ patet id humidum eſſe, quod vel aqua eſt, aut aquam in ſe recipit.

Quartò demùm ſiccum, quòd propriè ſonat ex ſuccum, continetque negationem dumtaxat humidi opponi ipſi humido, ex eâdem *Ariſtot.* ſententiâ patet cit. locis, & conſequenter nihil aliud eſſe ſiccitatem, niſi privationem humoris, ſive aquæ; illud namque ſiccum eſſe lumine naturæ patet, quod minimè aquam ſecum admiſcet.

His de primarum qualitatum natura breviter libatis, poteritis eadem methodo per cæteras, quas ſecundas appellant qualitates, diſcurrere ſufficientiſſimè per ſitum partium ſubſtantiæ, ſed

Ad ignem noſter redeat ſermo, quem demonſtrabimus tanquàm dignius agens in rerum naturâ ex perſpectis ejus operationibus ut infrà, & quidem ſi celebriores Philoſophos perceнſeas, clariùs deſcriptam ejus naturam reperies, quàm ſcholaſtici ſolent.

Primò, Anteſignanus Medicinæ dictator *Hippocrates* ceu divinum aliquid, atque immortale ignem admiratus eſt *lib. de Carnibus tex.* 1. inquiens: *Et videtur ſanè mihi id, quod calidum vocamus immortale eſſe, & cuncta intelligere, & videre, & audire, ſcire omnia, tùm præſentia, tùm futura: hujus igitur plurima pars, cum turbata eſſent omnia in ſupremam circumferentiam ſeceſſit. Et videtur mihi ipſum veteres athera nominaſſe. Altera pars inferna appellatur, terra, frigidum quid, & ſiccum, & multis motionibus obnoxium, & in hac ſanè multum calidi ineſt. Tertia pars aëris medium locum occupavit calidum quid, ac humidum exiſtens. Quarta verò pars terræ proximum locum cæpit, humidiſſimum quid, ac craſſiſſimum.* En quomodò calidi actiones, ſive ignem in hoc orbe rimatur *Hippocrates*?

Secundò, Stoici mirabiles inſpicientes in rerum naturâ ignis operationes, Dei Optimi Maximi naturam, non niſi per ignem explicari auſi ſunt, referente *Galen. lib. de hiſt. philoſophicâ* ubi ſic habet: *Stoici Deum eſſe pronunciant ignem arte præditum, rationeque & viâ ad generationem procedentem, atque omnes rerum omnium rationes continentem, &c.* Hunc ignem *Zeno* æthera eſſe voluit, quem ut refert *Cic.* 1. *de nat. Deor.* Deum dicit eſſe. Unde cecinit *Ovid.*

Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo.

Et Poëta. *Iovis omnia plena.*

Tertiò, *Cleanthes Zenonis* auditor, ut narrat *Cic* 1. *de nat. Deor. Tùm ipſum mundum Deum dicit eſſe, tùm totius naturæ menti, atque animo hoc nomen tribuit, tùm ultimum, & altiſſimum, atque undique circumfuſum, & extremum omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui æther nominatur certiſſimum Deum judicat.*

Meritò divinus Poëta dixit.

Spiritus intus alit, tôtamque infuſa per artus.

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Id *Euripides* quoque tragico cothurno

thurno lepidè, atque præclarè expreſſit:

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur?
Hunc ſummum habeto Divum: Hunc perhibent Iovem.

Hanc divinitatem aſtris tribuit, cum enim ex tali ardore, ſeu nobiliſſima, puriſſimaque ætheris parte progignantur, meritò tota eſſe ignea, utpotè calida, & pellucida duorum ſenſuum teſtimonio confirmari *Cleanthes* putat tactus, & oculorum. In ſole preſertim, quorum ignium eſt princeps, omnia ſua clariſſima luce colluſtrans, hoc manifeſtum reddit: Nàm ſolis calor, & candor illuſtrior eſt, quàm ullus ignis, quippè qui immenſo mundo tàm longè, latéque colluceat, & is ejus tactus eſt, non ut tepefaciat ſolùm, ſed etiam ſæpè comburat, quorum neutrum faceret, niſi eſſet igneus. Hunc tamen ſolis, & reliquorum aſtrorum ignem non ei ſimilem dixit, quæ ad noſtros uſus, adhibemus ſed qui corporibus animantium continetur; hic etenim vitæ conſervator, auctor eſt, & alimentum, contra verò ille confector, & conſumptor omnium, undè cum ſolaris ignis univerſæ terræ, omnibuſque animalibus ſalutaris ſit, itidemque rerum productor, vita, & conſervator (is enim efficit, ut cuncta in fructus germinent, in vitam reviviſcant, & adoleta pubeſcant) dubium non eſt ſimilem eſſe eorum ignium, qui in corporibus animantium cohibentur. Hæc adducit ex *Cleanthe cit. Cic.* Nè dum ut oſtendat Solem, & reliqua aſtra ignem eſſe, verùm animantia, & præſtantiori quolibet alio intelligentia prædita, utpotè ſimili animantium igne vitæ omnis, intelligentiæque auctore reſpirantia, & cum eam mundi partem incolant puriorem, æthereamque atque Oceani, terræque reſpirantis humoribus longo intervallo extenuatis alantur, fit ſenſu acerrimo, mobilitateque celerrima præcellere, iiſque intelligentiam ineſſe acutiorem. *Etenim* (ut *Cic.* ibidem loquebatur) *licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër ſit purus, ac tenuis, quàm illorum, qui utantur craſſo cælo, atque concreto.*

Sed complures præſtantiſſimi Philoſophi, cùm ex priſcis, tùm ex recentioribus ſolarem ignem, non ut *Cleanthes* putavit ſimilem ei, qui noſtro uſui, & victui inſeruit, ſolemque perpetuis ardere flammis credidere. Hujus placiti fuit *Anaxagoras*, *Democritus*, aliique, & ex recentioribus *Keplerus*, *Kircher*, & complures. Profectò ut dicam quod res eſt, nihil æquiùs ex noſtratibus, quàm ignis ſoli propriùs aſſimilari videtur. Etenim nè dùm *Eccleſ.* 43. *Sol fornax* dicitur *in operibus ardoris*, verùm ſimile quid in ſole per Teleſcopium nuper Mathematicorum ſolertia deprehendit, ut in ære, apud fornaces fuſorias liquefacto conſpicitur; æſtuat namque pariter in ſole, ſicut in ære liquato, inconſtans undationum lumen, & utrobique exundans, inæqualiſque umbrarum, ac ſplendoris diſcurrens motus conſpicitur, ut nec veriori ſimilitudine ſolis ſplendor, quàm fuſoriæ fornacis ære

jàm

jàm fuſo explicari poſſit. Proſpexit quoque Teleſcopium in ſolari diſco maculas perpetuâ vertigine circumactas, faculas, fuligines, & vortices, quæ omnia non niſi ignitorum corporum eſſe negabit nemo: Imò ipſamet rerum omnium magiſtra experientia quotidiè nos edocuit ignem facilè cuilibet corpori injici radiis ſolaribus in lente convexa vitrea, vel parabolicis ſpeculis exceptis; non immeritò igitur ſolem flammæ aſſimilavit *Pater Stephanus Natalis* in ſuo volumine *Sol flamma.*

Attamen propoſitum non convincere hæc ſolis cum flamma comparatio videbitur, neque rationi conſonum globum ignitum ſolem eſſe; quippè flammæ figura in conum ſe attollit, baſis in ellychnio, vertex, ſive punctum in ipsâ flammæ ſummitate reſidet, ſolem verò ad ſphæræ figuram effictum ex opticis obſervationibus ſatis apertè demonſtratur: Etſi non deſint, qui dicant ſolaris coni baſim noſtris oculis conſpicuam ſemper eſſe, nunquàm verticem, ideò ſphæricum apparere. Præterea ſol cum reſtauratione, & alimento non indigeat (quippè vel conſumptum, vel ſenſibiliter diminutum jàm nunc proſpiceremus) neque ignem eſſe, flammæque figura efformatum, certum erit; Nàm ignis alimento egere nemini dubium fuit, inde quia flamma, ut rectè *Ariſt.* affirmat, fit ab accenſis halitibus inceſſanti motu, ut fluviorum aquæ, ſemper ſibi denuò ſuccedentibus: niſi nova fuligo deperditæ loco ſuccederet, abſumptaſque partes continuò reſtauraret, ſtatim ellychnium lumine deſtitueretur.

Sed hæc nihil nos urgent, nàm ideò flammæ figura in conum aſſurgit, & nova fuliginis reparatione indiget, quia ab aëris circumfuſi gravitate compreſſa ad ſuperiora enititur; indè fit partes medias celerrimo, & inceſſanti motu agitatas ſupra alias aſſurgere, ex quo conus efformatur, undè cum fuligo ex tali ſucceſſivo motu habeat ubi avolans feratur, ideò ſemper nova fuligo ad deperditas partes reſtaurandas requiritur: non ſecus ac fluviorum aquæ, niſi haberent, ubi ferrentur, perſiſterent ſemper eædem abſque aquarum ſucceſſivo adventu ſicut ſtagnorum aquæ. Simili quoque modò in ſole diſcurrendum eſt, etenim ſolis particulæ non extra feruntur, cum non ſit ubi avolent, ideò neque in coni figuram attolluntur, neque reparationis egent.

Non tamen me latet complures præſtantiſſimos Philoſophos putaſſe omnia aſtra nutriri, ut *Plin.* pro certo tenuit ſidera humore terreno paſci, & Stoici Solem Oceani humoribus, Lunam ex aquis dulcibus ali apud *Senec. 2. q. nat. cap. 1.* affirmant, *ex Cælo, & terrâ alimenta omnibus animalibus, omnibus ſatis, omnibus ſtellis dividuntur*, quorum ſententiam Aſtronomicorum recentium accurata exploratio ſtabilire poſſet. Maculæ ſolares per tubum modò illuminatiores, modò tenebricoſæ obſervatæ, fuligines, faculæ, &c. alimenti defectum, & reſtaurationem deſignant non abſimili modo, ſi in fornacem tenebricoſo lumine ardentem lignorum, bituminiſque copia injiciatur, tunc in majorem flammam, illuminatioremque erumpit,

ideoque altas ſtellas *Cic.* renovatas appellavit. Hanc de ſiderum nutritione ſententiam, ideo ut certam ſtatuebant, quia ignea exiſtimabant, ut *Cic. 2. de nat. Deor.* loquitur: *Sunt autèm ſtellæ natura flammeæ, quò circa terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur, iis qui à Sole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, quibus altæ, renovatæque ſtellæ, atque omnis æther refundunt eadem, & rurſum trahunt indidem, nihil ut ferè intereat, aut admodum paululùm, quod aſtrorum ignis, & ætheris flamma conſumit.* Indè putabant nonnulli ex hujus humoris defectu mundum quandoque igne abſumendum, rurſumque ab igne (quem Deum putabant) renovandum, ut ibidem *Cic.* hiſce ait: *Ex quo eventurum noſtri putant, id de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret cum humore conſumpto, neque terra ali poſſet, neque remearet aër, cujus ortus aqua omni exhauſta, eſſe non poſſet, ità relinqui nihil præter ignem, à quo rurſus animante, ac Deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur.* Hic ergò Deus, & mundum creat, & conſervat, & renovat; En quanti fuit apud Philoſophos ignis!

Quartò, *Plato, & Platonici* omnes eum tanquàm mundi hujus, & corporum omnium animam aſſeruêre.

Quintò, *Paracelſus lib. 2. Philoſophiæ ad Athenienſes tex. 6.* ignem conſiderat non quatenus in combuſtione lucet, ſed tanquàm quid ſub combuſtione ludens, productivus tàm combuſtionis, quàm lucis, quaſi ſpiritus comburens, dum inquit: *Ignis, qui urit, elementum ignis non eſt, ut nos videmus, ſed ejus anima nobis inaſpectabilis, ignis elementum, & vita eſt. Jàm verò elementum ignis non minùs in viridi ligna ineſſe poteſt, quàm in igne. Ipſa tamen vita non æque adeſt, ac in igne. Inter animam ergò, & vitam diſcrimen eſt. Ignis enim ſi vivit, urit. Si verò in animâ eſt, hoc eſt, in ſuo elemento, uſtione vacat.* Hæc *Paracelſus*, quæ obſcura quoquo modo videntur, ſed ſi manuali operatione explanentur, liquent. Nàm ut inferiùs explanabimus, ignis non tantum ludit, ut conſpicitur in combuſtionibus culinariis, ſed à philoſophis ignis quoque actiones ſub fermentorum, & menſtruorum operationibus, celeriores, atque potentiores videntur ijs, quæ ab igne actuali fiunt. Sic Chryſulcæ, Gehennæ; Stygiæ, & cæteræ aquæ fortes, metalla ſolvunt, quæ aliàs igne actuali ità ſolvi nequeunt. Sic ignis, (intellige tàm de actuali, quàm potentiali, ſive menſtruali, quàm etiam de fermentali) dum vivit ſub larva ſcilicet ſpirituum, urit; ſin verò in anima eſt, hoc eſt in elemento ſuo, ſeu corpora componit, uſtione vacat, quia in centro aquæ concluſus non urit, ſed corporum proprias exerit actiones.

Sextò *Joannes Baptiſta Van-Helmont. tract. cui tit. complex. atque miſt. elemental. figmentum §. 2.* ejus inſpiciens operationes in ordine ad Pyrotechniam illum appellavit, mortem inquiens: *Ignem negavi elementum, & ſubſtantiam: ſed mortem in manu artificis, ad grandes uſus datam.*


Hinc quoque patet *Paracelſum* ignem appellare illud idem, quod ſulphur appellat, cui ſpecificas corporum proprietates, actiones, motus, muniaque cum omnibus Paracelſiſtis tribuit.

Ex

Ex quibus definiri poteſt ignis, quòd ſit lumen accenſum, ſive excitatum, atque è corporibus extrinſecatum ab alio igne, ſive ex radiorum ſolarium unione in puncto, ubi vel ſuſtentatur ab ipſo Sole abſque materia accenſibili, vel in materia accenſibili conceptum.

Demonſtrari id poteſt ex eo quia producitur ignis in rerum naturâ; vel enim dùm excutitur à lapide cùm chalybe percuſſa, vel ex radiorum ſolarium cono, vel ab alio igne: ſed in corporibus univerſi, ut probavimus cum de principiis, nullæ producuntur operationes niſi dependenter ex eorum intrinſeco lumine, ſive ente ſeminale: ergò &c. minor demonſtratur, quia à corporibus ſimplicibus, ideò concipi non poteſt ignis, ut ab aquâ, aëre, & terrâ virgine, quia carent intrinſeco ſulphure, ſive ente ſeminale: ergò ideò concipitur in productis ſeminalibus, quia conſimile lumen habent in eorum penetralibus incluſum, quod dùm accenditur, ſive ab alio igne, ſive à radiorum ſolarium unione in puncto, vel aliter in materiæ ſuperficie evocatur, urit, ſolvit, aliaſque ignis perficit operationes. Nàm ex omnibus corporibus præter aquam, aërem, & terram virginem per Chymicam artem elicitur quandoque ſpiritus analogicus perficere valens operationes, quas actualis ignis producere ſolet. Sic aquæ chryſulcæ, ſtygiæ, regiæ, & reliquæ, quæ ex corporibus ſeminalibus educuntur, metalla, & lapides ſolvunt, non ſecus ac actualis ignis; dicendum igitur ignem non produci, niſi ex excitato, ſive accenſo lumine corporum formalium conſtitutivo.

Ex quibus habes primò non aliter differre ignem, qui ſub flammæ larvâ ludit, ab eo qui ſub mediocri calore, ac unus ſolaris radius v. g. à pluribus in puncto unitis, à quibus ignis actualis ſuſtentatur, & in corporibus flammiferis ignis excitatur. Ad hoc probandum ponamus experimentum. Accipiatur ſpeculum concavum, ad ſolis radios exponatur, tunc ſolares radij A. poſt ſpeculum convergentes in B. puncto omnes coibunt, conicam figuram efformantes; punctum verò concurſus focus appellatur, quia inibi ignis concipitur. Poſt verò talem concurſum divergunt in C. & calorem tantùm dabunt, quorum divergentia, rarefactio vulgò appellari poteſt, ut in ſubjecto ſchemate patet.



Ex hac ergò mechanicâ habes primò, quòd calor in cono, ſive in puncto connexus eſt ignis, dum eſt rarefactus, eſt calor. In denſitate ludit ignis, in raritate verò calor.

Secundò, in extremo Judicio, cum orbis Creator mundi machinam per ignem diſſolvet, nullo alio igne id efficiet, niſi ſolaribus radiis in cono unitis, è corporibus univerſi ignem extrinſecabit.

Tertiò, in Babilonis fornace tres hæbreorum pueros, Sidrach, Miſach, & Abdenago ignis non combuſſit, & capillus capitis eorum non fuit aduſtus, & ſarabala eorum non fuère im-

immutata, & odor ignis non tranſivit per eos, ut habetur in prophetiâ *Danielis cap.* 3. quia Cunctipotens Deus miraculum patravit, non ſubtrahendo concurſum, ut blaterant ſcholæ, ſed fornacis ignem rarefaciendo; nàm ut habetur eodem cap. 3. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azariâ, & ſociis ejus in fornacem: & excuſſit flammam ignis, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* Præterquam quòd Pia Mater Eccleſia canit: *Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius, &c.*

Quartò ſulphuris flamma magis urit, quàm aquæ ardentis flamma; quia ſulphur eſt concretum, & condenſatum corpus ex lumine, & calore, & idem eſt ſulphur, ac ignis: at non ità aqua ardens, quia calorem, & lumen habet rarum, & volatile, & tenue ſulphur; ideoque illud magis, quam hæc urit. Ex hoc collige ignes fatui, quorum materia eſt quædam viſcoſitas, & pinguedo ſulphurea, quæ à ſolis cæleſtis calore attenuata, & ſurſum elevata, facili negotio motu ſuo excandeſcit, & inflammatur; tenuitate, quâ pollent hi ignes, res circa quas exardeſcere videntur, non comburunt. Ità ſunt fatui illi ignes, qui navium malo, antennis & velis inſidere videntur ex æſtuante pelago. Quando geminæ ſunt flammæ gentilitiis nominibus Caſtor, & Pollux fratres vocatæ ſunt: quando una tantùm Helena utriuſque ſoror. Cùm duæ apparent, ſunt fauſti ominis, & infallibilis tranquillitatis apud Naucleros prognoſis; contra quando una navis malo, vel antennis inſidet haud boni ominis. Hi ignes, & ſimiles hujuſmodi, qui ex terrâ exoriuntur, ſemper æſtatis tempore, & nocte ſerenâ; fatui dicuntur, quòd non urant, propter materiæ ſubtilitatem, & raritatem, ſed tantùm ſplendeant. Ex eadem materia ſubtili, rara, & tenui exoritur ignis lambens valdè familiaris, & fauſti ominis eſſe creditur, qui interdum hominum, aliorumve animalium capitis adhæreſcit. *Plin. lib. 7. cap.* 107. refert, ſupra caput Servii Tullij in pueritio hunc exarſiſſe ignem, Regiæ dignitatis nuncium. *Ex Virg.* 2. *Æn.* In Aſcanio Æneæ filio eadem flamma, ſeu lambeus ignis regiam dignitatem præmonſtravit.

Quintò, ignis non minus ſub flammifera luce corporum accenſorum, quàm etiam ſub ſpirituum larua ludit, qui etſi non accenſi, ſed media deſtillatione è corporibus educti, potentiſſimè tamen urunt, undè Hermetici inquiunt: *Vulgus cremat per ignem, non per aquam.* Prædicti ſpiritus conſpicuum non habent ignem, eſtò eoſdem pariant effectus, & interdum validiores, ac ignis conſpicuus intenſus, hoc quia in humido ſtabulant, ut experimur in aquâ, & oleo ferventi; non conſpicitur autem in aquâ, vel oleo ferventi ignis, quia ob illorum humidum ſeſe in flammam explicare nequit, neque illorum ſuperficies ſolida eſt, ut in ipſis ſic inhæreat, ut lumen reflectere, & conſpici valeat.

Ignis non eſt ſubſtantia, neque accidens; non eſt ſubſtantia corporea, quia ferrum ignitum poroſum non eſt, ut carbo, & tamen po-

potentiùs urit, & conſequenter magis de igne participat, & cum non dentur corporum penetrationes, neceſsè eſt ignem corporis naturam non participare; nàm in poro ferri minori majoris copia ignis ineſt, quàm in poro carbonis majori, ſi ex effectibus cauſas venari licet; Neque accidens, quia accidens, non poteſt eſſe inhæſionis alterius accidentis ſubjectum, ignis verò lumen, & alia quàm plurima accidentia habet: Ignis ergò eſt creatura neutro pluſquam accidens, & minus quàm ſubſtantia à Domino in hominum uſus deſtinata.

Proprietates ignis ſunt hæ, prima, cuncta penetrat corpora, & quæ penetrationis incapacia ſunt, ſaltim illuminare nititur, ut aurum &c.

Secunda, ignis ſine aëre non vivit, ſed ſuffocatus à dententa fuligine perit. Si ultra menſuram aër flammam fugit, hac ſua fuga pyramidalem figuram facit; ſi verò aër à fugâ detineatur, coarctatur, atque ignem extinguit, qui tunc perit, non alimenti denegati defectu, ſed loci nequeuntis fuliginem detinere. Aqua ignem extinguit, non per contrarietatem, ſed poros occludendo, & citiùs aqua fervens, quàm frigida, quia citiùs penetrat. Extinguitur etiam fuliginis conſtrictione.

Tertia, novas creaturas deſtillatione producit ignis; nàm volatila per ipſum fixantur, & fixa volatilizantur, & tria principia Chymica non ſeparantur, ſed de novo producuntur.

Quarta, igne fumus in Gas ſylveſtre, ſeu incoërcibile convertitur, ut in pyrio patet pulvere.

Quinta, quæ igne calefiunt, ut aqua, aër, &c. non per contrarietatem calefiunt, ſed per Relollæi alieni generationem, quatenus agit, quod ipſi agere juſſum eſt. Relollæum, hoc eſt alienum, eſt afficiens non producens ex fermentis, & ſeminibus rerum v. g. calor in aquâ eſt Relollæum tranſiens, quia violenter introductum; ideò namque ceſſante igne; à quo eſt productus, ſua ſponte, ſtatim minuitur, ceſſatque non ampliùs fotus. Ignis per contrarietatem non agit, quia contraria rerum natura nunquam agnovit; tùm quia follium frigidiſſimus aër ignem magis intendit, & ignis fortiùs urit ſub flatu, & frigore Boreæ, quàm Auſtri: igitur non per contrarietatem, quia frigiditate remitteretur.

CAP. II.

Quotuplex ſit Ignis.

NOn alium ignem, præter Culinarium, qui apud nos accenditur, & extinguitur, rude cognoſcit vulgus; Præter hunc vulgares Philoſophi vanis analogiis ducti, ignem prout elementum in propriâ ſede, ac debitâ regione proximè ſub Cœlo, ſupra aërem chimæricè alium ognoſcunt; Nos verò in Chymiâ triplicem cognoſcimus ignem, quia ſub triplici formâ ludit, & corporum deſtructiones, reſolutiones, & immutationes perficit. Nullum inter hos tres ignes ſubſtantiale diſcrimen agnoſcimus, niſi accidentale, & penes operandi modum.

Dicitur n. unus actualis, alter fermentalis, alius verò potentialis, ſeu menſtrualis, de quibus ſigillatim nunc agendum eſt, unde ſit

Art. Primus.

De Igne actuali, & ejus in Chymiâ operationibus.

Quid actualis ſit ignis, jàm ſatis dictum eſt, unum tantùm dicendum reſtat, actualem ignem, vel ratione corporis, circa quod agit, vel ratione loci, vel modi, habere intenſiones, vel remiſſiones, undè varia graduum emergunt diſcrimina.

Joannes Baptiſta Van-Helmont. in rerum naturâ ignis gradus conſiderans, quindecim conſtituit, quos ita diſtinguit titulo, calor efficienter non digerit, ſed tantùm excitativè §.35. p. m. 127. inquiens: *Ego verò ad clariorem doctrinam in Chymicis, gradus diſtinguo, ut primus ſit, ubi ſumma frigiditas eſt remiſſior. Etenim qui Chymiam, naturæ pediſſequam, & ſimiam æmulatricem fingo, atque ſubinde magiſtram: totam naturam ſpeculationi Chymiæ ſubdo. Secundus ergo gradus in natura ſit calor, qualis eſt aquæ non dum glaciatæ. Tertius ubi remiſsè friget, prout eſt aqua putealis. Alioqui calor abſolutus ad tactum noſtrum (qui tepidus eſt) fallitur, frigereque putatur, quidquid ſe minus calet. Et cum plus minuſvè tactus caleat, inconſtans facit indicium caloris. Quartus demùm gradus eſt teporis levinſculi. Quintus jam tepet. Sextus eſt noſter. Septimus jam febricitat. Octavus Solis majalis. Nonus deſtillatorius, & qui jam tactum ſuperat. Decimus deſtillat cum ebullitione. Undecimus ſublimat ſulphur, & ſpiritus ſiccos. Duodecimus liquefacit, & pyritem ſublimat. Decimustertius eſt in ſubfuſca ignitione. Decimusquartus eſt ignitio candens. Decimusquintus tandem eſt follium, & reverberij ultimatus vigor.*

Hos gradus in naturæ corporibus prout diverſos producunt effectus *Helmontius* conſideravit, non ut Peripatetici, qui octo in obſervabiles, & imaginarios, aut Galeniſtæ quatuor Chymericos ſibi perſuadent, ſed ferè innumerabiles agnoſcimus. Calor, & ignis ſubſtantialiter non differunt, ſed tantùm accidentaliter, ut diximus, igitur unicus in univerſi naturâ ſub ejuſdem ſuæ eſſentiæ unitate conſpicitur; penes gradus ſolummodò differt, quia ex ſui primæva proprietate calefacere, ſivè internum è corporibus ſpiritum extricare habet, ex cujus motu cœteri in naturâ ſuccedunt effectus, ut ſunt maturandi, rarefaciendi, fermentandi, exhalandi, liquandi, &c.

Actualem ignem quatuor in præcipuos gradus genericos diſtinguimus, prout ad noſtrum uſum quadrupliciter adminiſtramus.

Primus gradus eſt mitiſſimus teporis adinſtar, illiuſque B. mitis, vel fimi appellatur. Tactus organo exploratur gradus hic tali modo: Digitus in B. immergitur, neque excedentem caloris ſenſationem digitus ſentit. Hujuſmodi eſt ignis vaporoſus Philoſophicus, qui incubatu gallinæ matris ex ovis pullos excludentis circumſcribi poteſt. Sicut cujuſmodi eſt omnis calor rectè diſpoſitus, ſive temperatus. Ægyptij hoc caloris gradu mediis fornacibus ex ovis pullos excludunt.

Tri-

Triplici modo hunc gradum, vel Balneo Maris, ſive Mariæ, vel Balneo roris, ſive vaporis, vel medio aliquo non humido, ſed ſicco, ut Tigillo, &c. ſupra moderatam flammam poſito, adminiſtramus. In B. M. ipſamet aqua Chymico vaſi immediatè dat calorem. In Balneo roris non ipſamet aqua immediatè calorem dat, ſed vapores ab ipſâ aquâ calente erumpentes, qui gradus dicitur calidus, & humidus. In alio verò, ignis à tigillo, catino, &c. vel alio medio exhalationes rerefactæ dant calorem, qui gradus dicitur calidus, & ſiccus.

Secundus gradus eſt cinerum, quia fit à caleſcentibus cineribus à mediocri igne accenſo ſub tigillo, in quo ſunt cineres. Hic gradus eſt primo intenſior, & exploratur, quia tactum evidenter ferit, attamen læſionem digito non affert.

Tertius gradus eſt arenæ, vel ſcobis ferri ferventis, qui ab arenâ, ſeu ſcobe ferri in tigillo ſupra ignem poſita, fit. Hic gradus non ſolùm tactum evidentiùs ferit, ſed etiam lædit.

Quartus denique gradus, qui etiam ſummus eſt, ac nudus, vel apertus, quia viva flamma lignorum, vel congeſtarum prunarum, follibus vehementer inflatis procuratur, & nullo medio operi adhibetur. Hic gradus intenditur ad reverberij potentiſſimum ignem uſque, qui ratione loci in reverberij furno adminiſtratur.

Aliqui ſecundum cum tertio confundunt, & ſic tantùm tres ignis gradus aſſignant; ſed perperam, nam diverſimode arena, ſive ſcobs ferrea, diverſimode verò cinis ignem concipiunt, hæc enim minùs denſa eſt.

Adverte tamen unumquodque horum graduum ſuos habere gradus juxta majorem, vel minorem intenſionem caloris, in latitudine illius gradus ſub quo continentur.

Primus gradus primi tepidiſſimus eſt, & magis ad frigiditatem, quàm ad calorem accedit. Secundus primi eſt tepidus, & æquè de frigiditate, & calore participat. Tertius primi, magis participat de calore, quam de frigiditate; tamen nunquàm tantum calorem habet, ut latitudinem primi gradus excedat. Quartus primi, ità de calore participat, ut omnem frigiditatem excludat.

Primus gradus ſecundi leniter tactum urit. Secundus ſecundi fortiter. Tertius ſecundi fortiùs. Quartus ſecundi fortiſſimè, nec tamen tactum lædit.

Primus gradus tertii non admodum tangentem lædit. Secundus tertii moderatè lædit. Tertius tertij ſupra moderationem lædit, non ità tamen, ut digitum deſtruat. Quartus quarti taliter lædit, ut tactus deſtructionem incipiat machinari.

Primus gradus quarti denique organum tactus deſtruere incipit. Secundus quarti totalem deſtructionem efficit. Tertius quarti intenſiùs, & celeriùs. Quartus quarti intenſiſſimè, & celerrimè id exequitur. Primus carbonibus excitatur, ſecundus carbonibus, & flammis, tertius augentur flammæ, quartus magis, maximèque intenduntur, ut in reverberii furno circumvolutantur, diciturque ignis Rotæ.

No-

Notandum, quòd licet Balnei calore deſignetur primus ignis gradus, tamen à Balneo in operatione omnes ignis gradus haberi poſſunt, audacto ſcilicèt igne, & primus gradus erit, cum aqua caleſcere inceperit. Secundus deſignabitur ab aquæ calore magis adaucto, & acriter ſe percipi faciente. Tertius habetur cum aqua ità calida fuerit, ut ferè urat. Quartus tamen ab aquâ haberi non poteſt, quia in quarto ignis debet eſſe intenſiſſimus, ut in igne nudo, qui gradus in reverberij furno tantùm haberi poteſt. Sic proportionaliter in arenâ, & ferri ſcobe idem ſervari poterit ordo, ac in Balneo diximus. In igne verò nudo, ſive aperto omnes hujuſmodi gradus adminiſtrare poterimus ſecundum intenſionem, aut ignis approximationem ad opus Chymicum. Sic candelæ flamma primus gradus attingi poteſt. Secundus carbonibus remiſsè accenſis. Tertius ex eiſdem adanctis. Quartus verò ex lignis, &c.

Alij alios ignis gradus concinnant, ſed ut ad hos reducibiles recenſere omittimus.

Alij verò ignem diſtinguunt in mediatum, & in immediatum, humidum, & ſiccum, ſed hi ſunt modi, quibus ignis modificatur, non verò propter hos diverſi gradus ab aſſignatis aſſignantur, ut v. g. ignis ſuppreſſionis, qui fit carbonibus vivis ſuper arenam, retortam tegentem, p[illegible] ſcilicèt acce[illegible]ſis.

Art. Secundus.

De Igne Potentiali, ſive de Menſtruis.

Quem Galeniſtæ calorem virtualem, ſivè potentialem corporum vocitant, hunc Chymici Vulcani beneficio è corporibus extractum, atque eductum, menſtrualem, ſive potentialem ignem appellitant. Hic enim ignis non aliter ac actualis corpora comminuit, ſolvit, fermentat; undè excellentiori vi quandoque vulgari igne, ignis iſte menſtrualis pollet, dum in opere Chymico excellentiores perficit operationes.

Quæ menſtrua appellant Chymici, non ſunt illa excrementa ſanguinea, quæ ſingulis quoque menſibus per uterum mulieribus, quæ ejus ætatis ſunt, ut poſſint concipere, accidere ſolent, ut quidam Medicus Galeniſta Neapolitanus *Sennerti* Chymiam perlegens, putabat: Sed pro menſtruis ſpiritus aliquos, aliaſque ſolventes aquas intelligunt; quæ, quia ut volunt, non niſi menſis ſpatio ſuas perficere, dicunt, ſolutiones, quamvis non ſemper, ideò menſtrua appellitant. Menſis autem Chymicus, ſive Philoſophicus, ut aiunt, quadraginta dierum eſt.

Definiri igitur poteſt juxta noſtra principia ignis hic potentialis, quòd ſit lumen, ſive ens ſeminale productorum ſeminalium, quod artis auxilio ab aquæ copia liberatum, adhuc ſub ſuperficie alicujus particulæ, ſive materiæ clauditur. Eſt tamen adeò ſuperficiei proximum, ut ſtatim aliquod productum ſeminale tangit, ex-

extemplo à contactu ſuam vim, atque energiam in actum deducat, qui actus eò efficacior, & vehementior erit, quò corpus, quod illi approximatur, eſt ſulphure, ſive ſpiritu ſeminali affluentius, & abundantius in ſuperficie ſui.

Corporum comminutionem à menſtruis pendere oculatiores Philoſophi intuentes, ab eâ deſumpta analogiâ, non abſimili modo in animalium ventriculis coctiones fieri aſſervere; Nàm intuentes forſan duriſſima oſſa è canum ventriculis comminui, ferrum à ſtruthio Camelo, vitrum, & lapides ab avibus, atque hæc in eorum alimentum cedere, quæ corpora, & ſi potentiſſimo actuali igni exponantur, vix immutari intueabantur: hinc conſimilem ſuccum, (quem acidum digeſtiuum vocant) in animalium ventriculis coctionis effectivum aſſeruêre.

Menſtrua alia actualia, aliâ potentialia.

Actualia dicuntur illa, quæ actualem ſolvendi, & penetrandi vim habent, cujuſmodi ſunt aquæ ardentes, fortes, ſulphureæ, acutæ, ſtygiæ, Regiæ, ſpiritus omnium ſalium, & eorum ſiccæ ſublimationes.

Potentialia verò ſunt illa, quæ ſolvendi vim non ſtatim ac corporibus approximantur, illa ſolvunt, ſed vim ſolvendi, & potentiam habent, quæ ut ſolvant, indigent adjutorio, hujuſmodi ſunt ſulphur minerale, ſal petræ, & reliqua ſalia, vel ſimilia, quæ dum corporibus metallicis, vel lapideis ſolvendis applicantur, illis commiſta, in illa non agunt, niſi externi ignis beneficio, qui ſpiritus ſolventes à craſſioribus materiæ partibus, à quibus antea ligabantur, liberans, atque eorum vim excitans, energiam ſolvendi in actum deducit, ut metalla, & lapides ſolvant, quæ menſtrua ſicca etiam appellari ſolent.

Item menſtrua actualia triplicia ſunt, vel enim ſunt aquoſa, & inſipida, ut aquæ, ſive ſimplices, ſive deſtillatæ, vel ſulphurea, ſive oleoſa, ut ſpiritus vini, terebinthinæ, &c. vel ſalina, ſive acuta, & hæc vel ſunt vehementer corroſiva, ut ſpiritus nitri, ſalis, vitrioli, aquæ fortes, &c. vel minus corroſiva, ut acetum deſtillatum, limonum, & berberum ſuccus, & ſimilia.

Menſtrua Chymica quandoque non ſunt ſimplicia inſtrumenta ſeparandi, ſed aliquando in ipſummet, quod perficiunt opus, tranſeunt, dum partes acutæ, & volatiles ſolvendo, immutantur, & fixantur ſupra corpus in quod agunt, patet in magiſteriis, aliiſque Chymicis ſolutionibus, ac præſertim in martis vitriolo, nàm vitrioli ſpiritus dum martem ſolvit, dulcificatur; & tranſit in aliud, quod martis vitriolum dicitur. Eâdem ratione acetum deſtillatum, limonum ſuccus, & ſimiliâ dum corallia ſolvunt, dulceſcunt, ac cum coralliorum magiſterio, vel ſale perſeverant.

Hinc ex hac doctrinâ, quantum luminis hæc ars medicinæ profeſſoribus affert, facilè cognoſcere poteritis; nàm inde, quomodo omnes morbi, qui ex ſuccorum corruptela ſuboriuntur à ſalibus alkalizatis, vel volatilibus curentur, quidvè coralliorum, unionum, & ſimilium pollines perficere valent, facili ne-

negotio colligere poteritis : nàm hæc omnia omnes acores præcipitant, corrigunt, deſtruunt; aciditas enim ceu corruptionum omnium, & fermentorum matrix eſt, ceù & morborum cauſa, quæ dum per ſimilia retunditur, mille morborum felices ſuccedunt ſanationes. Hac ratione martis vitriolum, abſynthij ſal, & ſimilium obſtructiones ſolvunt, & volatilia cephalicarum herbarum ſalia ſudores promovent in febribus, coctioneſque adjuvant.

Pro completâ menſtruorum naturâ enucleanda, per quid agant in corporibus, & ſolvant, videndum eſt, cum non deſint hujus ſæculi celeberrimi Viri, qui *Ariſtoteles*, & *Galeni* abjurata fide in *Epicureas, Democrateaſque* atomos inciderint, menſtruorum actiones corporum particulis, ſeu corpuſculis angularibus, triangularibus, rotundis, turbinatis, &c. tribuunt, quæ ratione ſimilitudinis cum corporum ſolvendorum partibus, illa ſolvere aiunt. Quorum ſententiam non ut à veritate alienam omittimus, ſed ut juxta Chymicorum poſitiones rem explicemus.

Ideò ſecundum à nobis jàm poſita principia pro hujus rei intelligentiâ dicimus: Omnia corpora ex duobus principiis conſtare, in eſſe, & operari, *Materia* ſcilicet, ſive *Aqua*, & *Efficienti*, ſive *Ente Seminali Interno*, omneſque corporum actiones, proprietates, munia, ac dotes ex dicto ente ſeminali, pendere, ſic v. g. triticum præter ejus materiam ens ſeminale internum habet, per quod vegetat, germinat, creſcit, aliudque ſibi ſimile producere valet frumentum, Hoc igitur intrinſecum corporum ſemen, ſi per fermentalem motum è materiæ centro in ſuperficiem evocatur, non ampliùs ſpecificas corporum perficit operationes, ſed alias induit vires.

Iſte ſpiritus, ceu naturæ ærario, in terræ thecis, ac præcipuè ſub ſali forma quadam ſubſtantia latet. Undè non niſi ex ſalium deſtillatione talis in magnâ copiâ elicitur ſpiritus. Hinc colliges

Primò, cur ex aquâ talis ſpiritus elici minimè poſſit; nàm cum aqua ſummâ homogeneitate gaudeat, ac quandiù aqua eſt, omnem excludit ſeminum labem : hinc neque à naturâ, neque ab arte in alia principia reſolubilis eſt; etenim ſi igne torqueatur, tota quanta eſt, in vapores evolat, qui dùm coagulantur in eandem numero aquam redeunt : ea enim tantùm eſt ſeminum ſuſceptiva, nec quidquam præter ſalinas mumias reſolvere valet, neque in corporibus ex ſe ipſa agere valet.

Secundò, omnem menſtruorum activitatem tantùm pendere ex ente ſeminali, ſive ſpiritu in materiæ ſuperficie ludente, & quò major in materia erit ſpirituum copia, eò erit major, & celerior menſtrui activitas.

Tertiò, ſulphur, nitrum, alumen, & ſimilia, dùm ſolvendis metallis, vel lapidibus tanquàm menſtrua applicantur, cur igne indigeant; nàm internus eorum ſpiritus, qui in materiæ penetralibus torpidus manebat, ab igne extrinſeco dùm excitatur, ac in materiæ ſuperficiem deducitur, in ſolvendis corporibus agit.

Quartò demùm, dari poſſe menſtruum

ſtruum aliquod univerſale, ſeu liquorem immortalem, qui abſque reactione, & de pauperatione ſui cuncta naturæ corpora ſolvere valet, quod *Alkaheſt* philoſophi appellant, de quo dicunt: *Vulgus cremat per ignem, nos per aquam.* Quod menſtruum requirere inquiunt quindecim ſpirituoſæ ſubſtantiæ partes collectas in unicâ materiæ parte; nàm ſicut ſpiritus vini v. g. pro ejus decima ſexta parte eſt ſpiritus æthereus, aliæ verò quindecim partes ſunt aqua pura: Ità, ſi contrà habeatur liquor, qui pro decima ſexta parte erit totus ſpirituoſus, & pro una parte aqueus, erit Alkaheſt.

ART. TERTIUS.

De Igne Fermentali.

DUm ſpiritus ſub fermentali motu movetur, ac ludit, corpora etiam alterare, ac traſmutare valet. Sic omnium corporum, tàm alterativæ, quàm generativæ viciſſitudines hoc in orbe à fermento exoriuntur; nàm dum corporum lumen, intrinſecus Archetypus, atque formator diverſimodè movetur, movet quoque & materiam, undè omnis corporum mutatio pendet. Hinc conjecturalis, ac phantaſticus *materiæ* peripateticorum *appetitus* diverſas ad formas, niſi ad hunc noſtrum reducatur ſenſum, nihil reale in naturâ ponit.

Talis in naturâ motus, vel à ſolari, vel conſimili calore, ſeu ſpiritu excitatur, qui in productorum ſeminalium ſubſtantia conceptus cum centrali ſemine, ſive ſpiritu ex mutuâ conſertione ambo ad motum excitantur. Eſt igitur motus fermentalis, caloris extranei, quatenus foventis, atque excitantis ſpiritum intrinſecum corporum, radicaliter verò eſt latentis in concreto ſpiritus. Sic in naturâ germinant ſemina, dùm Sol à Tropico Capricorni ad Cancrum accedit, quia à ſolaribus radiis, præſertim in Vere, ſpiritus ſeminalis corporum aliàs torpeſcens ad motum excitatur, ac juxta deſtinatas ſeminum Ideas operatur. Sic quoque pulli excluſio ex ovo excitativè à gallinæ fotu, ſicut & ab omni temperato calore habetur, eſſentialiter ab intrinſeco ſpiritu ovi; nam ibi calor extrinſecus fovens non eſt, qui pullum ex albumine efformat, ſed ſpiritus, qui in ejus albumine torpeſcebat, & à calore extraneo, dùm excitatur, pulli generationem molitur.

Demonſtrari id ulterius poteſt, quia ſimplex aqua, quæ utpotè ſimplex, & à nulla ſeminum labe polluta, fermentationis eſt expers, licèt ab extrinſeco calore foveatur, nàm ſpiritu ſeminali caret, in quo motus fermentalis conſiſtit.

Sic intelliges, quomodò paſta non fermentata, ab ea in quâ excitatum eſt fermentum, ad fermentum provocatur, quia extrapoſiti ſpiritus vis, & motus, & aciditas fermentatæ jàm maſſæ, ſuperficiem non fermentatæ dum attingit, illam rumpit, atque aperit odore tenus, latentemque in non fermentata maſſa ſpiritum ad motum excitat, qui ad materiæ ſuperficiem aſcendens acorem producit

Lumine naturæ ſic fermenti natura

explicata, illius utilitatem, & neceſſitatem in hac arte intelliges; nàm cum omnis vis corporum medicamentoſa in hoc ſpiritu lateat, quam non reddit, niſi prius fermentali motu à centro ad extimas aquæ partes fuerit delatus, ideò hæc ars fermento utitur tanquàm id, quod ſpiritum concretorum ad extimas partes deducit, qui facilè deinde per deſtillationem habetur.

Pro cujus rei clariori demonſtratione veniat in exemplum muſtum recenter ab uvis expreſſum, hoc pro una parte dolio adaptetur, ut per fermenti motum; vinum fiat; pro altera verò parte vitreis vaſis deſtilletur, hæc in deſtillatione aquoſum liquorem inſipidum reddet, vix à ſimplici elementari aquâ diſtinguibilem, uſque dum muſtum in liquidæ picis conſiſtentiam exſiccetur, ac tunc oleum ſubcitrinum eructabit, quod præcedenti liquori ſupernatabit: reliquum deinde carbonizabitur, quemcumque Vulcani torturam ſpernens, niſi aperto conflagetur æthere. Si verò alteram muſti partem, quæ per fermenti motum in acidulum vinum degeneravit, temporis intervallo deſtillabis, vix perceptibili calore ſi urgeatur, vinum puriſſimum dabit ſpiritum in tenuiſſimum vaporem, qui in refrigerii loco in cryſtallinum liquorem coagulatur oleoſum, Diaphanum, acutum, omninò cremabilem, integram vini eſſentiam ſecum ferens; Ipſo enim abſtracto ſpiritu, quod remanet, vinum non eſt, ſed phlegma ignavum, quod ſi igne ſollicitabis, aquoſum eructabit liquorem uſque in ſui omnimodam exſiccationem, quæ vix partem fæcum muſti reſpectivè carbonizatam præſtabit proprio gravidam ſale. Deniquè ſi aliquam dicti vini partem ulteriùs fermentare permiſiſſes, & in acetum tranſmutaretur, illudque deſtillaſſes, reddidiſſet acetoſos ſpiritus, primò debiles, atque gradatim acutiores, ac ultimos acutiſſimos, pauciſſimis tamen ſubſidentibus fæcibus omni ſale carentibus.

Videte igitur in eodem uvarum ſucco diverſas fermentorum operationes, quarum omnium ſcopus eſt, ut vegetabilis ſpiritus in ſucci penetralibus degens, ſemper magis, atque magis in illius ſe efferat ſuperficiem. Hinc eſt, quod deſtillatum muſtum nullum eructat ſpiritum, ſed puram aquam; quia ſpiritus ex defectu motus fermentalis ab ambagibus ſui concreti ſe non extricaverat, ac proptereà calor priùs ſimplicem evaporavit aquam, quæ in ſuperficie ludebat, qua conſumpta, ſpiritus in carbonem ſe recepit, ut ignis violentiam ſperneret.

Hinc deridendi ſunt illi, qui ex muſto in doliis fermenteſcente, adaptatis pileis doliorum foraminibus, vini ſpiritum cremabilem elici aſſeverant; nàm muſtum in doliis fermenteſcens nil aliud, præter incoërcibile Gas, niſi aquam ſimplicem eructare experientia, præter rationem, conſtat.

Vinum verò, in quo fermentalis motus præceſſit, ſpiritum ipſum in ſuperficie habet (quod ex acidulo vini ſapore, & muſti dulcedine evidenter dignoſcitur,) & ſtatim primo ignis vigore elevatur; reliqui

verò

verò ſpiritus, qui fortè non aſcenderunt poſtquam aquoſo phlegmate ab igne exonerati fuêre, adhuc in fæces fixantur, quæ ideò ſale ſunt gravidæ: Quartam tamen partem fæcum muſti vix æquare videbis. Sed ab aceto in quo duplicis fermenti vis omnes ſpiritus extrinſecavit (quod ex illius acutiſſimo acido guſtatu dignoſcitur) vis ignis omnem ſpiritum in formâ volatili ſublimat, ità ut nullæ fæces, nullumque ſal remaneat, præterquam tincturæ, ſtillatuſque ſpiritus à primo ad ultimum, ideò ſemper acutior percipitur.

Quâ ex mæchanicâ rectè percipere poteritis, quorſum fermenti vis procedit; ut corporum naturalium mille perficiat metamorphoſes, tàm in hac arte, quàm in naturâ. Quod nàmque fixum erat, omnemque ignis ſpernens activitatem, fermentali virtute volatilizatur, ac illud idem quod ſal fixum erat per fermentum in volatiles ſalinas abit in auras.

Natura fermento utitur ad corporum mutationes peragendas. Sic herba, ligna, aliaque ſimilia ſub terrâ fraceſcunt, dùm fermentum arripiunt, ac in hoc aliquid in novæ herbæ, vel arboris alimentum cedit, mutantur. Sic quoque vitrum, lapides, & ſimilia, quæ igne actuali contumaciſſimo reſiſtunt ſub terrâ fraceſcentes, tranſmutantur.

Recentiores naturalis Philoſophiæ alumni duplicia in rerum natura fermenta aſſignant. Primum in ſe continet auram fluxibilem, ſeu ſpiritum ſeminalem (quem *Paracelſus*, & *Helmontius Archeum* appellant) qui ſuo fluxu in animam viventem aſpirat.

Secundum verò continet in ſe motus initium, generationis rei in rem poſſidet, quod licet tanquàm ſui initium non habeat auram ſeminalem, quæ rerum agendarum complectatur ſcopos, odore tamen, vel aura ab aliquo vivente participata, quandoque in animam viventem aſpirat. Primi generis fermentum habent ſemina omnia, tàm animalium, quàm vegetabilium, quem ſpiritum prolis ſimilis generandi productivum habent, ex cujus vi, atque energia animal, vel vegetabile producere habent. Secundi verò generis ſunt putrefactiones omnes, tàm ſuccorum è vegetabilibus quàm animalibus expreſſorum, vel ipſorum vegetabilium, vel animalium, ex quibus vermes, ac animalia alia producuntur.

Has corporum ſcænas in naturæ theatro fermenti energia prodeuntes Chymia inſpiciens, hinc, naturæ pediſſequa, ut corpora naturalia tranſmutare, & ipſa poſſit, etiam quandoque fermentationis ope uti, qua fermentationis doctrina inſtructa hujus ſæculi præſtantiſſima ingenia, coctiones omnes, quarum beneficio in noſtro corpore eduliorum tranſmutationes celebrantur, à fermento fieri aſſeruêre.

CAP. III.

De variis Ignis in Chymiâ operationibus.

Corpora igne tractabilia è triplici vegetabilium, mineralium,

lium, & animalium Regno hoc in orbe eruditus Chymiſta rimatur; undè ſecundum variam corporum naturam variæ ignis operationes à diverſis auctoribus dinumerantur, &

Primò *Quercetanus* ſeptem ignis adnumerat operationes, quæ ſunt calcinatio, digeſtio, fermentatio, deſtillatio, circulatio, ſublimatio, & fixatio.

Secundo *Paracelſus lib.* 7. de tranſmutationibus rerum naturalium adducit operationes, quas ceu gradus tranſmutationis Chymici appellant, & ſunt ſeptem, calcinatio, ſublimatio, ſolutio, putrefactio, deſtillatio, coagulatio, & tinctura, per quas Chymiæ operationes corpora veluti ſubtiliationis ſcala tranſmutari inquit, dùm ait: *Si quis jàm iſtam ſcalam aſcendat, is in tàm mirabilem locum perveniet, ut multa ſecreta videat, & experiatur in tranſmutatione rerum naturalium.* Quæ *Paracelſi* diviſio cum ſupra allata *Quercetani* aliquo modo coincidere videtur, & aliquo modo differre.

Alias alij Chymiæ operationes enumerant, ſed facilè, vel cum prædictis ſeptem confunduntur, vel ad eas reducuntur.

Alij verò duas aſſignant præcipuas genericas ignis operationes, ad quas perficiendas cœteras reducunt, quarum primam ſolutionem appellant, alteram verò coagulationem; Sic enim ad ſolutionem perficiendam dirigunt calcinationem, ſublimationem, putrefactionem, deſtillationem, &c. atque eâdem ratione alias operationes ad coagulationem dirigunt.

Nos verò cum *Paracelſo*, *Johanne Fabro*, & aliis quæcumque naturæ corpora per ſex præcipuas tractabimus operationes, quæ ſunt, calcinatio, ſublimatio, ſolutio, putrefactio, deſtillatio, & coagulatio, ſive fixatio.

Undè tinctura dicta à *Paracelſo* emergit, quæ ſecundum ipſum eſt Arcanum ſummum omnia corpora in ſummam puritatem, ac perfectionem tingens. Nàm omnis medicaminum activitas in hoc ſenſu tinctura dici poteſt, quaſi vitam ſua virtute tingens. Nos de omnibus principalibus hiſce Chymiæ operationibus diſtinctis articulis agemus.

ART. PRIMUS.

De Calcinatione.

VAriis ignis operationibus Chymia utitur, ut corporum purum ab impuro rectè ſequeſtrare valeat, quarum ni Chymiæ facultatis Tyro probè fuerit eruditus, in tenebris verſabitur, omniaque temerè, & in caſſum efficiet; eas igitur hic ſigillatim percenſeamus oportet, pro completâ rei Chymicæ intelligentiâ à calcinatione ſumpto initio.

Calcinatio eſt converſio cujuſcumque rei in cinerem ab igne, ſive actuali, ſive potentiali. Vel eſt pulverizatio rei per ignem facta per privationem humiditatis partes conſolidantis: Vel eſt miſti in calcem ſolutio. Quæ omnes definitiones in unum ſenſum coire videntur; nàm dicitur coverſio in cinerem, ſive pulverizatio rei per ignem facta, ſive ſolutio in calcem, ut nomine calci-

calcinationis deſignetur tantùm ea pulverizatio, quæ per ignem tantùm fit, nàm aliæ rerum pulverizationes propriè calcinationes non ſunt, ſed potius triturationes: ſiquidem propriè calcinatio eſt ſolutio rei in calcem, calx autem cinis eſt, cinis verò nihil aliud eſt, quàm corpus circa quod ignis totaliter egit, nihilque aliud ſupereſt comburendum, quia ibi aliud non remanet uſtioni aptum, ſeu ignea vi in auras reſolubile.

Dici ſolet etiam à Chymicis Alkoholizatio, & cinis ſive calx; Alkohol nihil aliud ſonat, niſi ſpiritus, ſive ſal omni humiditate privatus. Hinc ſpiritum vini dephlegmatum appellitant alkoholizatum, & ſalia quæ ex cineratis, ſeù alkoholizatis corporibus extrahuntur dicuntur alkalia. Quilibet pulviſculus tenuiſſimus; ablatione ſuperfluæ humiditatis (præſertim ex mineralibus factus) calx appellatur. Quando verò pulvis, vel calx, planè redditur impalpabilis, ad ſenſum ſubtiliſſimus, tenuiſſimæ farinæ inſtar, tùm alkohol appellatur.

Calcinatione utuntur Chymici, ut vires poteſtativæ ſimplicium in actum deducantur, nàm cum naturæ lumine noſtris ex theorematibus conſtet vim omnem corporum medicamentoſam in intrinſeco eorum ſpiritu ſeminali latere, qui dùm intra materiæ, ſive aquæ ergaſtula fixus nìmis, & tenaciter alligatus remanet, hinc privatione, ſive ſuperfluæ, ſive extraneæ humiditatis, ignitionis beneficio exhalantis, aut diſcontinuatione partium eorundem corporum, veluti extravertitur, undè promptiùs ſuas exerit vires, ac operatur; undè calcinatio, ſemper fit cum conſervatione humiditatis radicalis fixæ.

Id verò opticè obſervabile eſt in cineribus, ſeu calce ignitorum, ac calcinatorum, corporum, ubi admirandam quandam ſaliformem ſubſtantiam reperies quæ igneâ vi, ingentique activitate prædita, tàm in naturâ, quàm in medicinâ mirabiles operatur effectus; agit namque id quod aliàs corpora ante quam calcinata erant, minimè operabantur. Hujus n. ſalis beneficio cineres arva, plantas, ſegeteſque reddunt fæcundiores, undè vegetiùs pullulant, germinantque ſi cineribus, quàm fimo fuerint ſaginatæ. Latet nàmque in hujuſmodi cinerum alkalibus ſalibus vis, & fomes quidam vitæ, undè ſi cineres alicujus vegetabilis aliqua telluris parte indantur, vim ſeminalem producendi ejuſdem ſpeciei vegetabilem autumat *Petrus Joan. Faber cap. 2. Palladij ſpagyrici*, non ſecus ac ranæ quotannis in limum reſolvuntur, ex eodem limo propriæ earum vitæ fomite, tanquàm ex ſemine renaſcuntur. Imò ut refert idem ſupra cit. auctor, muſcæ, quæ hyemis tempore pereunt, ſi cineribus, earum corpora cooperiantur brevi tempore vivificantur, ac per aërem abeunt volitantes, victumque quæritantes non ſecus ac aliàs veris tempore adventante calore ſpontè reſuſcitantur. Hæc, & alia operantur in naturâ prodigia ſalia. In medicinâ etiam mirabiles ſunt hujuſmodi alkalizati ſalis dotes; dùm eo utimur felici ſucceſſu ad inſpiratos, chronicoſque

mul-

multos morbos profligandos, aliàs uſualibus ſeplaſiarum vulgaribus medicaminibus, inſuperabiles, ut ſuo loco fuſiùs dicemus.

Calcinatio duplex eſt, una actualis, potentialis altera. Actualis ea eſt, quæ fit actuali, validoque igne, quæ vera calcinatio dicitur. Potentialis autem eſt illa, quæ potentiali igne fit, ut ſunt aquæ fortes, chryſulcæ, ſtygiæ, regiæ, ſpiritus omnes ſalium, & ſimilia quotquot extant diſſolventium genera.

Rurſus actualis calcinatio etiam triplex eſt, quatenus triplici corporum generi competit.

Prima dicitur cinefactio, quæ eſt ignitio, quâ vegetabilia, & animalia violento igne in cineres rediguntur.

Secunda reverberatio, quæ eſt ignitio, quâ corpora præſertim mineralia, igne reverberante in reverberij furno, calcinantur.

Tertia demum dicitur deſiccatio, quæ nihil aliud eſt, quàm reſolutio, & attenuatio ſuperfluæ, ſive accidentalis humiditatis in corporibus exiſtentis ab igne facta, quæ fieri ſolet in ſalibus, vitriolo, alumine, & ſimilibus, præſertim antequàm retortæ indantur pro eorum ſpirituum deſtillatione, quæ media calcinatione extranea, inutili privantur humiditate, ut purior media deſtillatione deinde eliciatur ab eis ſpiritus, ut ſuo loco dicemus.

Calcinatio autem potentialis, ſeu potiùs corroſio peracta ab igne potentiali adhuc quadruplex eſt, quatenus quatuor diverſis modis, ſeu mediis perficitur. Prima dicitur amalgamatio: quæ definitur eſſe corroſionem metalli per hydrargyrum, adeoque metallorum propria eſt, ad chryſopopæos potiùs ſpectans, qui ea utuntur ad metalla perficienda, ſive graduanda, utuntur etiam ea aurifabri pro aliorum metallorum deauratione &c. quæ fit quando metallum (excepto tamen ferro) in tenuiſſimas bracteolas comminutum cum mercurij partibus octo plus, minuſvè ſecundum metalli minorem duritiem, igni exponitur ad ejus unitatem diſſolvendam, nàm evaporato mercurio remanet metallum tenuis calcis ad inſtar.

Secunda dicitur ſtratificatio, cui affinis eſt etiam cæmentatio, quæ fit cum crucibulum, pixis, vel aliud ſimile vas, laminato metallo, & pulveribus corroſivis repletur, faciendo ſtratum ſuper ſtratum, ideſt ponendo parum ſulphuris corroſivi in pixide, & parum tenuis pulveris, ſive laminarum metalli ſuperſternendo metallum pulveri corroſivo, & viciſſim pergendo uſque ad vaſis repletionem, quod igni, ſive carbonum, ſive reverberij exponitur, ſicque cæmentatur per horas 4. 8. 12. 24. &c. pro artificis intentione, & metalli cæmentandi natura, & hac etiam utuntur Alchemiſtæ, ad metalla depuranda, ac diverſimodè coloranda, vel exaltanda.

Tertia dicitur fumigatio, quæ eſt corroſio metalli per fumum, vel per acrem vaporem, fitque cum corpus metallicum in lamellas deductum ſuſpenditur ſuper aquas fortes, acetum, mercurium, plumbum liquefactum, &c. uti vulgò ceruſſam parare conſueverunt ex plumbo ſuſpenſo ſuper aceti vaporem.

Quarta

Quarta demùm dicitur præcipitatio, quæ eſt corroſio per aquas fortes, per ſpiritus acutos, cœteroſque acidos liquores, quæ fit cum corpora mineralia, & metallica liquori corroſivo immerguntur, & poſtmodum corroſa, & ſoluta, vel aliquo liquore ad vaſis fundum repercutiuntur, vel aquæ ſolventis abſtractione, ſeu deſtillatione calcem in fundo derelinquunt.

Art. Secundus.

De Sublimatione.

Sublimatio eſt ignis operatio valdè principalis atque pernecesſaria ſcitu; hîc igitur quid ſit, quidvè in Chymiâ præſtet, inquiramus, oportet.

Et quidem ejus naturam nomen ipſum pandit; nàm ſicuti in communi loquendi modo, ſublimare nihil aliud ſignificare videtur, niſi attollere, ſive in altum evehere, undè homines metaphoricè dicuntur ſublimes, dùm honore, virtute, ac gloriâ à reliquorum hominum turbâ diſtinguntur, ac quaſi ſegregati, ac ſelecti ſunt à reliqua vulgarium hominum fæce: Ità in Chymicorum vaſculis varia, dùm ſublimantur corpora naturalia, ac in altum elevantur, puriores eorum ſpiritus ab illorum inutili fæculentiâ ſeparantur; quapropter definiri ſublimatio poteſt, quòd nihil aliud ſit, quàm fixi humidi radicalis, ſive ſulphuris, ſive entis ſeminalis, ſive ſpiritus eſſentialis corporum elevatio, atque à ſua terreſtri materiali fæce ſegregatio, igne rectè operante. Latet namque in naturalibus corporibus eſſentiale quid igneæ, & æthereæ naturæ, quandoquidem minimum, ſed in virtute, & energia maximum, quod dum materiæ compedibus intruſum manet, fixum ac permanens eſt, eſſentiali, ſpecifica activitate, vel nulla, vel nimis debili præditum, quia ejus poteſtativa operandi vis eſt impedita, quandiù intra materiæ ergaſtula clauditur, quod niſi alta petens, ab illâ ſeparetur, atque in actum deducatur, ſuis minimè decorabitur facultatibus; eſt autem maximè affinis deſtillationi hæc operatio, atque per id ab ea differt, quia deſtillatio humidorum propria corporum eſt, ſublimatio autem ſiccis adminiſtratur rebus, undè aliqui deſtillationem deſcribunt eſſe humidam exaltationem, ſicut ſublimationem ſiccam appellant elevationem.

Adminiſtratur verò ſublimatio propriè rebus mineralibus tanquàm ſiccioribus, ſicut deſtillatio corporibus vegetabilibus, & animalibus utpotè humidiori ſubſtantia præditis, ut inſinuat *Paracelſ. lib. 7. de naturâ rerum*, ubi de earum tractatione ediſſerens, inquit: *Sicuti ſpirituale à phlegmaticis, & aqueis rebus in deſtillatione aſcendit, & à ſuo corpore ſeparatur, ità in ſublimatione ſpirituale à corporale, volatile à fixo in rebus ſiccis, ut ſunt omnia mineralia, attollitur, & ſubtiliatur, & purum ab impuro ſeparatur.* Et *Hermes* ità videtur in ſuâ tabellâ ſmaragdinâ ſublimationem indicare: *Separabis terram ab igne, ſublime à craſſo, &c.*

Quid verò in naturalibus corporibus operetur ſublimatio, ipſa ſen-

ſenſuum autopſia docet, dùm ejus beneficio multa craſſa corpora ſubtilia redduntur, ut in ſulphuris, vel antimonij floribus accidit. Multa corroſiva, & acria evadunt dulcia, & benigna, ut præcœteris in mercurio dulci id obſervabile eſt, ubi mercurius ſublimatus acerrimus, acutiſſimus, ac ſuâ ingenti corroſione venenoſus, novi mercurij admiſtione, & cum eo ſublimatione dulceſcit, mitigatur, atque in nobile luis venereæ, præſertim recentis faceſſit medicamen. Multa etiam benigna, & dulcia, è contra evadunt acria, & corroſiva, ut in ipsâ mercurij ſublimati fabrefactione contingit, qui dùm ex vitriolo rubificato, ſale præparato, & ſale petræ, & ſimilibus, aliàs non adeò corroſivis, fit ſublimatus valdè corroſivus, &c. Item ejus medio multa volatilia fixantur, pleraque impura purificantur, ut inferiùs obſervabitur.

Sublimantur autem corpora, vel per ſe ſola, vel cum additione. Per ſe ſola, ut antimonium, ſulphur, ſandaraca, arſenicum, &c. quæ ſiccas habent volatiles ad ignem exhalationes. Per additionem, ut in mercurio ſublimando liquet; mercurius per minima, dùm cum ſalium ſpirituoſis particulis miſcetur, ſublimat, qui aliàs per ſe ſolus non ſublimaret.

Vaſa, quibus ad ſublimandum utimur, debent eſſe, vel vitrea, vel terrea vitreata ſecundum ſublimandi corporis exigentiam, ut ſunt matulæ, matracia, bociæ, & ſimilia, quibus adaptantur pilea, vel roſtrata, vel non roſtrata, vel nullo modo adaptantur, ut cum aludele, vel retortâ utimur, &c. quibus nullus adaptatur pileorum uſus. Vaſorum figuræ, vel debent eſſe oblongæ, vel teretes, ut clariùs in praxi obſervatur, eo tamen, ut ab ignis calore capitellum, aut ſuperior vaſis pars minimè incaleſcat. Vaſa vitrea debent eſſe lutata, ſive luto ſapientiæ munita, nè diſſileant.

Ignis debet adminiſtrari, ac graduari ſecundum corporis ſublimandi exigentiam; alia enim corpora exigunt fortem ignitionem, ut marchaſita, tutia, antimonium, & ſimilia; alia mediocrem, ut mercurius, realgar, &c. alia ignem remiſſum, ut ſulphur.

Gradus autem ignis in ſublimatione rectè ſunt obſervandi, aliàs operatio malè ſe habebit; primò n. ignis lentus eſt exhibendus, & talis, qui valeat humiditatem tantùm, ſi adſit in materiâ ſublimandâ, ab illa ſeparare, elevare, & per roſtrum, vel aliter foras expellere, deinde pedetentim debet augeri, & intendi ad ultimum uſque gradum à materiâ ſublimandâ exigitum, ut clariùs in praxi liquet.

Ad ſublimationem reduci etiam poſſunt exaltatio, elevatio, & fixatio, ut rectè fatetur *Paracelſ. cit. loco*, nàm multa mediis iteratis ſublimationibus fixantur, & conſtantes fiunt, &c. ut fuſiùs infra.

Art. Tertius.

De Solutione.

Solutione etiam utitur Chymia ad corporum naturalium reſerandas cortices, inutileſque ſegregandas

gandas quiſquilias ab eorum purio-ri, atque ſubtiliore parte, ut ſcilicèt meliùs poſſit ex eis medicamentoſas elicere virtutes: ſic docente natura, quæ in animalium corporibus, ut congruum è cibariis præpararet, educatque nutrimentum, illa priùs dentibus contrita medio excitativo calore digerit, reſolvit, undè purum recipit, rejectis inutilibus eorum impuritatibus.

Solutio igitur diverſimodè, ut ſic accipi ſolet. Et quidem apud Grammaticos idem eſt, ac à vinculis liberare, ut *in noſtrâ Grammaticâ Speculativâ* diximus. Apud Philoſophos idem ſignificat, ac rem patefacere. Apud Medicos idem, ac liquare, & mollifacere. Apud Chymicos verò idem denotat, ac in minimas partes comminuere, ſeu in aquam convertere. Undè multoties metallorum calcinatio, ſive per ſalia corroſiva, ſive per aquas fortes, dicitur etiam ſolutio. Propriè tamen in ſtrictâ ſignificatione ſolutio à Chymicis accipitur pro corporum recluſione, ſeu reſolutione in ſua principia. Undè definiri ſolet, quod ſit operatio, quâ corpora naturalia miſtà in ſua principia, ex quibus à naturâ ſunt compoſita, reſolvuntur. In quo ſenſu ſumitur pro prima, & principaliori ignis operatione, cum Chymia omnes alias ignis operationes eò dirigat, ut perfectam principiorum analyſim perficiat, ut ſcilicèt ea peracta meliùs poſſit utile, homogeneum, eſſentiale ens, ſive ſpiritum purum è materiæ clauſtris abſque impuritatibus elicere, atque ad medicinæ uſum adducere. Verùm ſumitur hic ſolutio tanquàm particularis ſpagyricæ operatio, ſeù ut inquit *Paracelſ. ſup. cit. lib de tranſm. rerum naur.* Tanquàm tertius gradus, quo itur ad naturalium rerum tranſmutationem; nàm ſæpeſæpiùs poſt calcinationem, vel ſublimationem, vel deſtillationem, ſequitur, ut ſolvas materiam, quæ in fundo remanet, ut purum ens eſſentiale inde educas.

In quo ſenſu ſumpta ſolutio duplex eſt. Una ſ. quæ fit à frigore, & humiditate, quæ dicitur etiam reſolutio. Altera verò caloris, quæ ſolet quandoque appellitari diſſolutio. Solutio frigoris fit in humidâ, & frigidâ cellâ, aut aliàs in aëre, in marmore, vel vitro, quæ fit beneficio vaporum aqueorum in atmoſphæra exiſtentium, quæ ſolvunt omnia ſalia, omnia corroſiva, omnia calcinata in liquorem, in aquam, in oleum. Omne nàmque quod in frigore ſolvitur, eſt de natura ſalis alkali, quod omni humido radicali ab ignis activitate utpotè privatum ſiccisſimum eſt, unde novi humidi vapore tenus in atmoſpherâ contenti imbitione ſolvitur, ac liquoris formam induit; undè omne quod in frigore, & humido aëre ſolvitur, iterum ignis calore per humidi extranei exhalationem coagulatur in pulverem, vel ſalem. Solutio verò caloris ſolvit omnia pinguia, & omnia ſulphurea, quæ ignis medio fit. Nàm quidquid ignis calor ſolvit, hoc coagulat frigus in maſſam, & quidquid calor coagulat (præſertim ſaliformæ,) hoc ſolvit rurſus aër, & frigus.

Hic diſſerendum eſſet de mineralium per aquas fortes ſolutione, de

quâ quoniam ſatis ſupra diximus, cum de calcinatione egimus, ideò meritò hîc eandem repetere omittimus.

Hæc operatio miniſtrari ſolet omnibus ſolidis materiis, quæ ad alias ignis operationes conſtantes reſiſtunt, ac conſequenter non adeò facilem admittunt volatilis earum ſubſtantiæ ſeparationem, ut ſunt omnia ſalia alkalia, & mineralia fixa, quæ volatilizari exigunt, ac ob anaticam unionem ſpiritus cum materia; ab una, vel altera ignis operatione non ſolvuntur in ſua principia. Hinc ſemivolatilia ſunt ſeparata volatili eorum parte, ſolvitur fixa, ut ſimiliter volatilizetur, ut in operatione ſpiritus vitrioli rectificati, ſulphuris metallorum, & ſimilibus accidit operationibus. Solvuntur n. hæc dum eorum partes, vel novi humidi hauſtu, ut alkalia, vel novi ſpiritus volatilis admiſtione, atque actione diſcontinuantur, ac iterata veluti comminutione eò ſubtiliantur, ut veluti novam naturam nanciſcantur, ac in nova entia tranſmutentur; Undè illud ſpagyricorum oritur theorema, quod *ſi corpora eò ſubtiliantur, ut amplius ſubtiliari non poſſint, tranſmutantur; Id namque quod fixum eſt*, ut inquit *Paracelſ.* cit. loco, *ignem habet abſconditum valdè corroſivum, ac ſummis virtutibus præditum, qui ſolutis corporum vinculis, ſubtiliatiſque fixæ materiæ partibus, à corporibus educitur, novaſque acquirit vires ſub nova forma ludens.*

Art. Quartus.

De Putrefactione.

Abominabile nomen putrefactionis apud vulgum, ſed Chymicis grata; ea n. utuntur, ut puram, putamque partem eſſentialem è corporibus putreſcentibus educere poſſint. Non n. Chymicum opus perfici poteſt, quandiù conſtitutiva corporum eſſentia ſub materiæ larua corpori componendo vacat; Hinc putrefactione utuntur ſpagyrici, quâ corporum compagem deſtruentes, faciliùs ſpirituoſam eorum partem eſſentialem ex eis elicere poſſint, ac in eorum uſus diſponere: ſic edocti ab ipſâ naturâ, quæ etiam putrefactione utitur, ut in terræ ſinubus animalia, mineralia, & vegetabilia in ſua ſolvat initia, hac educta homogenea ſpirituali eorum parte ab impuris eorum ætherogeneitatibus meliùs poſſit illam, vel in vegetabile *Leſſas* vel in minerale *Bur* pro ſeminum exigentiâ convertere.

Leſſas autem, & *Bur* ſunt duæ voces, quæ à *Paracelſo, & Helmontio* uſurpari ſolent ad ſignificandos duos liquores terræ diverſos pro ſeminum exigentiâ per localia fermenta tranſmutatos. Nam liquor ille aliàs ſimplex, & homogeneus, qui per terræ viſcera fertur, ut in vegetabilium, vel mineralium cedat alimentum, ſi in vegetabilium radice, ceu in culinâ hauſtus fuerit, ubi media coctione, ſeu peculiari ſeminis fermentatione vegetabilem diſpoſitionem induit, *Leſſas* dicitur; Si autem

rem fermentalem mineralium odorem ſubibit, indolemque mineralem aſſumpſerit, dici ſolet *Bur.*

Putrefactione utitur igitur natura, ut viciſſitudinales rerum naturalium compleat periodos; corpora n. quæcumque ætherogenea media putrefactione in ſua principia, ex quibus primò componuntur, reſolvuntur, ac ſub ea ſeminum ſpecificorum amittunt virtutes, ac facultates, ut rurſus novam ſeminum ſpecificorum quorumcumque corporum, quæ producuntur, indolem acquirant, novoque hauſto fermento in eorum alimentum cedant, undè novas formas, novaſque induant operandi facultates. Id quod forſan inſpiciens *Ariſtot.* 1. *de generat. cap.* 3. *tex.* 17. inquit: *Non niſi ex corruptione unius generari alterum, & è contra.* Ità, & in animalium ventriculis non niſi putreſcentibus priùs ſub digeſtione cibariis, educitur purus nutrititius pro animalis alimento ſuccus.

Naturæ igitur pediſſequa ſpagyrica facultas, cùm purum, homogeneum, & eſſentialem corporum ſuccum educere intendit, ea prius media putrefactione deſtruit, ut ſolutis eorum principiis, meliùs poſſit purum ab impuro ſegregare. Undè non immeritò *Paracelſ. cit. loco* aſſerit *hanc operationem eſſe primum, ac principalem gradum Chymiæ, & conſequenter ut plurimum primum omnium debere adminiſtrari.*

Definiri igitur poterit, quòd ſit partium ætherogenearum digeſtivi, ſeu fermentalis caloris ope corruptio per ſpiritus eſſentialis ſeparationem à radicali corporum humido, ſeu materia. Quod præcipuè cum intendant acutiores ſpagyrici, & advertentes id perfici optimè per putrefactionem, eam ideò veluti cujuſcumque Chymicæ operationis fundamentum, ac principium, commendarunt artis filiis.

Compræhenduntur ſub putrefactione digeſtio, & circulatio, quibus mediis purum ab impuro à corporibus ſeparatur. Multa renovantur, & in aliam formam traducuntur. Corroſiva quæcumque acrimoniam deponunt, atque lenia, & dulcia evadunt. Quæque ſua exotica qualitate in noſtram vitam immaniter furerent, aſſumpta, cicurantur. Per hanc operationem rerum mutantur ſapores, odores, colores, & alia mirabilia, tùm in arte ſpagyricâ, quàm in naturâ perficiuntur.

ART. QUINTUS.

De Deſtillatione.

SÆpeſæpiùs ad corporum ſuperficies evocato ſpiritu, ſive eſſentia, media digeſtione, ſive putrefactione, deſtillatione utimur ad eundem è materiæ impuritatibus extrahendum; poſt putrefactionis igitur notionem, deſtillationis naturam perquirere neceſſarium ducimus.

Definitur autem deſtillatio à *Beguino*: *Quòd ſit partium humidarum, in halitus à calore attenuatarum, atque elevatarum, & halituum ab ambiente frigido in liquorem coactorum, per alembici roſtrum, in excipulum ſubjectum extractio.* Eò enim eſt directa à Chymicis deſtillatio, ut purum, & eſſentiale rerum omnium humidum volatile è reliqua impura materiæ parte ſe-

paretur, atque ea utuntur, præſertim quando volatilis eſſentia rerum ſub humida larua ludit. Sic docente natura, quæ poſtquam in terræ thecis corporum principia per putrefactionem ſeparavit, ea in vaporoſos halitus reſolvit medio ſolari igne, ut illis in media aëris regione evectis, ejus frigiditate repercuſſis in varia faceſſunt metheora, undè aquea pars in rorem, pluviam, grandinem, nivem, &c. decidet, tanquàm corporum, quæ in terræ ſinubus, generantur, alimentum; Ignea verò, ſive ætherea inibi in fulmina, tonitrua, ignes cadentes, & ſimilia.

Per deſtillationem namque à Chymicis omnes aquæ, liquores, & olea ſubtiliantur; ex omnibus pinguibus ſulphureus, oleoſus ſpiritus elicitur, &c. Ulteriùs multæ res in deſtillatione fixantur per cohobationem; multa fixa volatilizantur, &c.

Reducuntur ad deſtillationem rectificatio, & cohobatio. Rectificatio eſt repetita liquorum deſtillatio ad eorum ſpirituoſas partes magis purificandas, & è parte materiali ſeparandas. Cohobatio verò eſt deſtillationis reiteratio, qua liquor deſtillatus rurſus fæcibus affunditur, & denuò deſtillatur, quæ fieri debet fæcibus priùs tritis, & humore paulatim imbutis, ut macerentur.

Rurſus deſtillatio alia eſt calida, alia frigida. Calida eſt, qua partes ſpirituoſæ, & ſubtiles à materialibus, & craſſis, mediante igne, ſeparantur. Frigida verò, qua per deſcenſum abſque igne partium ſubtilium à craſſioribus fit ſeparatio. Quæ etiam dicitur filtratio, vel deliquium ob diverſos modos, quibus hæc operatio fit, & quidem filtratio, vel fit per chartam emporeticam, aut manicam Hippocratis, laciniam mucronatam, aut ſimile aliud inſtrumentum. Deliquium verò dicitur, cum immundæ calces, ſalia, & ſimilia aëreæ humiditatis hauſtu liquabilia, vel per ſe inclinatæ tabulæ marmoreæ, aut vitreæ imponuntur, vel ſacculo incluſa ſuſpenduntur, ut in aëre vaporoſo liqueſcentia purum ſal ab aliquâ reſolutum emittant, ut in tartari oleo fabrefaciendo accidit.

Aliæ etiam deſtillationis differentiæ à variis modis, & vaſis cum quibus ea fieri ſolet, à Chymiæ profeſſoribus deſumptæ, huc adduci poſſent, ut ſunt, quæ fiunt, vel per aſcenſum, aut per deſcenſum. A vaſis verò alia dicitur recta, ut per Bociam, Matracium, Urinalia, &c. Alia dicitur obliqua, ſeu per Retortam, &c.

Sed cum hæ, & ſimiles deſtillationis differentiæ, vel parui, vel nullius ſint momenti, ac faciliùs ſi quæ ſunt, percipi poſſunt in praxi, & penes artifices, eas ideò hic meritò percenſere omittimus.

ART. SEXTUS.

De Coagulatione, & Fixione.

HUcuſque eas percenſuimus ignis operationes, quæ ad extrahendum è corporibus purum eſſentialem ſpiritum ab impurâ materiali eorum fæculentiâ, diriguntur; nunc de coagulatione, ſeu fixio-

fixione agimus, qua ſcilicet poſſimus eundem ſpiritum; ſive eſſentiam adeò tenuem, atque volatilem, nè ſtatim aufugiat in auras, tùm fixare, tùm etiam, ut valeamus res ſua volatilitate nimis vitæ noſtræ infenſas, cicurare, ac corrigere, media coagulatione, ſeu fixione.

Coagulationem, & fixionem ſimul hic examinamus, quia hæ operationes, adeò ſunt affines, ut aliqui unam cum alterâ indifferenter confundant, ac utramque pro eodem uſurpent.

Nos verò remur aliquo modo inter ſe differre has operationes tantùm ſecundùm magis, & minus; nàm fixa ea ſunt quæ humidum radicale adeò permanens habent, ut nullis agentium viribus volatilizari ſinant (præterquàm ab Alkaheſt, ut ab cultioribus Chymiæ profeſſoribus circumfertur) ut aurum, vitrum, ſalia alkalia, & ſimilia, quæ ob anaticam unionem eſſentiæ cum materiali eorum parte, nullis ignis viribus volatilizari ſinunt, ſed fixa permanent. Coagulata verò ea dicuntur, quæ concreta quidem ſunt, ſed facilè ab igne volatilizari poſſunt, & ulteriorem fixionem quandoque recipere poſſunt, ut metalla imperfecta, & alia mineralia, ut vitriolum, alumen, arſenicum, ſalnitrum, armoniacum, gemmeum, commune, & ſimilia, quæ partim volatilizationis, partim ulterius fixionis ſunt capacia. Itàque patet quòd ſit aliquod magis latè patens coagulatio, quàm fixio, quia multa ſunt coagulata, non fixa, ut aqua, quæ in nivem, grandines, &c. coagulatur quidem, ſed non fixatur. Sic mercurius ſublimatus, aut vulgari modo præcipitatus coagulatur quidem, ſed non fixatur; è contra verò nihil eſt fixum, quin etiam ſit coagulatum, ut diſcurrenti patet. Sed quidquid ſit de hac differentiâ, ſolent eſſe aliqui, & unam pro alterâ accipere. Undè

Definitur primò à *Gebro* coagulatio, *quòd ſit rei liquidæ reductio ad ſolidam ſubſtantiam per humidi privationem.*

Quæ definitio non omni competere videtur coagulationi, nàm multa coagulantur abſque humidi privatione, ſed tamen ipſum corpus humidum, ſive volatile coagulatur multoties, & fixatur abſque humiditatis ſeparatione, ſed ipſa humiditas volatilis coagulatur, & fixatur, ut paſſim in praxi obſervatur.

Secundò, *Faber in ſuo Palladio Spagyrico* eam definit, *quòd ſit humidi radicalis puri volatilis in permanentem ſubſtantiam radicalem unctuoſam permutatio, quod idem ſonat, ac mollis induratio, & humoris occultatio.*

Multipliciter autem fieri hanc operationem communiter aſſerunt Spagyrici. Et quidem primò per exaltationem, quando ſcilicèt humor ignis vi attenuatus, ac in vapores coactus evolat, remante eſſentiali humido, vel ſub ſaliformi ſubſtantia, vel aliter coagulato, ac fixato. Sic omnia ſalia in aqua ſoluta per humidi exhalationem coagulantur. Secundò coctione, ſeu digeſtione, qua ſpiritus volatiles quandoque fixantur, & metalla omnia, & reliqua mineralia, & cœtera in terræ viſceribus coctione indurantur. Tertiò conjunctione, ſeù unione, quæ fit, quando volatile purum,

&

& nitidum cum fixo itidem puro unitur in cujus contactu fixatur, ſic ſpiritus omnes volatiles attactu ſalis fixi alkalizati, vel alterius ſimilis corporis etiam fixantur aliquo modo, ſicut etiam ſuo attactu quandoque volatilizare valent corpus fixum, quod ſolvunt, dùm tangunt. Qui præcipuus eſt fixionis, ſeu coagulationis modus, quo utuntur paſſim Spagyrici, nàm ſal eſſentiale ſub formâ volatilis ſpiritus ludens tactu ſalis fixi ejuſdem naturæ magis eſſenſificatur, ac ſimul cum fixo ambo coaleſcunt in quintam eſſentiam.

Aliqui omnes modos, quibus coagulatio fieri poteſt ad duos tantùm præcipuè reducunt, ad ſeparationem, & comprehenſionem.

Coagulatio per ſeparationem illis eſt quando humoris ſeparatione, ſive illius, quod fluit, durum miſtum evadit, & hanc volunt eſſe coagulationem Chymicam, cujus uſus frequens eſt in corporum depuratione.

Coagulatio per comprehenſionem eſt, quando res humida ſolida fit abſque ulla ipſius diminutione, ut cum ſalia, vel aqua coagulantur, quam coagulationis ſpeciem ad generationem ſpectare fatentur.

Atque hæc ſatis ſint de igne, & variis ejus operationibus; nàm ſi alias forſan apud varios auctores reperietis commentas ignis operationes, facilè ad ſupra à nobis adductas reducuntur, cum omninò cum prædictis conveniant, præter quàm quòd ſiquæ excogitabiles ab aliquibus, ſunt eæ in praxi obſervabiles, minimè erunt tanquàm diverſæ à nobis ſuprà allatis.

Quibus mediis operationibus elicit Chymia è naturæ corporibus eſſentiam, (quam *Paracelſus* appellat tincturam) undè varia præparat medicamina; hinc ab operationum ignis examine expediti, medicaminum ediſſertationem aggrediamur, oportet. Sic igitur

D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS, PYROTECHNIÆ SOPHICÆ LIBER TERTIUS.

De Secretioribus Medicamentorum Chymicis Præparationibus in communi; & præſertim

De eis quæ ex Vegetabilibus educuntur.

QUIDQUID ad mortalium lamentabiles reparandas calamitates, alterabilemque vitam in ſuo ſanitatis tono conſervandam, aut in atoniam lapſam, ad naturalem armoniam reſtituendam ſagax natura dixerit, nunc aggredimur examinandum; morti namque per vetiti esi ligni venenum, dum facta eſt obnoxia humana natura, morbis quoque tanquàm diſpoſitionibus ad mortem ſe ſubjecit: ſemel nàmque maligno Satanæ ſuaſu obſequens, deturpata prima ejus ſimplicitate, defædata ejus puritate, corruptibilis dùm evaſit, mille morboſarum ærumnarum ſuſtulit quoque ſagittas, à quibus non nunquàm confoſſa languet, ſæpè vulnerata fatiſcit. Hinc omnipotens ille rerum parens, talem humanæ naturæ ſtatum clementer

commiſeratus, creavit de terrâ medicinam, ut tantoperè ab eo dilecti hominis vita, ab irruentibus in dies morborum flagitiis vindicaretur, quàm ut è naturæ ſinu depromeret, Chymiâ utitur homo, quâ ſcilicèt poſſet in proprij vultus ſudoribus induſtri laborum artificio, bonum, & purum rerum naturalium à malo, & impuro, quod terra ſub ſpinarum, & tribulorum miſterio offert, vindicare, ſegregare, & uti; Undè igne naturalia tractans corpora poſſit pura medicamina ab impuris venenis ſecreta, non autem illis immiſta languentibus propinare. Sit ergò

Caput I.

Quid ſit Medicamentum, in quo conſiſtat ejus vis curativa, & per quid differat ab Alimento, & Veneno.

Ne in tenebris verſemur in particularium corporum perficienda anatome, neſcientes, quid ex illis ſit eliciendum, ut medicamina fabricare poſſimus; videndum priùs in communi eſt, quid ſit medicamentum, & in quo nàm conſiſtat ejus vis morborum curativa, ut meliùs cognoſcamus eorum naturam in particulari, ac in ægrorum ſolamen dirigere.

Medicamentum igitur definivit *Galenus* 1. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 1. *quòd ſit omne id, quod naturam noſtram alterare poteſt.* Verùm pace *Galeni* manca videtur hæc ſua definitio, cùm non ſolùm medicamento, verùm etiam Veneno, & morbis ipſis competere videatur, à quibus etiam natura noſtra alteratur. Præterquàm quòd omnis realis definitio fieri debet per demonſtrationem eſſentialis conſtitutivi, ſive per explicationem cauſarum, à quibus ens, quod definitur in ſuo eſſe conſtituitur; *Galeni* autem adducta definitio in hoc deficere videtur.

Definiri igitur poteſt aliquantò meliùs medicamentum cum *Fabro lib.* 1. *Myrothecij Spagyrici cap.* 3. *Medicamentum eſt purum naturæ, quod naturam noſtram læſam, & morbo afflictam alterando ſuccurrit, & juvat*; per quam definitionem medicamenti natura ſat patere poteſt: Nàm dicitur, purum naturæ, ut pateat eſſentiale conſtitutivum medicamenti, ſicut & omnium aliorum corporum naturalium operativum initium, à quo unaquæque res primò conſtituitur in ſuo eſſe, & ab eo omnis corporum pendet operatio. Dicitur verò, quòd naturam noſtram læſam, &c. per quod patet differentia medicamenti ab omni eo, quod non eſt ipſum; nàm tantùm medicamenti proprium eſt naturam noſtram eo modo alterare, ut illam læſam juvet, reſtituat, &c.

In quo autem conſiſtat vis omnis cura-

curativa medicamenti, per quam noſtram alterare valet vitam, ac à morbis vindicare, incompeſcibili jurgio controvertitur inter ſcholaſticos Galeniſtas, & Paracelſiſtas, adeò ut ambæ hæ ſectatorum phalanges magno logiſmorum apparatu munitæ invicem pugnent, unaquæque tamen pro propriâ ſuadendâ, ac tuendâ, ſententiâ: Galeniſtæ enim ſicuti omnia corpora naturalia ex quatuor elementorum connubio prodire affirmant, ità eorundem omnes activitates primis elementalibus qualitatibus refundunt, quas ſicuti contrarias invicem aſſignant, omniumque corporum activitatem vi contrarietatis ſuſtentare putant, ità etiam omnia medicamenta vi ejuſdem contrarietatis agere, morborumque curationes perficere ſuadentur.

Paracelſus autem *Galenum* Helvetico veluti cachinno irridens, licèt quandoque ſibi ipſi incoſtans, atque diſſimilis ad ſæpè ſæpè exploſa elementalium qualitatum theoremata recurrit; tamen negat medicamina vi contrarietatis morbos curare, & fatetur omnem medicaminum activitatem, ac, ſanationes omnes vi ſimilitudinis perfici, à quo etiam ſeducta Paracelſiſtarum turba, pro hac aſtruenda ſententiâ acriter contendit.

Sed haſce facilè conpeſcere poteritis lites, ſi lumine naturæ, primò cognoveritis omnem vim, ſive virtutem medicamentoſam, per quam medicamenta morbos curare valent, conſiſtere in pura, ætherea, ſpirituoſa, eſſentiali rerum ſubſtantia (competente tamen, non autem exuberante) in quâ Archeus vitalis ſuas reperit delicias, atque pacem, undè natura à ſuo caſu veluti reſurgit, atque ex jacente fit ſedens.

Secundò, ſi animadvertatis ambas has ſectatorum phalanges lumine tantùm phantaſiæ ductas, ac ſeductas in varietate ſuppoſiti verſari, ſub æquivocis tamen, nec de eodem termino diſputare. Nàm Galeniſtæ ſuum dùm aſtruunt axioma: *contrariis contraria curantur*, loqui videntur de eâ contrarietate, quæ refertur ad morbum, quia dùm ex propriis conſtat cauſis, quæ ſua activitate vitam peſſumdantes, in ejus deſtructionem terminantur; hinc medicamentum quatenus morbo reſiſtit, eumque expellit, rectè dici poterit in hoc ſenſu: contraria contrariis curari, cùm contraria ea ſint in naturâ, quæ ſe mutuò expellunt. Paracelſiſtæ autem conſiderantes omne malum, & defectuoſum, ſeu morboſum non in poſitivo, ſed in negatione integritatis vitæ conſiſtere, quatenus omnis morbus conſiſtit in integritatis vitæ privatione; hinc conſiderans purum medicamentorum ens vitæ applicatum, (quæ ſecundum *Hippocr. eſt vera morborum medicatrix*) ob maximam, quam habet cum illâ ſimilitudinem, illam reſtaurare, reparare, munire, atque à defectuoſo ſtatu ad integrum reducere, atque adeò ſanam reddere; aſſeruit: *ſimilia ſimilibus curari.* Non tamen vi contrarietatis, ſed vitam reſtaurando, quæ dùm reſtauratur, ipſa dein inſurgit ad morboſorum entium à ſuo limine proſcriptionem. Atque adeò cum non loquantur de eodem termino hi diſputan-

tes, nulla ampliùs ſupererit de hac re inter eos lis.

Ex quibus colligere etiam poteritis differentiam medicamenti ab alimento, & veneno; nàm alimentum etiam eſt pura ciborum ſubſtantia, quæ noſtrum vitæ ſpiritum ſubſtentat, non ſecus ac oleum totum inflammabile, purum, ac æthereum, in ellycnio accenſam ſuſtentat lucem, ac in ejus alimentum cedit. Venenum verò eſt omne id, quod, ſive natura ſua exoticum, ſive exuberans intra vitæ noſtræ limina receptum, vitam diverſimodè agitat, quatit, atque ſuâ præſentiâ in varios impellit motus præternaturales, ut in furorem, iram, pavorem, &c. à quibus agitatus vitæ ſpiritus, ſicuti ægrotat, ità demùm ni deficiant tales motus, fatiſcit, atque extinguitur. Non ſecus ac v. g. ſi puro oleo aquam, quæ minimè inflammabilis eſt, atque aliud ſimile miſceas, quod deindè, ſi diù perſeverabit, flammam reddit aliquantò infirmam, ac demùm extinguit in ejus radice receptum; idque quia id non eſt ex gitum, neque in lucis nutrimentum cedere valet.

Colliges hinc differentiam medicamenti à veneno, & alimento, quia alimentum tantùm habet vitam ſuſtentare, atque in eodem tenore conſervare. Venenum verò habet eam peſſumdare, deſtruere, attenuare, ac in pejus alterare, ac demùm extinguere. Medicamentum verò eò illam alterare valeat, ut à ſtatu morboſo ad ſanum ſuâ vi reſtituere valeat, cauſas omnes occaſionales vitæ noſtræ infenſas proſcribendo, abſtergendo, atque diverſimodè agitatam pacando, è præternaturali ſtatu morboſo, ad naturalem ſtatum reducere, ac reſtituere valet.

Cap. II.

Quotuplex ſit Medicamentum in Communi.

Tot debent eſſe medicaminum ſpecies, quot ſunt modi, & viæ, quibus natura (*quæ eſt vera morborum medicatrix*) ſanationes morborum perficere valet; Nàm cum omnis morborum curatio conſiſtat in ablatione cauſarum morboſarum, à quibus fiunt, & conſervantur in vitâ entia morboſa; quot igitur erunt cauſæ morbificæ, & viæ, quibus earum expulſio perfici poteſt, tot debent quoque eſſe medicaminum ſpecies, ſive facultates, & energiæ, pro cujus rei clariori intelligentiâ

Supponendum, omne ens morboſum à duplici cauſâ conſtitui in ſuo eſſe, & operari. Prima, & principalis eſt efficiens Idea in Archeo, ſeu vitæ ſpiritu ad noxij præſentiam parta, in cujus obſequium ſemel redacta vita, ab eaque impulſa, ei ſervit, à quâ impellitur. Secundò eſt occaſionalis, quæ eſt veluti occaſio, ad cujus præſentiam, talis ſuſcitatur Idea in vitâ, non ſecus ac ex ictu chalybis, & ſilicis excutitur ignis, ut eſt omne id, quod vitæ noſtræ extraneum in ſuâ quadrâ introductum, ſuâ præſentiâ, totam Archei, ſive vitæ ſpiritus. Economiam turbat, ac quietem invertit. Sive id ſit deforis receptum, ſive ſuſceptum, ut venenum, vel omne

aliud

aliud naturæ noſtræ exoticum ſimul cum potu, cibo, vel pharmaco in noſtrum corpus furtivè introdu-ctum, ſive inſpiratum Gas, aut minerale, aut quomodocumque putridum, ſive Epidemicum, ſivè Endemicum, & ſimilia, quæ deforis introducta valent ſui præſentia Ideam morboſam in vitâ ſuſcitare, ſive vitæ integritatem intercipere. His etiam addere poteritis injecta à Sagis, quæ ſimili modo operantur, Archeum commovendo, ac in varios furores impellendo, &c. Sive fuerint retenta noſtrarum facultatum vitio, errore, vel defectu, ut ſunt recrementa vel poſt celebratas alimenti coctiones reſidua, vel ex alimentorum transmutatione penes nos prognata: quæ tanquàm ex noſtræ vitæ republicâ expulſi cives, utpotè unitatis, & concordiæ hoſtes conturbantes, quandiù intra ejus limina manent. Cujus rei ſit in exemplum ſpina digito infixa, ſola præſentia inſitum illius partis turbans ſpiritum, qui ad noxiæ præſentiam iratus, noxij concepta Idea, tumultuatur, ac in ſuo veluti evocato ſpiritu, ut noxium, ſibique peregrinum expellat hoſtem, ac à vitæ limine proſcribat, furit, impellit, ac furioſè movetur, undè pulſus ingens, calor adauctus, dolor, & cœtera in digito excitantur, ità imperante concepta in inſito ſpiritu digiti furoris Idea occaſionaliter ibi ſuſcitata à ſolâ ſpinæ præſentiâ. Undè curatio ibi perficitur, vel ablatâ ſpinâ, à quâ occaſionaliter fovebatur ibi furoris Idea, vel illinctu leporini adipis à canibus prædati, vel linteoli etiam à leporino ſanguine madefacti, aut alterius ejuſdem animalis partis vitæ participis applicatione, ubi pavoris Idea jàm ſigillata, ceu in vitæ ſede ob violentæ mortis timorem, perſeverat in animali aliàs timidiſſimo. Sic hac eâdem ſuppoſitâ theoriâ compertum habemus, Dyſenteriam, quæ etiam ſubſtentatur à furoris Ideâ in inteſtinis concepta, exhibita etiam leporini ſanguinis à canibus mactati drachma una confeſtim curatam, &c.

In quâ re animadvertendum etiam ſæpè ſæpiùs ex ſolâ Ideâ in Archeo concepta abſque extraneæ materiæ occaſionalis in viſceribus præſentia veluti ſeminaliter naſci, ac ſubſtentari morbos aliàs contumaciſſimos, quos archeales appellat *Helmontius*. Sic in mulieribus hyſtericæ affectiones ex ſolâ furoris, timoris, pavoris, vel ſimili Ideâ uteri naſcuntur, & quandoque ad ultimam uſque earum tragædiæ ſcenam complendam ſuſtentantur. Pari etiam modo Idea in ſemine podagrici, vel aliter morboſi patris ſemine concepta ſeminaliter, veluti jure hæreditario filium podagricum, vel aliter morboſum generat, &c. ſed his breviter ſuppoſitis tanquàm ad remediorum cognitionem perneceſſariis.

Dico primò, quòd ſicut ex ſuperiùs dictis morbus in ſuo eſſe duo dicit, ſcilicet Ideam in Archeo conceptam, à quo efficienter, & impuritatum vitæ extranearum præſentia, à quibus occaſionaliter morbus ſuſcitatur; ità proportionaliter omne medicamentum (morbo ex Diametro aliàs oppoſitum) in ſuâ eſſentiâ duo perficere debet ſcilicèt impuritatum omnium proſcriptionem,

è vitæ limine, undè Archei pacatio, atque ſui naturalis toni reductio reſultat; & prognatæ Ideæ morbificæ extintionem.

Dico ſecundò duplicis generis medicamenta ab arte ſpagyricâ parari poſſunt. Aliud eſt univerſale, aliud verò particulare. Univerſale eſt illud, quod, ob maximam puritatem, perfectioniſque entelechiam, ac ſummam cum vitæ noſtræ ſpiritu analogiam, quam habet, valet quomodocumque morboſam vitam ſanare, ſeu quoslibet morbos curare. Cujuſmodi ſunt ſingula *Paracelſi* arcana, ut liquor Alkaheſt, tinctura lili, lapis philoſopborum, mercurius corallatus, Diaphoreticus, ſeu aurum obrizontale, & ſimilia, quæ unius diſſolventis ſpiritus conſanguinitate conſpirant in uniſonum. Valent enim hæc maxima ſpirituoſa ſuæ ſubſtantiæ puritate vitalem archeum ab omnibus ſordibus extraneis, illique exoticis mundare, ac vitam in ſummam ſuæ perfectionis, & ſanitatis formam tingere, atque exaltare. Particulare verò medicamentum illud eſt, quod particulari modo, & viâ, particularem morbum curare valet.

Particulare verò medicamentum rurſus dividitur (univerſale enim, quoniam in unitate conſiſtit, non eſt diviſibile in alias ſpecies) & aliud eſt purgans, aliud verò anodymum, ſeu confortans. Purgans medicamentum illud eſt, per quod excrementorum omnium retentorum, vel aliarum impuritatum evacuationes perficiuntur. Anodynum autem, ſeu confortans illud eſt, quod ob maximam genialem ſimilitudinem, quàm habet cum noſtro vitæ ſpiritu, atque balſamicam virtutem archeum theticâ idearum cohorte tumultuantem, atque temulenter furentem ſolatur, pacat, ac penè fatiſcentem confirmat. Non ſecus ac qui operoſo labore laſſatus dies, ac noctes tranſegit, totus tàm corpore, quàm mente fatigatus, atque adeò deficeret, niſi refectus grato colloquio ſociali, ac amæna converſatione, atque cibo, & potu meraciori, triſtes, defeſſas, oppreſſas, exhauſtaſque reparando vires, ad priſtinum reducatur naturalem tenorem.

Rurſus purgans medicamentum quatenus quatuor diverſis modis, ac viis excrementorum, & aliarum impuritatum ablationem, reſolutionem, ac conſumptionem, moliri poteſt, etiam quadruplex eſt, ſcilicèt Emeticum, Catharticum, Diureticum, & Diaphoreticum. Emeticum, ſive vomitivum purgat per vomitum. Catharticum per inferiora. Diureticum per urinarum vias excrementa reſoluit. Diaphoreticum demùm per ſudores, ſeu per diapheresim evacuat.

Anodynum verò, ſive confortans, vel per odorem, vel per radium, veluti ſpirituale operatur.

Primi generis ſunt ſuffitus, & odores omnes, qui balſamicâ, quâ pollent vi naturale noſtrum radicale humidum (Balſamum vitale à *Paracelſo* appellatum) corroborando, archeales morbos curare valent. Secundi generis ſunt Periapta omnia, & Amuleta, ut Alcis unguis contra Epilepſiam, & magnetis emplaſtrum, ut inquiunt aliqui, pro abortu præcavendo, &c.

His addunt aliqui remedia dicta ſpecifica, quatenus, vel ſunt tantùm alicui noſtri corporis parti appropriata, eamque peculiari modo reſpiciunt, ut inquiunt aliqui, ſic capitale, opthalmicum, odontalgicum, cordiale, ſtomachicum, uterinum, &c. vel alicui morbo specialiter curando idonea, ut epilecticum, apoplecticum, podagricum, febrile, peſtilentiale, venereum, vulnerarium, puſtuloſum, ulceroſum, &c. medicamentum denominatur. Quæ medicamina etiam præfatis modis, vel ſcilicèt ſedando archeum, vel abſtergendo impuritates à particularibus viſceribus, operantur, quamquàm in ſpecie unum quodque peculiare membrum, ſeu morbum reſpiciat.

Ulteriùs ſumpta differentia medicamentorum à formâ, aliud dicitur aqua, aliud ſpiritus, aliud oleum, quinta eſſentia, tinctura, extractum, flos, magiſterium, balſamum, clyſſus, fæcula, elixir, ſal, vitriolum, &c. quæ juxtà corporum tractandorum differentiam educuntur, ut infrà patebit. Nos ergò ea quæ practicâ operatione, & obſervatione comperta habemus, quò uſque vires ſufficient, demonſtrabimus.

CAP. III.

De Materiâ circa quam verſatur Chymia, ut medicamina educat.

EXpoſuimus huc uſque omnium inſtrumentorum ſupellectilem, & operationes recenſuimus Chymico miniſterio pernecesſarias. Nunc præponamus, oportet materiam circa quam Chymia verſatur, à quâ ſcilicèt mediis tàm inſtrumentis, quàm operationibus ſuos producit effectus, & præcipuè medicamina, de quibus propriè hic agimus.

Corpora igitur naturalia, quæ in terræ ſinu ſucceſſivis generationum periodis obnoxia ſunt materiam eſſe à ſpagyricâ facultate tractabilem, nemo eſt qui ambigit. Conſtat nàmque ex ſacris: *creaſſe Altiſſimum de Terrâ medicinam*; non igitur niſi in terrâ ea inquirenda erit. Præterquàm quòd omnia quæ ad alterabilis hujuſce vitæ ſuſtentamentum neceſſaria ſunt, non niſi è terrâ prodeunt; è terrâ etiam quidquid valet contra morboſum, petendum.

Triplici autem differentia diſtinguimus omnia naturæ corpora à Chymicâ facultate tractabilia. Alia n. ſunt vegetabilia, alia mineralia, alia verò animalia; à quibus veluti à triplici regno univerſa generabilium, & corruptibilium corporum monarchiâ comprehenditur.

Et quidem ſub vegetabilium Regno continentur omnia, quæ vel vegetabilia ſunt, vel à vegetabilibus producuntur, ut herbæ, arbores, ligna, fungi, cortices, aromata, gummata, flores, fructus, &c.

Sub mineralium verò Regno ſubduntur metalla omnia, ſive perfecta, ſive imperfecta, & ea, quæ ex metallis dependent, ſeu cum metallis generantur in mineris, ut antimonium, marchaſita, lithargyrium, auripigmentum, arſenicum, ſulphur, tutia, vitriolum, alumen, & ſimilia. Lapides etiam, & omnes eorum ſpecies, ut gemmæ, uniones, corallia, &c.

etiam

etiam ſub mineralium Regno continentur.

Sub animalium demùm Regno ſubjiciuntur animalia tàm perfecta, quàm imperfecta, & quæ ad eorum partes tàm fluidas, quàm ſolidas attinent, ut carnes, oſſa, membranæ, ſanguis, excrementa, &c.

Nos igitur juxta hanc corporum naturalium diviſionem, & medicaminum tractationem proportionaliter dividemus. Agentes in præſenti libro de iis medicamentis, quæ ex vegetabilibus educi poſſunt. In ſequenti verò de iis, quæ ex mineralibus parantur. In ultimo demùm de iis, quæ ex animalibus, & eorum partibus dependent, agemus. Sit ergò

Cap. IV.

De Medicaminibus, quæ ex Vegetabilibus educuntur.

PRimò morbis accommodata remedia è vegetabilium Regno eductibilia pertractamus, non ut vulgò ſolent ſeplaſiæ ea ſimul miſcere, atque offam conflando ex pluribus ſimplicibus, ut in formâ ſyrupi, confectionis, pulveris, vel pilularum, aut ſimili alia larua languentibus exhibeant; ſed tantùm delicatiori modo ea tractantes, ex illis puram, homogeneam, ſpirituoſam ſubſtantiam, eſſentialem ab impura fæculentia, materiali, inutili, ut ſ. puriora, gratiora, atque efficaciora parare valeamus medicamina.

Purior autem, atque defæcatior vegetabilium pars, dùm è materiali impura ſeparata in medicamen tranſit, ſecundum variam miſtorum, è quibus educitur, naturam, variam quoque inducit formam, ut ſalis, ſpiritus, olei, clyſſi, magiſterij, &c.

Art. Primus.

De modo extrahendi eſſentiam volatilem è vegetabilibus.

LAtitare in omnibus vegetabilibus ſicut & in aliis naturæ corporibus, ſubſtantiam quandam æthéream, ſpirituoſam facultatum omnium, & operationum cauſam, luculenter lumine naturæ ſatis, ſuperque demonſtravimus; nunc quomodò è corporibus extrahi poſſit, videndum. Tali nàmque ſubſtantiâ turgente, vegetant plantæ omnes, germinant, florent, fructuſque edunt, ea verò fatiſcente, & hæc fatiſcunt, ac corrumpuntur, eò quia talis ſubſtantia eſt ipſiſſima plantarum vita.

At quoniam talis eſſentialis ſubſtantia, dùm per ignem è corporibus educitur ſub triplici formâ præcipuè, ut plurimùm ludit, ſcilicèt ſub formâ ſpiritus volatilis, ſalis volatilis, & ſalis fixi. Hinc primò agendum de modo extrahendi eam ſub formâ ſpiritus volatilis manentem; ac infrà quomodò ſub formâ ſalis, ſive fixi, ſive volatilis ludens educatur, videndum. Ea namque in hominum uſum cedit, tàm in alimoniam, quàm in medicamentum.

Quam ſubſtantiam inſpicientes Medici, ac Philoſophi omnes variis conati ſunt decorare ſpecioſis nominibus, ut illam demonſtrare, ac ſignificare poſſent. Aliqui enim ſpiritum

ritum, alij humidum primigenium, alij calidum innatum, ignem cæleſtem, balſamum, ſulphur, mumiam, Cœlum Philoſophorum, & ſimilibus nominibus appellavêre; alij quintam eſſentiam, alij rorem cæleſtem. Nos verò qui parùm de nominibus ſolliciti ſumus, talem entitatem dicimus eſſe vegetabilium, ſicut etiam omnium corporum vitam, eſſentiam, ſeu eſſentiale conſtitutivum rerum naturalium.

Volatilis igitur hujuſce eſſentiæ extractio è vegetabilibus variè à pluribus traditur. Alij enim extrahunt ſuccos è vegetabilibus, ac fermentare ſinunt. Alij ipſa contuſa vegetabilia abſque ſucci è fæcibus ſeparatione fermentant. Rurſus alij per menſem, alij hebdomadam volunt fermentari debere. Nos verò compertum habemus non ex omnibus vegetabilibus indifferenter eodem modo, nec eodem tempore fermentationis eſſentiam volatilem extrahi poſſe; Sed pro corporum diverſitate diverſos ſervari extrahendi modos, nàm aliqua eſſentiam habent in ſuperficie, & levi, vel nullâ indigent fermentatione. Quædam in centro, & magnam requirunt. Sicut, & aliqua ſunt tenuia, quædam verò denſa, & compacta; quamobrem non analogâ operatione, ac modo ex omnibus extrahi poteſt eſſentia volatilis. Sic alio modo ex floribus, alio ex herbis, & fructibus, alio ex lignis, alio ex aromatibus, alio ex gummatibus, &c. extrahitur.

Et quidem *ex floribus*, *fructibus*, *&* *herbis* ſequenti methodo *volatilis eſſentia* educi poteſt, nàm in his modus extrahendi eſt idem, ſolùm verò tempus fermentationis variatur, prout ſcilicèt longo, vel brevi temporis intervallo fermentari exigunt; Flores enim vel nullam, vel minorem fermentationem, quàm fructus, vel herbæ expoſcunt. Signum verò jàm peractæ fermentationis eſt ſapor acidulus, & odor vinoſus.

♃. *Flores, herbas, vel fructus ad libitum, contundantur, ſi virides fuerint, ſi verò ſiccæ aqua, vel ex eiſdem floribus, herbis, vel fructibus deſtillata, vel defectu hujus, communi madefac ad proportionem viridium. Sine per menſem, vel minus pro rei exigentiâ in ventre equino fermentari, ac torculari exprime omnem ſuccum, cui novos flores, vel herbas reaffunde, & iterùm per menſem fermenta, ac deindè deſtilla calore B. nàm reddent primò ſpiritus volatiles, inflammabiles, redolentes naturam ejus, à quo ſunt educti, quos ſi vis rectifica, & uſui ſerva.*

Alij cum *Paracelſo lib. 4. Archidox.* ità procedunt in extractione quintæ eſſentiæ ex herbis, & ſimilibus quæ creſcentia *Paracelſus* appellat.

♃. *Creſcentia contuſa perquàm optimè, quæ ponas in vas aliquod aptum, & hoc in ventrem equinum ſeptimanis quatuor collocetur. Poſteà deſtilla per B. Iterùm ponantur in fimum equinum diebus octo, & rurſus per M. B. deſtillentur. Ità aſcendit eſſentia quinta per alembicum, corpus verò manebit in fundo. Si quid eſſentiæ quintæ reſtitiſſet in fundo, putrefiat ulteriùs, & fac ut priùs. Accipe tandèm aquam deſtillatam hanc, eamque ad creſcens hoc iterùm adde, ac ità per pellicanum digerantur ſimul diebus ſex, indè color ſpiſſus fiet quem per M. B. abſtrahes, & recedet corpus in fundo, quinta eſſentia remanente in ſuperficie. Hanc ſepara juxta retortivum proceſſum, aliàs Preſſorium à*

fæcibus, & ſinito quintam eſſentiam hanc digeri diebus quatuor.

Alij demùm hoc alio modo procedunt.

℞. Herbam ſucculentam, & recenter è terrâ evulſam cum foliis, & radice, tere, & prælo exprime ſuccum ejus, & phialæ impone ad defervendum, ut ſuprà, donec vini ſaporem, & odorem acquiſierit. Deſtilla lento calore, ut ſpiritus aſcendat per modum aquæ vitæ ſtrias facientis, quæ ſtriæ quandiù perdurant, tamdiù continuanda eſt deſtillatio, evaneſcentibus autem ſtriis, ceſſandus eſt ignis, nè phlegma ſpiritui miſceatur. Qui ſi forſitan phlegmatis aliquam portionem ſecum habet, rectificandus eſt lentiſſimo igne, donec à phlegmate purus ſit, quem cognoſces guſtu, quia talis ſpiritus ſapit omninò aquam ardentem, & ardet ſicut vini ſpiritus alkoholizatus.

Qui ultimus proceſſus extrahendi eſſentiam volatilem è vegetabilibus non abſimilis videtur, ei quo vinum fit vulgari modo, ac deſtillatio ferè analoga ei eſt, quâ fieri ſolet ſpiritus vini rectificatus, quinta eſſentia vini ab aliquibus appellatus, ubi reperies in infimis dolij partibus, ubi talium ſuccorum fermentatio celebrata eſt, adhærentes fæces, ſeu tartarum, à quo ſal etiam vegetabile, tàm volatile, quàm fixum admirandis etiam virtutibus præditum, extrahi poteſt, ut infrà dicemus.

Qui tres modi extrahendi eſſentiam volatilem è vegetabilibus in unum coire videntur, quòd ſcilicèt mediâ fermentatione æſtuans ſpiritus ad materiæ ſuperficiem evocatus mediâ deſtillatione extrahatur, ſive id fiat contuſis vegetabilibus, confuſiſque ſimul ſucco, & fæcibus, ſive expreſſo priùs, ac à fæcibus ſeparato ſucco, quæ opus non variant.

Uſus autem hujuſce volatilis eſſentiæ eſt in febribus, præſertim malignis, & omnibus morbis per diaphereſim ſolubilibus; cùm nàmque ſit ſummè diaphoretica talis eſſentia, & vitæ noſtræ balſamum, omnibus conſequenter morbis accomodari felici cum ſucceſſu poteſt, cùm tantùm naturam ſuâ puritate, ac balſamicâ vi confortando, ac ſublevando juvet. Eſt etiam vulnerum balſamum, tàm interiùs aſſumpta, quàm exteriùs applicata, omnem nàmque inhibet corruptionem.

In quâ re notandum non totius corporis eſſentiæ extractionem haberi per ſpiritus volatilis ſeparationem tantùm; ſed quandoque in fæcibus, quæ poſt deſtillationem remanent, latitat etiam ſal eſſentiale, in quo pars quoque eſſentiæ totius mixti conditur: undè non nunquàm fæces, quæ remanent, debent comburi, & ſal extrahi, modo infrà dicendo, ad totalem eſſentiæ extractionem ex corporibus.

Alia autem corpora ad vegetabilium regnum attinentia, ut aromata, gummata, ligna, & cœtera ſiccæ naturæ cum eſſentiam volatilem præfata extrahendi methodo non reddant, ſed alia longè diverſa, ac ſub diverſâ etiam formâ, ſcilicèt ſub formâ tincturæ, magiſterij, clyſſi, &c. Hinc omiſſo eorum examine, in genere ubi de magiſteriis tincturis, &c. agemus, eam expendemus, nunc verò ſit

ART. SECUNDUS.

De Sale volatili, ſive eſſentiali è vegetabilibus parando.

LUdit etiam in naturâ ſub ſaliformâ quædam ſubſtantia rerum eſſentialis ſpiritus, qui tàm in natura, quàm in medicinâ mirabilium effectuum eſt patrator. In naturâ nàmque eſt veluti ſeminum omnium, plantarum, mineralium, & animalium eſſentiæ, & vitæ fomes, & proximum, purumque alimentum. Nàm quò magis terra hujuſmodi ſale abundat, eò fæcundiori generatione in eâ luxuriant generabilia quæcumque corpora, atque feracior redditur. Imò compertum habemus, quòd ſi terra omni ſale aliquo medio artificio privetur, adeò ſterileſcit, ut ſemina, & plantæ minimè in ejus ſinu germinent, creſcantque. Secùs verò quò abundantior eſt ſal in ea, eò fertilior redditur. Sic ſalis beneficio ex fimo vegetabilium corruptione tenus reſultantis ſaginantur arua, dùm fimo ſtercorantur. Eſt nàmque volatilis, ſive ſeminalis ſpiritus ſedes; undè, qui nimiâ ad Venerem propenſione, & libidine pruriunt, ſalaces dicuntur. Repit nàmque in terræ viſceribus hujuſmodi ſal, ac aquâ ſolutus, hùc illùc dùm fertur, varia generare corpora, ac diverſimodè transmutari experientia dictat; dùm juxta inſitorum fermentorum naturam in terrâ varias ſubit formas. Sic ut alibi diximus in vegetabilium radicibus hauſtus peculiari plantæ fermento in ſuccum *Leſſas* proximum inchoato plantæ nutrimentum tranſmutatur. In minerale verò ſuccum proximum mineralium (*Bur* ab *Helmontio* appellatum) alimentum, ſive incrementum tranſmutatur, ſemel minerali odore tenus fermentatus, ut ſuo loco uberiùs diximus. Hæc, & alia in naturâ operatur ſal eſſentiale, quæ ulteriùs medicina demonſtrat, dùm ſalem iſtum mirandis virtutibus refertum in morbis depellendis obſervat, ut in ſequentibus patebit.

Undè non immeritò has, & alias intuentes ſalis operationes Hermetici, & Paracelſiſtæ, eò ducuntur, ut illum tanquàm tertium rerum naturalium principium aſſerant, ut ſuprà innuimus. Quid ni & ipſam non admirabimur antiquitatem, quæ ſalis excelſas admirata virtutes, ſummis laudibus, eum decorare conatur? Nàm *Homerus divinum* appellat, & *Plato in Timeo amicum Dei corpus* nuncupat.

Eſt autem ſal in naturâ in duplici præcipuè differentia, quatenus duplici methodo è naturæ corporibus elici poteſt, licèt unica, & homogenea eſſentia ſit utriuſque conſtitutiva. Alius enim eſt volatilis, alius verò fixus. Et quidem demonſtrata in præſenti articulo ſalis eſſentialis, & volatilis extrahendi methodo, in ſequenti, quomodo fixum educatur, agemus.

In quâ re advertendum, quòd ea vegetabilia, quæ ſucco magis abundant, majorem ſalis volatilis copiam reddant, quæ autem ſicciora, ac ſolidiora ſunt, ſalis fixi abundantiora, ac uberiùs fixum ſalem, quam volatilem reddunt. Hinc quoniam

ex ſucco prædictis vegetabilibus major, ac uberior volatilis ſalis copia elicitur, ut ex herbis, fructibus, &c. Hinc ſequenti methodo ex hujuſcemodi vegetabilibus *volatilem ſalem* extrahes.

♃. *Herbas, ex quibus extrahes omnem ſuccum, quem putrefac cum fæcibus in vaſe amplo, & oblongi colli, vel in furno igne digeſtionis, vel etiam in ventre equino per quindecim, aut viginti dies, pro ut major, vel minor herbæ durities exergerit. Deindè deſtilla per M.B. quidquid poterit deſtillare: humiditas deſtillata iterùm infunditur fæcibus, & calidè permiſcentur, & filtrantur ſimul, dùm calent, ut quidquid eſt ſalis ſimul cum humiditate per filtrum tranſeat. Depura aquam à ſubſidentibus fæcibus, & ad conſumptionem tertiæ partis deindè calore B. evapora: Quod ſupereſt dein in loco frigido collocandum eſt, ut ſal eſſentiale in cryſtallos coëat, quas collige, & ſerva. Aquam remanentem iterùm bullire ſinas ad conſumptionem tertiæ partis, & eodem modo pone in loco frigido, ut cryſtallizetur ſal, ſicque procede uſque ad omnimodam ſalis ab ea extractionem, quod conjicitur ſapore; nàm quandoque extrahitur ad ultimam uſque aquæ evaporationem, ut clariùs in praxi patet.*

Uſus hujuſmodi ſalium eſt quaſi in omnibus morbis, ac præſertim in febribus ſunt veluti univerſale præſidium ſecundum *Helmontij* ſententiam, & ipſam experientiam. De quibus ſalibus *Joan. Petrus Faber lib. 2. Myrothecij ſpagyrici cap. 2.* inquit: *Pollent enim ſummis virtutibus, & in medicinâ faciendâ, beatus eſt Medicus, qui tales cryſtallos habet, ut medeatur morbis.*

Art. Tertius.

Quâ methodo Sal fixum è vegetabilibus extrahatur.

Educitur etiam vi ignis è vegetantibus fixum ſal; ſeu Alkali, ut aiunt Chymici, quia per alkoholizationem ex eis paratur. Eſt namque hoc ſal ſummarum virtutum plenum, quia in ſe continet fixum vegetabilium ſpiritum, ſive eſſentiam, eſtque corporum tanquàm fixa eorum eſſentiæ ſedes, ac fundamentum, ſive generati corporis conſervatio, & fulcrum. In miſto autem ſal non eſt, ſed fixa, & ſtabilis ejus eſſentia, fit verò ſal mediâ incineratione, dùm tantùm in cineribus reſiduus reperitur. Fit autem hoc modo.

♃. *Vegetabilium ſiccorum q. v. combure, & reduc in cineres albiſſimos, è quibus cum maximâ quantitate aquæ vel ex eiſdem vegetabilibus deſtillatæ, vel etiam communis, extrahe ſal, faciendo lixivium ex cineribus, & aqua, quæ cum hypoſtaſim depoſuerit, per inclinationem ſeparetur lixivium clarum à ſubſidentibus cineribus, lixivium ſi opus fuerit, depura pluribus filtrationibus mediis; dein aquam lento igne evapora, & reperies in fundo vaſis ſal, quod ſerva ad uſus varios ut infrà.*

Verùm hujuſmodi ſalis extractio tunc fit, præcipuè quando ſimul cum eo conjungenda eſt etiam volatilis vegetabilium eſſentia, ut infrà; nàm ſi abſolutum ægris propinare volveris; ſaporem lixivij habet, licet etiam aptum ſit medicamentum, ità præparatum.

Hinc

Hinc alij, ut ſaporem lixivialem ab eo adimant, recipiunt cineres modo ſuprà dicto factos, ac iterùm cum ſulphuris æquali parte calcinationi exponunt ad totalem uſque incinerationem, dein etiam ſuprà allato modo ſal extrahunt, ac uſui ſervant, ſic enim ſaporem lixivialem non habet.

Habent hujuſmodi ſalia vim laxativam, nàm humores quoſcumque compactos à ventriculo, & inteſtinis abſtergunt, incidunt, reſolvunt; undè omnibus ferè ventriculi, & inteſtinorum morbis ſunt accommodata remedia, ut choleræ, dyſenteriæ, colicæ, ſed præcipuè obſtructionibus omnibus hypochondriacis curandis ſummâ cum utilitate, & lenitate valent. Omnibus ventriculi indigeſtionibus præſertim acidis, nec non fami præternaturali ex acido humore ibi ſtagnante oriundæ præſentaneum habemus expertum medicamentum; undè prægnantibus, quibus periculoſa eſt aliorum medicamentorum adminiſtratio ob abortus periculum ſummâ cum ſecuritate adminiſtrari hujuſmodi ſalia poterunt, dùm a ventriculi variis tentantur affectionibus, aliàs clamoſiſſimis.

Poſſunt exhiberi, vel cum aliquo juſculo, vel abſolutè. Doſi à gr. x. ad ʒj. ß, magis, vel minus juxta corporis habitum.

Adverte tamen, quòd cum juſculo aliquo ſal alkali exhibetur; oportet abſtinere hujuſmodi ſales, cum juſculis, ſive vehiculis acidis miſceri; nàm hujuſmodi ſalium proprium eſt acidos præcipitare ſuccos, eorumque acores corrigere, à quibus omnium fermentorum morboſorum fomes pendet: hinc alkali dum cum acido juſculo ſuas eſerunt actiones, redduntur deinde inefficaces, ac nullius activitatis participes. Id mihi apud Galeniſtam videre contigit, qui ægroto icteritiâ laboranti per plures auroras ſalis abſynth. fixi ʒj. in limonum ſucco abſque languentis levamine exhibuit. Hinc præſentaneum ervitur medicamentum ad dentium ſtupiditatem ex acido provenientem, ut alkali perfricentur dentes.

ART. QUARTUS.

De Eſſentia Menthæ.

EGimus ſuprà quomodò vegetabilium eſſentia aliàs homogenea vi ignis ſub triplici diverſâ ſubſtantiâ, ſpiritus ſcilicèt, & ſalis, tùm fixi, tùm volatilis ludens extrahatur; Nunc pro completâ rei notione videndum, quomodò ex illorum mutuâ unione unica præparetur, velut totalis vegetabilium eſſentia.

Verùm quoniam varia eſt eſſentiarum extrahendi methodus pro diverſitate corporum, ex quibus extrahitur; nàm alia ſunt ſuccolenta, alia ſicca, alia gummoſa, alia lignoſa, &c. Hinc in primis ex ſuccolentis totalis eſſentiæ extractio fieri num poſſit videndum, inferiùs agentes de aliis; Et primò quidem exordium ſumimus ab eſſentiâ menthæ, quæ ſequenti methodo fit.

♃. *Menthæ menſe Julij collectæ quantum vis, ex quâ per expreſſionem extrahe ſuccum in maximâ copiâ, fermenta per xx. dies in ventre equino. Deindè deſtilla len-*

to igne cinerum, donec ſtriæ ceſſent, hoc enim eſt ſignum, quo cognoſci poteſt ſpiritum aſcendiſſe omnem, quem ter vel quater lentiſſimo ignis calore rectifica, donec ab omni phlegmate vindicetur. Dein ex magmate reſiduo per fermentationem ſalem volatilem extrahe, ut ſuprà diximus, ac demum ex ſubſidentibus fæcibus, & alia mentha priùs ſicca per combuſtionem ſalem extrahe fixum conjunge omnia ſimul, & ſerva.

Alij alio modo ex menthâ ſicut etiam ex ſimilibus aliis herbis odoriferis extrahunt eſſentiam, ut.

♃. *Menthæ q. v. putrefac per* XX. *dies, priùs tamen optimè contuſæ, ut ſuprà, deſtilla, ut ſpiritum ſupra dicto modo extrahas, quem rectificatum reſiduo magmati pluries affuſum digere, & deſtilla. Poteris loco ſpiritus menthæ, etiam uti ſpiritu vini rectificato ad ſupereminentiam* IV. *vel* V. *digitorum magmati impoſito. Digere per* IV. *aut* V. *dies in cineribus, aut B. tepido, deinde deſtilla, donec ſtriæ ceſſent: ſepara phlegma, rectificando ſpiritum, quem iterum magmati reſiduo reaffunde, & digere per* ij. *aut* iij. *alios dies, & deſtillabis ſupra dicto modo, quam digeſtionem, & deſtillationem multoties reiterabis, ſeparato phlegmate in ſingulis deſtillationibus, donec ſal volatilis aſcendat, quem ſerva, ut cum ſpiritu conjungas.*

Deindè *oleum per deſcenſum* ex aliâ *mentha* copiâ extrahe ità.

♃. *Mentham ſiccam in maximâ quantitate, quam immitte in vas terreum, aut in veſicam cupream ad collum uſque & comprimes, ut majorem copiam vas capiat, quantum fieri poterit: tùm demùm linteo madido collum vaſis cooperies, aliudque vas fictile vitreatum vacuum, ſed ſolùm aqua fontana perlimpida ſemiplenum ſubmittes, & conjunges alterum alteri, ità ut os vaſis pleni mentha ſubintret os alterius vaſis aquâ fontanâ ſemipleni, & ſic unita vaſa, juncturis peroptimè lutatis, in terram ſepelias, facta fovea, donec vas aquâ ſemiplenum totum cooperiatur, & plenum menthæ uſque ad medietatem etiam ſepeliatur, terra, vel arena undequaque ſuppoſita. Deindè coronam lapidum fac inſtar putei oſculi circa vas mentha plenum, donec vas æquent altitudine, in medio coronæ ſtans: hanc coronam carbonibus ardentibus reple, ac etiam lignis impoſitis, ignem per* V. *aut* Vj. *horas continuando. Urge dein ulteriùs ignem quò ad fieri poterit per* iij. *aut* IV. *alias horas. Demùm frigefactis vaſis, & ſejunctis ſeparabis oleum ab aquâ per infundibulum. Hoc oleum deinde rectifica in retortâ, cum pauco vitriolo ad rubedinem calcinato, ter, vel quater, ſingulis vicibus mutato vitriolo. Deindè huic oleo rectificato, & ab omni empyreumate vindicato, immitte nova folia menthæ, & expone inſolationi per aliquot dies; vaſe opt. obturato deindè his expreſſis foliis, & oleo omni opt. emunctis, nova folia oleo immitte, & iterùm inſolationi expone, ac exprime præfato modo, iterando immiſſionem, & expreſſionem ter, vel quater, donec oleum fragrantiſſimum menthæ odorem acquiſiverit. Huic oleo deinde immitte ſpiritum, & ſal tàm volatile, quàm fixum extractum, tàm ab omni reſiduo magmate, quàm ab aliâ novâ menthâ. Digere per* iij. *dies, & ſerva in phiolis per quàm optimè clauſis.* Vires, & uſus hujus arcani

Primò enim hoc menthæ arcanum mirabiliter omnibus ventriculi affectibus reſiſtit, eò quòd eum roboret, & ab omnibus vindicet excrementis, quæ ipſum turbare poſſint. Sic ſtatim ſingultus, vomitiones, choleras, Bandephſiam, Apephſiam, &c. tollit efficaciter. Secundò, lum-

lumbricos omnes, & ventris tineas teretes enecat, tàm aſſumptum, quàm externa ventris perunctione. Tertiò, capitis dolores ferè omnes, qui per conſenſum à ventriculo foventur, mulcet, & curat. Quartò rabidorum canum morſibus tuto ſuccurrit, ſi recens vulnus eo arcano lavetur, & impoſito goſſipio eo arcano madido per aliquod tempus madefiat. Quintò, peſtiferis omnibus, & malignis morbis reſiſtit. Demùm, tumores omnes duros diſcutit, & diſſoluit, & phlegmones ad ſuppurationem deducit, atque ſuo ſpiritu balſamico peſtilens virus in bubone ſoluit, ac tumorem ad coctionem perducit.

Doſis eſt, dum interiùs ſumitur à ℈÷ ad j. in aquâ cinnam. aniſ. fænic. & ſimilibus.

Non hic prætereundum, quòd non tantùm in eſſentiam redacta mentha multis medetur morbis; verùm etiam lac coire, denſarique in caſeum non patitur, ſi folia lactis potionibus immergantur: at ſi in coagulatum lac ejus ſucci aliquot guttas inſtilles, ſtatim ſolvitur, & in priſtinam reddit formam. Ex hoc experimento habetur, quòd quoties lac in mammis caſeoſam nanciſcatur coagulationem, corrumpitur, ac inflammationem accerſit, tumorem, & apoſtemationem indubiè parit; aptiſſimum, & præſentaneum remedium eſt, ſi menthæ ſucco mammæ foveantur. Itèm ſi in infantium ventriculis lac caſeſcat, quòd ex adſtrictâ alvo, inappetentiâ, & vomitionibus conjectari oportet; eodem menthæ ſucco, vel ejus ſyrupo ſuccurres. Si verò febres, in ſomno pavores, vigiliæ, ventris tormina, alui fluxus (præterquam dentionis tempore) patiantur infantes; à corrupto lacte ortum ducant, oportet: tunc omnibus his morboſis affectionibus roſaceo ſaccharo felici cum ſucceſſu ſuccurrendum eſt.

ART. QUINTUS.

De Eſſentiâ Tithymalorum, ſive Eſulæ.

OMnia tithymalorum genera, eſulam indifferenter aromatarij appellant, quæque maximam purgandi vim obtinent ob maximum virus laxativum, quo ſcatent; verùm propter crudum lacticinium ſuccum, quem continent, inter venena cenſentur, qui tamen, ſi mediâ coctione in eſſentiam redigatur, in mira tranſit medicamenta cathartica perfectioribus donata dotibus, eorum quæ magno ſumptu ab Oriente, Arabia, aliiſque longis terræ plagis in noſtras aſportant regiones mercatores; non eò enim injuria nobis erit natura ut non niſi è diſſitis regionibus petitis remediis morbi noſtrates curarentur: latitant etiam in noſtratibus herbis adhuc ſummæ virtutis arcana, ac præ cœteris in Tithymalis conditur eſſentia omnium ferè vulgò incurabilium morborum curativa, quæ ſequenti modo extrahitur.

℞. Tithymalorum maximam quantitatem, ſicca, & combure, ac præfata methodo generali ſalem extrahe ex cineribus, quem ſerva. Deindè ex alia tithymalorum quantitate exprime ſuccum, qui dividendus eſt in duas partes, ex quarum una prædicta etiam aliâ methodo extrahe ſal

volatile, ex alterâ verè elice ſpiritum volatilem, ut ſupra etiam diximus; In hoc ſpiritu deinde ſolue, & ſepties deſtilla invicem. Cui deſtillato conjungendum eſt purum ſal illud fixum, quod reſervaſti ex cineribus tithymalorum extractum, & omnia ſimul miſcendo vaſe vitreo reſerva, optimè clauſo, cui ſi vis, adde parum ſpiritus roſarum gut. ij. *vel* iij.

Uſus hujus arcani eſt in omnibus morbis, qui purgatione indigent; nam corpus in ſummam puritatis entelechiam reſtituit, ſanguinem mundificando, atque eſſentiam humani corporis in vigore ſuo, & virtute mirificè conſervando.

Doſis hujus medicamenti eſt à ℈ß. uſque ad ʒß. in juſculis, aq. cinnam. & ſimilibus.

Tithymali ſuccum abſque præviâ præparatione in aridas ficos ad ternas, quaternaſve guttas inſtillant aliqui, ut cum his inareſcant, quas ad uſus recondunt binas tamen, quaternaſve ficos purgationis gratia ſumpſiſſe ſatis eſt, cum validiſſimè, indiſcriminatimque dejiciant. Undè ruſticorum medicamenti meritò nomen ſibi aſcivit.

ART. SEXTUS.

De Eſſentiâ Sambuci, & Ebuli.

DUplex parari poteſt arcanum ex Sambucis, unum quidem ex fructibus, alterum verò ex totâ plantâ.

Et quidem ex fructibus ſambuci perfectè maturis parari poteſt medicamen ſpecificum uterinum ſecundum *Quercetani, & Fabri* ſententiam hoc pacto.

℞. Granor. ſambuci q. v. contunde, & prælo exprime ſuccum, quem in vaſis vitreis mundis repone, aut ad ſiccandum in calore ſolis, vel in B. vel ſimile calore tepido pone ad leniter deſtillandum, ut quidquid eſt humiditatis ſuperfluæ inde exhalet. Servetur magma, ex quo parari poſſunt pilulæ gr. xv. *vel* xx. *ad uſum, quæ doſis, ſi exhibetur ſuffocatione matricis laboranti, illicò ſublevatur.*

Ex totâ autem plantâ non abſimili modo, ac ſuprà diximus de extractione aliarum eſſentiarum etiam parari poteſt eſſentia, cum hac tamen animadverſione, quòd ſal fixum extrahi poteſt tàm ex foliis, quam etiam ex lignosâ parte ſambuci; ſal verò eſſentiale volatile, & ſpiritus ex floribus, ſive fructibus, & foliis ſimul contuſis, & expreſſis, ut in generali methodo diximus.

Cujus eſſentiæ vires, & uſus valent præcipuè ad calorem nativum fovendum, ac ad augendum, undè mirificè à morbis præſervat.

Febres omnes, & præcipuè intermittentes curat, eò quia corpus ad quartam uſque digeſtionem è ſordibus purgat, mundat, abſtergit, tàm per diaphæreſim, quàm per vias urinæ, & ſanguinem ſuo ſale purgat, vivificat, ac à corruptione præſervat.

Podagram etiam, & chiragram, & omnem articulorum dolorem ſolatur, eò quòd fluentes humores ſoluit, fluxiones corrigit, ac ampliùs fluere non permittit.

Suffocationem, & omnes uteri affectiones efficaciter curat, purgatq; omnem humorum extraneorum, ſeu retentorum excrementorum illuviem à ſtomacho, inteſtinis, & utero.

Hy-

Hydropicos, præſertim leucophlegmaticos, leproſoſque perquàm optimè evacuat; ſalem enim omnem excrementoſum, corruptumque corrigit, atque foras expellit.

Acuit omnes ſenſus, ac præſertim viſus imbecillitati ſuccurrit, quia vitæ ſpiritum, cujus hæ ſunt functiones, detruſis foras ſeroſis, aliiſque excrementoſis humoribus, ad ſuam ſummam puritatis formam reſtituit.

Sumitur in Juſculis mane jejuno ſtomacho ad quantitatem ʒj. vel ij. ſalubri tamen ſervato victus regimine, per tres auroras continuando, & deindè intermittendo, & iterùm repetendo, poſt decem, aut quindecim dies, ſi infirmitas non adhuc perfectè fuerit curata.

Ebuli autem eſſentia eâdem methodo etiam fit, ac ſambuci, ac aliorum vegetabilium ſucculentorum eſſentia extrahitur. Illud advertendo quòd ex fructibus Ebuli, & foliis extrahitur ſpiritus, & ſal volatilis, ex reliquâ autem plantâ, ſal alkali, quæ præfata ſuperiùs methodo invicem miſcentur.

Ex fructibus ebuli paratur etiam tinctura, quæ dicitur *eſſentia granorum chamæactes*, ideſt ebuli, paratur autem ſequenti modo.

℞. Magnam copiam granorum actes, exſiccentur in umbrâ, ponantur in matracio colli longi uſque ad medium, ſuperinfunde aquam vitæ, ut per quatuor digitos ſupernat, adde ſpiritus vitrioli aliquot guttas, & vaſe benè obturato fiat digeſtio in MB. per v. aut vj. dies, quò uſque aqua tincturam inſtar rubini acquirat, ſepara illam per inclinationem, & in vaſe vitreo optimè clauſo ſerva.

Eſt præſtantiſſimum in uteri ſuffocatione remedium, nàm intrò ſumptum paulatim erumpentibus ſudoribus, & quieſcente corpore paroxiſmum ſiſtit, & vapores ex ipſo corpore per diaphæreſim reſolutos expellit, & illicò excitabitur. Doſis cochl. ß uſque ad j.

Colligi autem debet hoc vegetabile autumni tempore; tunc enim majori eſſentiæ quantitate ſcatet, ſicut, & omnes aliæ plantæ, quæ tunc temporis ultimum ſuſcepêre incrementum, ac perfectionem: exceptis tamen iis, quæ æſtate, vel veris tempore perfectè adultæ ſunt, quæque neque ad autumni uſque tempus pertingunt, eæ enim eo tempore, quo ultimum perfectionis terminum ſuſcepêre, colligi debent pro eſſentiæ extractione.

Uſus autem eſſentiæ ebuli eſt ad omnem Hydropem, ſicut Sambuci; nàm ſæpiùs per intervalla iterando doſim, eam curat, nàm omne fermentum corruptivum ſanguinis extinguit; corruptum enim degeneratumque alimentum, ſicut, & omne aliud excrementum foras pellit. Sumitur etiam per intervalla, nè vires, quæ mediocres, & lenes ſunt, pereant. Adaptari etiam poteſt eâdem methodo hypochondriacis, & ſimilibus chronicis affectibus.

Quartanam, & ferè omnes intermittentes febres curat, ità ut vi ſua reſolutiva tàm per diaphæreſim, quàm per vias urinæ, ſicut etiam per alias vias excrementa noſtri corporis, à quibus hæc mala foventur, deturbet, expellatque.

Demùm eſt ſummum arcanum in arthritide; nam omnes ejus dolores citiſſimè ſedat, ſi cum goſſipio eo ar-

arcano madido, partes dolentes tepidè foveantur, nàm ſuâ vi, & balſamico ſale, tàm inſitos articulorum ſpiritus recreat, quàm excrementa reſolvit.

Doſis eſt à ʒß. uſque ad j. in robuſtioribus naturis; ſumitur ſimiliter in juſculis, ovis ſorbilibus, aquâ cinnam. vel formatur in pillulas, vel in tabellas, &c.

Art. Septimus.

De aliis vegetabilium ſuccolentorum Eſſentiis.

PRolixum nimis eſſet per vegetabilium ſucculentorum eſſentias hîc ſigillatim excurrere, vanuſque eſſet omnis laborum ſumptus, cùm analoga extrahendi methodus omnibus ferè ſuccolentis vegetabilibus competat, atque adeò ex unius deſcriptione facilè cæterarum præparationes addiſci poſſunt, magis verò nobiles, & præcipuas noſtratium plantarum deſcribam eſſentias, ut pateat non minùs è diſſitis regionibus adductis ſimplicibus, quàm noſtratibus morbos curari poſſe.

Et quidem primò *ex Cucumere agreſti, & Bryonia ſummum purgans medicamentum* præſtantioribus donatum viribus ſcammonio, cæteriſque aromatariæ purgantibus, paratur & quidem ſcholæ Sectariorum *Galeni* ſuccum cucumeris agreſtis, (quem Elaterium vocant) tanquam venenum eſibilant, quo deinde utuntur tanquam in deſperatis morbis, & præcipuè cum eo hydropicos à ſeroſis humoribus ſæpeſæpiùs purgant; nam violenta actione educendi hujuſmodi ſeroſos humores, pollet, à quibus hydrops occaſionaliter fovetur.

Verùm ſi arte ſpagyricâ tractetur hoc vegetabile & ex eo eſſentia educatur, in ſummum tranſit arcanum, methodus tamen ex eo eſſentiam extrahendi non abſimilis eſt ſupra allatis; extrahitur nàmque ex hujus ſucco ſal, & ſpiritus volatilis; ex totâ autem plantâ optimè calcinatâ, ſal fixum, & puriſſimum, quæ ſimul uniuntur, & habebis ſummum arcanum.

Cujus præcipuè vires, & uſus, ſunt ad crudos ſeroſos humores ex viſceribus educendos, ideòque ad hydropicos curandos præcipuè commendatur. Quartanam febrem quarta potione curat cum occaſionalis ejus cauſæ ablatione, ſeu evacuatione.

Fædos virginum colores, præſertim ex abolitis, vel diminutis menſtruis ortis, curat, ac ſanguinem ab omni labe purificat, menſtrualſque purgationes cit hoc medicamen.

Anheloſis, & aſthmati humido ſummo cum juvamine ſubvenit, eò quòd catarrhoſas omnes materias educat, & ſiccat tumentia ſeroſis humoribus pulmonum bronchia.

Omnibus demùm morbis ex degeneratis, aut crudis nutrimentis, ſive retentis excrementis ſubvenit, unde tumoribus omnibus duris illinctu ſuccurrit, eoſque diſcutit, podagram omnem, & quemcumque arthridis dolorem etiam curat, tùm interiùs, tùm exteriùs adminiſtratum.

Sumitur à quantitate ʒß. ad ʒj. in juſculis, &c. exteriùs autem dùm applicatur, cave ut id, & ſimilia alia

Chy-

Chymica magiſteria, nè excalefacias, nàm leniuſculo quocumque tempore ſubtiliſſima ejus pars ſummè efficax evolat, ſed frigida uti ſunt, applica.

Ex *Bryoniâ* etiam *eſſentia* ſimili modo extrahi poteſt, quæ valet ad eoſdem ferè affectus, ad quod valet cucumer agreſtis.

Vulgò autem ex ejus radice *fæcula* præparatur, quæ in ſingulare tranſit uteri mundificativum, undè omnibus ferè uterinis affectibus, præſertim ex retentis menſtruis mirificè ſuccurrit. Modus autem *fæculam* parandi talis eſt.

℞. *Raſuram radicum Bryoniæ minutim inciſæ, & contuſæ, pone in ſacculo lineo, & omnem ſuccum extrahe prælo, quem pone in vaſe, ut deponat faces, quæ ſpatio duorum dierum fundum vaſis petent, decanta aquam ad inſtar ſeri lactis ſupernatantem, fæx ponatur in vaſis vitreis, ut veluti clyſſi ad inſtar in umbra ſiccetur.*

Doſis eſt gr. x. cum pauco *caſtoreo*, vel *aſſafœtida* exhibita. Valet ad omnes uteri ſuffocationes, ut ſuprà diximus.

Præſentaneum etiam remedium ex *raſura radius Bryoniæ* habemus ad omnes tumores occaſione contuſionis ortos; nàm omnes *livores*, & *ſugillationes*, ex coagulato ſanguine ortas infra 24. horarum ſpatium curat, reſolvendo ſanguinem in aqueum humorem, eumque ità reſolutum per poros educendo.

Non abſimili modo *Bryoniæ ſuccus varices* curat, experimentum feci in Illuſtri Equite N.N. viro incomparabili, qui varicem in crure patiebatur, & per nimium dolorem partem cruciantem ei domo non licebat exire, undè vocati, primò Chirurgus, dein Phyſicus ordinarius, primus *gallinæ axungiam*, ſecundus *amygdalar. dulc. ol.* tanquàm arcana ut, parti imponeret, ei præceperunt: Sed cautus Eques perpendens ſe potiùs noxam, quàm juvamen ex relaxantibus percepturum, utrumque Galeniſtarum ludificavit medicamen. Meum accerſivit conſilium, ut ejus morbo aliquod medicamentum melioris notæ, axungia, & oleo, ſuccurreret. Poſt varicum aſſignatas cauſas, ſigna, & prognoſim, ad curam deveni, ad quam neceſſarium erat medicamen, quod ſanguinem nimis craſſum in venæ corpore, quaſi in gurgite ſtagnantem, fluxilem redderet, dein venam dilatatam corrugaret, priſtinoque reſtitueret ſtatui. Præſcripſi *Bryoniæ ſuccum*, (ad acutiem infrigendam) cum *terra ſigillata*, & *fænugræco* ad mollem conſiſtentiam, ut parti imponeret, & intra paucas horas ſanitatis ſtatu potitus, domo exilivit.

Decoctum ejus iſchiadicum dolorem ſolatur per chlyſteres injectum, terna, vel quaterna vice uſque quò in evacuatione ſanguinis aliqualis appareat tinctura.

Doſis radicis pro infuſione ſit ℥ij ß. & ſenſim creſcat pro ægri ſufferentia. Tempus infuſionis ſit 24. horarum.

Simili etiam methodo ex *Braſſicâ marinâ, Helleboro, Colocynthide*, aliiſque ſimilibus vegetabilibus parari poſſunt eſſentiæ, quæ ſimilibus pollent purgandi viribus, ac *Bryonia*, & *cucumer agreſtis*.

ART. OCTAVUS.

De Eſſentiis ex ſiccis vegetabilibus extrahendis, ſive de Extractis.

SIccorum vegetabilium eſſentiæ, extracta communiter vocantur, quæ non niſi convenienti imprægnata liquore, longa quæ ac iterata media maceratione eſſentiam ſub extracti forma exhibent; educitur namque ex hujuſmodi ſiccis corporibus tantùm tinctura ſpirituoſa cum ſale fixo mediis iteratis liquoris imprægnationibus, macerationibus, decantationibus, & deſtillationibus: quod autem in fundo remanet, eſt extractum, ſive ſiccorum vegetabilium eſſentia.

Diverſus autem debet eſſe liquor, quo fit extractum pro diverſitate corporis, à quo parari debet eſſentia; alia enim aqua communi vini ſpiritu imprægnata, ſive ex eiſdem vegetabilibus deſtillata, alia vino, alia vini ſpiritu, alia majali rore etiam deſtillato, imprægnantur, macerantur, &c. ut eſſentiam reddant in forma extracti.

Rurſus extracta alia formæ ſunt liquidæ, alia duræ; liquida extracta ſunt, quæ mellis, vel ſyrupi adinſtar, quæque non omni humiditate privantur media deſtillatione, quia ſcilicet magnam eſſentialis ſpiritus partem amitterent, ſi uſque ad eorum ſubſtantiæ exſiccationem deſtillarentur, Dura verò ſunt, quæ prorſus omni humiditate privata in duram uſque formam rediguntur. Ad liquidam formam reducuntur ea extracta, quæ à benignis, atque balſamicis eliciuntur ſimplicibus, quæque aſſumpta ſuo volatili ſpiritu vitam recreant, ac ſolantur. Ad duram verò formam ea rediguntur, quæ naturæ noſtræ nimis infenſa, atque deleteria ſunt; quæque ſuo ſpiritu abundantia, vitam nimia agitatione turbarent, fatigarentque Primi generis extracta ab omnibus confortantibus vegetabilibus educuntur, ut è cinnamomo, caryophyllis, rore marino, ſantalis, aloë, & ſimilibus benignis purgantibus, ut rhabarbaro, agarico, roſis, ſena, & ſimilibus. Secundi generis extracta parari debent ex omnibus vegetabilibus, ſive nimis narcoticis, ut opio, hyoſcyamo, &c. vel ex purgantibus, quæ ſua volatilis ſpiritus nimietate vitam inſolenti motu agitarent, perturbarentque, adeoque ut aliquo modo cicurentur, eorum extracta media exſiccatione nimio volatili ſpiritu privantur, ſic durum ex *Helleboro, elaterio, eſulâ, Bryoniâ*, & ſimilibus educitur extractum.

Demùm alia extracta ſimplicia ſunt, quæ ex uno ſimplici vegetabili educuntur, alia compoſita, quæ ex pluribus ſimul vegetabilibus parantur, eodem tamen ſervato extrahendi modo in compoſitis, ac in ſimplicibus, ut infrà.

Mihi autem uſitata magis extracta, longiorique uſu comprobata tandèm huc adducere placet, alia tùm per analogiam cum adducendis, tùm apud varios auctores, qui vult addiſcere poterit. Sit igitur primò

Extracti Rhabarbari deſcriptio.

SI *Rabarbarum*, ſicut, & alia vegetabilia, viride, & ſucciplenum ha-

haberi poſſet in noſtris hiſce regionibus, non abſimili methodo, ac ſuprà de extractione eſſentiæ ex viridibus vegetabilibus, extrahi poſſet præſtantiſſimum medicamen, ſed cum non niſi ſiccum, & omni ſucculentâ ſubſtantiâ emunctum in noſtras regiones aſportetur, mutanda conſequenter erit ejus eſſentiæ extrahendi methodus, ut

♃. Rhab. opt. q. v. tere & immitte in aquam roris majalis deſtillati ter, vel quater, ad supereminentiam quatuor digitorum. Pone in digeſtione cinerum tepidorum per IV. *aut* V. *dies, donec tota aqua opt. in colorem rubicundum tingatur: ſepara tinctam hanc aquam per decantationem, cavendo, nè ejus limpiditas perturbetur. Iterùm aliam aquam novam infunde, digere, & decanta, ut ſupra, donec non ampliùs tingatur aqua à magmate rhabarbari reſiduo. Deinde magma omni tinctura privatum combure, & in cineres albiſſ. reduc, ex quibus ſalem extrahe fixum, quem tincturæ miſce. Deinde deſtilla lentiſſimo igne, donec omne humidum aſcendat, & magma reſiduum maneat liquidum veluti mel, vel Butyrum, in quo gradu deſiſtendum eſt à deſtillatione, advertendo, nè inter deſtillandum magma, ſive extractum, quod in fundo alembici reſidet nimia humoris inopia, & violentia ignis comburatur, & empyreuma redoleat, & habebis extractum, cui ſi vis, addere poteris gr. aliquot ſcammonij, ſpiritus vitrioli diſſoluti.*

Vires hujus extracti multæ ſunt, nam in primis innocens eſt medicamentum purgans, in obſtructionibus efficax, omneſque affectus ab obſtructione factos curat. Hinc aquam intercutem, regium morbum, lienis, vel hepatis tumores, diuturnaſque febres per intervalla aſſumptum ſanat.

Vermes infantium enecat, unde propter ejus benignitatem pueris etiam propinari poteſt.

Dyſenteriæ, choleræ, aliiſque alui fluxibus etiam offerri poteſt, ſi cum *croco Martis, aut terra exanimata vitrioli* exhibeatur.

Datur etiam ab alto devolutis, ruptiſque tàm internè, quàm externè, quibus, ut majori cum juvamento offeratur, *eſſentia mumiæ* addi poteſt. Ad hunc effectum vulgares Medici utuntur *Meſues pulveribus* abſque ulla præparatione, qui ex *rhabarbari* ʒj. *boli-armeni Orientalis* ℈j. *rubiæ tinctorum* gr. xv. conſtant.

Doſis eſt ʒj. uſque ad ij. in pueris verò à ℈j. ad ij. cum ſyr. aquis ſtillatitiis, juribuſque morbo convenientibus.

Advertendum tamen in harum eſſentiarum, ſive extractorum præparatione, quòd quandoque dum deſtillatur aqua, quâ mediante extracta eſt è vegetabilibus tinctura, deſtillat oleoſa quædam ſubſtantia ſimul cum aquâ, quæ cum tritorio etiam ſeparari debet, & cum tincturâ, ſive extracto miſceri.

Extracti Agarici deſcriptio.

AGaricum fungus arboreus eſt, adeoque exuccum etiam convegetabili vivens vita, ſicut & ſucco nutritur arboris, cui adhæret, compactioris naturæ habens eſſentiam, ac rharbarbarum; expoſcit ideoque aliam methodum parandi extractum, ac ſuprà diximus, ut

♃. Agarici q. v. tere, & diſſ. in ſpir.

 roſ.

roſ. pallid. vel hujus defectu, rore majali ſpiritu vini alkoholizato ad medietatem imprægnato, & in vitro opt. clauſo, vel in cineribus tepidis, vel in ventre equino pone ad digerendum per menſem, quo tranſacto tempore, per decantationem ſpiritum clarum, ac limpidum à fæculenta agarici materia elice, quem cuſtodi in vitro opt. clauſo, magmati verò reſiduo alium affunde ſpiritum, & eodem modo per viij. *dies digere, decanta, & ſerva. Ex reſiduo deinde magmate per combuſtionem ſalem extrahe fixum & cum ſervato ſpiritu conjunge, & ſenſim lento B. calore deſtilla, donec, vel ſyr. non benè cocti, vel mellis conſiſtentiam habeat, cui adde ol. cinnam. vel caryophyll. ad ſaporis conciliationem.*

Poteris etiam ſervare aquam, vel ſpiritum inde deſtillatum ad ſimiles extrahendas eſſentias ex catharticis aliis medicamentis ſiccis, ut è ſenâ, ſcam. &c.

Uſus hujus extracti eſt ad omnes craſſos, lentos, & quoſcumque alios humores evacuandos ab omnibus noſtri corporis partibus. Datur etiam ſummo cum juvamine omnibus quibuſcumque pectoris affectibus, præſertim aſthmaticis humidis, & ſanguinem extuſſientibus.

Urinam quoque pellit, & menſes commodè promovet, ventris tineas enecat, &c.

Doſis eſt ℨj. uſque ad ij. in juſculis, ſyr. & ſimilibus.

Extractum Senæ.

IN Hetruriâ, quia *ſena* recens, & ſuccolenta habetur, ſervanda eſt methodus eadem, ac ſupra diximus de extractione vegetabilium ſucculentorum ſcilicet ut extrahatur ſpiritus, ſal volatile, & fixum; at quia ad noſtram regionem ut plurimùm ſicca, & arida ejus aſportantur folia, ejus extractum non abſimili modo ac rhabarbari extractum per infuſionem ſ. ſenæ in rore majali deſtillato, ut ſupra diximus, parabimus: Unum advertendo, quòd digeſtionis tempus debet eſſe longius, ut in rhabarbaro diximus ad xv. vel xx. dies, ſena enim non tàm facilè tincturam reddit, ac rhabarbarum, indiget ergò majoris digeſtionis tempore, ut eam reddat.

Cui extracto ad mellis conſiſtentiam redacto *oleum per deſcenſum* ex eadem ſenâ extractum, & ſal fixum m. *Oleum* enim *per deſcenſum* eodem modo, ac diximus de extractione eſſentiæ menthæ eliciendum eſt, ut ♃. *Fol. ſen. lib.* iv. *vel.* v. *& elambico terreo deſcenſorio impone ſ. a. & deſtilla fortiſſimo igne. Ex hac deſtillatione ſeparabis aquam, quæ nullius momenti eſt, ab oleo, quod binâ, vel ternâ deſtillatione à vitriolo ad rubedinem calcinato, ab empyreumate vindicandum erit, quod adde priori extracto. Ex omni verò magmate reſiduo, cineribus factis, ſal fixum purum eſt extrahendum, & ſimiliter extracto addendum, cui adde parum olei cinnam. vel caryophyll. & ſic evadet purgans medicamentum gratiſſimi odoris.*

Adverte hic, quòd etiam poteris obſervare hanc eandem methodum deſtillationis per deſcenſum in extractione eſſentiarum ab aliis ſiccis purgantibus medicamentis, & potentiora evadent.

Pollet iiſdem ferè viribus, ac cætera extracta purgantia. Exhibetur à ℨj. ad ʒß. ſimiliter in juſculis, ſyr. in formâ pilul.

Ex

Ex quibus extracta parandi modis colligere poteritis ſimilium ſiccorum vegetabilium (ut ſunt ligna, cortices, fungi, fructus, &c.) extrahendi eſſentias ut ex *myrobolanis, colocynthide, turbith. &c.*

ART. NONUS.

De Scammonij, Aloës, Guttagambæ, & aliorum concretorum ſuccorum extractis.

HÆc tria vegetabilia ſucci arborei concreti ſunt, purganti energia prædìti, qui ità crudi ſicuti vulgò exhibentur, parum, vel nihil boni per ſe operantur; ex iis tamen efficaciores, & benigniores eſſentiæ arte ſpagyrica ità parari poſſunt, &, quidem primò ex *Scammonio* ità parari poteſt extractum.

℞. Scammonij lib. j. *quam ſucco limonum deſtillato ſolue, addendo ſpiritus Vitrioli* ℥ j. *vaſe opt. clauſo digere per menſem. Deſtilla leviſſimo igne, donec magma reſiduum ad Syr. conſiſtentiam perveniat, cui deſtillatam aquam iterùm affunde, & digere iterùm per* viij. *dies, filtra, ut à fæculentis materiis, quibus ſcatet ſcammonium vindicetur, & iterùm deſtilla, donec ſyr. conſiſtentiam acquirat. Deinde ex novo ſcammonio ol. per deſcenſoriam deſtillationem extrahe, ſepara ab aqua, quam projice, quia nullius eſt uſus, ol. autem ei ſupernatans ab empyreumate ter, vel quater à vitriolo ad rubedinem calcinato, deſtillando vindica, & ab reſiduo omni fæculentia per incinerationem ſal alkali extrahe, quod conjunge cum ol. & extracto ſuperiùs magmate, & ſerva ad uſus.*

Poteſt exhiberi tanquàm tutum, & blandè purgans medicamentum; nam ventriculum, & inteſtina non ita urit ſicut ſcammonium non ita præparatum.

Tumores omnes duros exteriùs applicatum, diſcutit, ac diſſoluit; unde ſecundum *Fabri* ſententiam Cancros, tàm exteriùs applicatum, quàm interiùs aſſumptum curat, ſicut etiam lepram, ſi bis in menſe eo utatur æger.

Doſis eſt à ℈ß. uſque ad j. in formâ pilulari, cum juſculis, ſyrup. & ſimilibus.

Aloës autem eſſentia ſimili modo extrahitur, *deſtillando ſcilicet lib.* ij. *ejus per deſcenſum, ut ſupra diximus, oleumque deſtillatum rectificando per deſtillationem à vitriolo ter, vel quater. Ex cineribus reſiduis ſal extrahendo, & invicem miſcendo. Deinde ſolue aliam aloës lib. in ſpiritu Vini opt. alkoholizato, digere per* xv. *dies, vaſe opt. clauſo filtra, & ſerva. Iterùm affunde novum ſpiritum, & ſimiliter digere per* 3. *vel,* 4. *dies, filtra, & ſerva. Deinde lento B. calore deſtilla vini ſpiritum, donec magma mellis conſiſtentiam acquirat, cui conjunge ſal. & ol. digere per aliquot dies, & ſerva, vaſe opt. clauſo, ad uſus.*

Vires hujus arcani multæ ſunt. Et quidem 1. eſt ſummum ulcerum, & vulnerum balſamum. 2. tineas, vermeſque omnes infantium enecat, omnemque corruptelam in internis viſceribus impedit, & humores p. n. evacuat. 3. eſt ſummum febrifugum. 4. Regium morbum curat, &c.

Doſis eſt à ʒj. ad ij. jejuno ſtomacho in formâ pilularum, cum juſculis, ſyrup. &c.

Guttæ gambæ autem extractum ſimiliter paratur *deſtillando lib.* j. *per deſcenſum, ut ſuprà diximus de aloë, & ſal*

ſal fixum ex communi reſidua face extrahendo, & cum ol. conjungendo. Deinde ex lib. ß. diſſoluta in phiala vitrea cum ſpiritu vini, vel ſpiritu vitrioli ana, ſolutum ſuccum digero per xv. *dies, decanta, & ſerva. Iterùm affunde novum ſpiritum, & digere per* iij. *vel* iv. *alios dies, decanta, & ſerva, quod itera donec ampliùs ſpiritus non tingatur. Deinde lento B. calore deſtilla ſpiritum, donec magma relinquatur in conſiſtentiam mellis, quod conjunge cum ol. & ſale fixo, & ſerva.*

Viribus ferè ſimilibus pollet, ac cæterà purgantia medicamenta, curat nàmque quartanam, ſubvenit hydropicis, præſertim leucophegmaticis, pallidiſque virginum coloribus, arthriticis, membrorum tremoribus. Cutanea etiam omnia vitia, ſivè exteriùs applicatum, ſive interiùs ſumptum curat.

Doſis eſt gr. v. viij. aut xvj. ſimiliter cum ſyr. &c. ante auroram jejuno ſtomacho.

Ex quibus colligere poteritis modum, quo ex ſimilibus ſiccis, concretiſque vegetabilium ſuccis extrahi poteſt eſſentia, in quibus ſigillatim deſcribendis hic non moror, cum facilè ex ſuprà allatis modis id pateat. Colligere item poteritis methodum parandi extracta compoſita, quæ non abſimilis eſt prædictis; ſimplicium nàmque pluralitas non variat extrahendi modum.

ART. DECIMUS.

De Extractionibus eſſentiæ ex Floribus, ſive De Tincturis.

TIncturæ ab aliquibus appellantur florum eſſentiæ; an quia flores omnes quicquid eſſentialis ſpiritus habeant in tinctura conditur; an verò quia in extima eorum ſuperficie, eorum eſſentia ludat, ita ut ſi nimis tales flores inter digitos verſentur, ſtatim eorum eſſentia evolat, remanentque exanimata corpora, omni odore deſtituta, ut in *Gelſimino* patet. Mirum tamen in natura eſt, quòd arte ſpagyrica omnium florum tinctura auferri poſſit, abſque eo quod ſubſtantia corrumpatur, illud accidens ita proprium, & innatum floribus, adeoque ſubſtantiam penetrare videtur, ut nulla vi ſeparari poſſit, quin eorum ſubſtantia corruptionem ſortiatur: Nihilominus experientia docet hæc ita fieri, ut nullo modo florum ſubſtantia lædatur; odore enim ſolo, & vapore ſulphuris, roſæ rubicundiſſimæ in albiſſimas ſtatim traſeunt, illæſis florum foliis. Rationem hujus ſpagyrici Philoſophiità tradunt: Rerum omnium colores à ſulphure interno, & innato pendent, hoc enim cum ſit caloris innati centrum, & fomes, coctiones, & digeſtiones omnes, humidi alimenti, & radicalis parit, ex coctione autem illa, & digeſtione varia, eſt etiam varia colorum diverſitas, ſulphuris autem interni rerum omnium, & mineralis ſumma eſt cognatio, & affinitas, ita ut unum ſulphur ſequatur alterius ſulphuris ſubſtantiam, & magneticè ad invicem trahantur, hinc eſt, quòd dum ſubſtantia ſulphuris mineralis liquata, ſeu in humidam, & aquoſam ſubſtantiam arte ſpagyrica redacta, florum corpuſcula tenuiſſima ingreditur, eaque penetrando, alimentitiam ſubſtantiam florum, quæ colorem

lorem continet, diſſoluit, & ſecum unit, & ſic permiſcentur invicem, & color florum tranſit è corpore ſuo proprio, & nativo, in homogeneam ſulphuris ſubſtantiam.

Methodus igitur extrahendi florum eſſentiam, ſive tincturam, cùm aliquo modo ſit diverſa à ſupradictis, hinc nos peculiari titulo de tincturis, ſive florum eſſentiis extrahendis agimus.

In quâ re illud advertendum videtur, quòd in aliquibus floribus, præſertim purgantibus, purgans virtus non ſolùm manet in ſuperficie, ſeu in tinctura, ſed in ſpiritu aliquo intrinſeco, ſeu humido radicali à tincturâ diverſo, ideò adhuc è purganti energia præditis floribus alio modo, ac ab aliis confortantibus, vel anodynis floribus, paratur tinctura, ut ſi exempli gratiâ ex *roſis pallidis moſchatis* eſſentiam parare, & elicere volveris non diverſa à ſupradictis methodo ſervata elicies, ut

♃. Roſ. albarum moſchatarum q. v., contunde, & exprime ſuccum, quem fermenta, ut extrahas ſpiritum æthereum, cui parum ambræ griſ. & moſchi addere poteris ad odoris ſuavitatem conciliandam, & habebis ſummè balſamum cardiacum, medicamentum purgans, quod efficacioribus viribus erit donatum, ſi ſalem volatilem, & fixum ab eiſdem roſis extractum habes. Vel in dicto ſpiritu alias roſas albas moſchatas addas, iterata ter, vel quater novarum roſarum infuſione, à quibus expreſſum ſpiritum uſui ſerva.

Eſt ſummum, & ſuave catharticum, quod etiam infantulis, mulierculis, aliiſque delicatulis hominibus, & magnatibus conveniens. Nam omnibus animi deliquiis eſt præſtantiſſimum medicamen; fatiſcentes nàmque ſpiritus ſolo odore recreat, reficitque Uteri ſuffocationi etiam mirificè confert, tàm aſſumptum, quàm ſi uteri os perungatur. Hinc apoplecticis, ac vertiginoſis ſummoperè prodeſt.

Doſis eſt ab ℥ß. ad j. mane jejuno ſtomacho.

Hinc ſimili modo procedere poteris in extractione eſſentiarum ex aliis purgantibus floribus, ut ex roſis damaſcenis, floribus perſici, & ſimilibus purgante facultate præditis, ut non modò tincturam, verùm etiam ſuccum eſſentialem extrahas, ſi purgantem eorum eſſentiam elicere volueris.

Ex aliis autem floribus tantùm confortanti, vel anodyna facultate præditis, tincturam tantum extrahere poteris, in quâ omnis ſaporis, & odoris grata latet energia. Confortantis tincturæ autem extrahendæ methodus erit, ut

♃. Flor. roſ. ſicc. rubr. mundat. q. v. immitte in phialam vitream, cui infunde ol. ſeu acetum ſulphuris per campanam factum q. s. ad madorum roſarum omnium cum aquæ quantitate, ut ſenſibilis ſit acoris olei ſulphuris ſapor; phialam probè obturatam, vel inſolationi, vel lento ſimili calori expone per aliquot dies, & per aliquot vices agitabis, ut aqua probè tingatur, tinctam ſeparabis, ac ſimili modo novum ſulphuris ol. & aquam impone, digere, & decanta toties, donec omnem roſarum tincturam elicias, quòd fiet terna, vel quaterna infuſione; nàm manebunt roſæ albæ omni rubro colore privatæ in fundo, extractam autem tincturam ſerva ab omni fæce reſidua liberam, ut probè limpida niteat, quam vitreo vaſi clauſo impo-

nes ad ſequentes uſus, imponendo aliquot uncias ſacchari.

Et quidem 1. Efficax eſt ferè ad omnes ventriculi defectus, præſertim appetitus dejectioni ſuccurrit, ad ſitim præter naturam ſedandam, &c. eò quia ſalſos, acreſque omnes humores, à quibus talis fovetur ſitis, ſoluit. Undè ſiticuloſis omnibus, & ardentibus febribus ſummum eſt ſolatium. 2. Capitis ferè omnes effectus curat, qui à ventriculo ortum habent. 3. Catarrhos omnes, deſtillationes, aliaſque fluxiones mitigat. Demùm oris etiam ulcera, & aliarum partium curat, &c.

Doſis eſt ℥ ß. ad j. ſimiliter in juſculis, ſyrup. &c. mane jejuno ſtomacho.

Hinc intelligite non abſimili methodo eſſe procedendum in extractione tincturarum ex aliis floribus, unde *tincturam violarum* ita parabitis, at meliùs ex recentibus, quàm ex ſiccis, his priùs à virore quocumque liberatis, ut

℞. *Flor. viol. q. v. contunde, & macera in propria aqua, exprime, & depura, affunde ol. ſulph. per campanam eliciti, vel ſpiritus vitrioli ad gratam aciditatem, pone in calore leni, donec tinctura voto reſpondeat, & adde ſacchari q. s.*

Efficaciſſimum eſt medicamentum ad omnes affectus thoracicos. Valet ad compeſcenda omnia interincendia, ad dolores omnes, & angores, & fluxiones compeſcendas.

Doſis eſt ℥ß. in juſculis, ſyr. &c.

Ex *floribus Pæoniæ* ſummum efficies medicamentum ad epilepſiam, ſi tincturam extrahes, præſertim cum vitrioli ſpiritu rectificato pro ſulphuris oleo tantùm ſuſtituto; nam vitrioli eſſentia etiam eſt epilepſiæ remedium. Continuatur tamen per menſem integrum mane jejuno ſtomacho, cujus doſis erit à ℈. j. uſque ad ʒß. in ſpiritu vini, ſyrup. juſculis, & ſimilibus.

Poterit etiam hæc alia ſervari methodus parùm dictis diſſimilis in extrahendis florum tincturis, quæ etiam apta eſt v. g. in *floribus ſerpentariæ.*

℞. *Serpentariæ majoris flores (qui ſunt purpurei, & prægrandes) q. v. tunde, & ſuccum elice in magnâ copiâ, quem vitreo vaſi impone cum modico fermento, ut digeratur, deinde deſtilla calore B. & elicies ſpiritum æthereum, quem ter, aut quater rectifica lento ignis tepore, deinde hoc mediante ſpiritu imprægnato cum aliquali ol. ſulphuris portione, ut ſuprà diximus, elice tincturam ex aliis floribus ſerpentariæ methodo prædictâ, cui ſummè depuratæ addere poteris ſalem volatilem, & fixum ejuſdem plantæ, & ſummum habebis arcanum ad magnos uſus.*

Et quidem 1. Ad ophthalmiam, & nebulas omnes, tàm interiùs, quàm exteriùs, applicatum. 2. Summum eſt Balſamum ad vulnera, & ulcera omnia, tàm ſimplicia, quàm depaſcentia; tàm parti applicatum, quàm per os aſſumptum; ſanguinem namque ſuo ſale volatili balſamico purificat, & ab omni labe mundat. Unde ad cutis omnes ſcabroſitates, ſerpigines, herpetes, pſoras, &c. tàm parti illinctum, quàm etiam per os aſſumptum, valet.

Doſis eſt à ʒß. ad j. in vehiculis jejuno ſtomacho continuando per menſem in morbis chronicis; Exteriùs verò applicatur per ſe ſolum illinendo linteis eo arcano madidis.

Non eadem methodus in extrahendis florum tincturis ſemper ſervanda eſt, ſed una quandoque diſſimili modo ab alterâ extrahitur, hujuſmodi eſt *papaveris erratici tinctura*, ut

℞. Conſ. flor. papaveris erratici ℥j. flor. papaveris errat. ſpiritus vitrioli irrorati ℥j. miſce, & cum aqua ex ſucco prædictorum florum deſtilla ℥. xxx. extrahatur tinctura rubicundiſſima, quam poſtea filtra, & adde ſyrup. è ſucco flor. papav. errat. parùm vitriolati ℥ viij. m. & ad uſus ſerva.

Prodeſt defluxionibus calidis, tenuibus, & acribus aſperam arteriam, & fauces exaſperantibus, inſomniaque facientibus: Tuſſim quoque inde natam; nec non catarrhum, & phthiſin ſedat, refrigerat, atque ſomnum conciliat. In pleuritide, & laterum puncturis ad dolorem mitigandum, inflammationem reſolvendam, ſudoremque eliciendum, eſt admirabile præſidium. Inſuper ad alui profluvium, & dyſenteriam excitatam ex affluxu materiæ acris, & bilioſæ valdè prodeſt.

Doſis ab ℥j. ad ℥ij. per ſe, vel cum vehiculis idoneis.

Ad diverſitatem vegetabilium pro eorum tinctura extrahenda, diverſa menſtrua requiruntur, unde alia quoque methodo, ut in *tinctura abſynthij*, quæ tali pacto elicitur.

℞. Abſynthij Romani probè exſiccati m. j. aquæ com. vel ſtillatitiæ ex eodem abſynthio vulgari modo elicita lib. j. aq. ardentis ℥ ij. digere phiala opt. clauſa in Sole per aliquot dies, decanta, & filtra, ſi vis, & ſi times à vini ſpiritu media evaporatione tincturam ab illo libera.

Adverte, quòd ſi vis potentiorem tincturam, & non times à menſtruo, adde ℈. olei ſulphuris. Si tinctura fuerit guſtui ingrata, ſaccharo, vel alia aqua appropriata, vel ſyr. illam emenda.

Valet pro obſtructionibus mirabiliter, ictero, &c. doſis eſt ℥j.

Diverſo modo *flores hyperici* dant tincturam, nàm reſpuunt aquam, ut

℞. Summitatum Hyperici florentis pulverizatarum q. v. Macera octiduum in ſpiritus vini rectificati ſuff. quantitate, ſtent in loco tepido, poſtea filtrentur, & habebis tincturam rubicundiſſimam Rubini inſtar, ſaccharo edulcorandam, & ad uſus ſervandam.

Uſus In contumacibus affectibus valdè utilis, imbecillitatem, hebetudinem, ſtupiditatem, torporemque mentis, quantùm per artem licet, corrigit, & emendat, omneſque imaginationum affectus feliciter tollit. Morbis etiam renum, & veſicæ prodeſt, urinam provocat, & menſtrua pellit.

Doſis à cochl. iij. ad IV. bis in die, mane ante ſolis ortum, & veſperi eundo cubitum.

Ex bacc. non abſimili modo paratur *tinctura.*

℞. Aq. vitæ q. ſuff. granorum Juniperi m. ij. contundantur, & macerentur in prædicta aqua diebus iij. coletur, & ſervetur ad uſum.

Quod ſi efficaciorem, compoſitamque parare velis hoc modo procedere.

℞. Bacc. juniperi recent. & craſſiuſculè contunde lib. j. ſem. aniſ. contuſ. ℥iv. radicis Angelicæ ℥j. lign. nephritici ℥ß. macis elect. ʒij. miſta infundantur in vini malvatici lib. viij. ſtent in infuſ. per 14. dies, quotidie aliquoties movendo; Poſtea

in MB. deſtillentur, & cum hoc deſtillato liquore ex Bacc. Junip. tincturam extrahe, ut artis eſt, quæ deinde filtretur, & parùm edulcora, & ſervetur ad uſum.

Uſus. Excalefacit, aperit, attenuat, & diſcutit. Stomacho utilis. Contra pectoris vitia, tuſſim, inflationes, tormina, & ſerpentum ictus efficaciſſimè bibitur. Venenis mirificè adverſatur; quarè peſtilentiam arcet hauſta. Calculos quoque è renibus pellit, urinam ciet. Undè ruptis, convulſis, & vulvæ ſtrangulatui ſubvenit.

Doſis à cochl. j. ad iij. manè jejuno ſtomacho.

Non prætereundum illud celebre medicamen, quod ex granis juniperi conficitur, quæ *Theriaca Germanorum* appellatur, fit enim tali pacto.

℞. *Gr. junip. recentia, & matura, in mortario marmoreo conterantur: quibus ad ſingulas libras aquæ pluvialis deſtillatæ lib. IV. ſuperfundantur, & per triduum in loco calido digerantur: poſtea per pannum colentur, & fortiter exprimantur. Colatura filtretur, exhaletque ad extracti conſiſtentiam; cui ſaccharum addere poteritis.*

Datur in colicâ, calculo, ſuffocatione matricis, menſium ſuppreſſioni, defluxionibus frigidis, hydrope. Eſt etiam præſervativum ſpecificum contra peſtem, & omnem aërem contagioſum. Doſis ʒj.

Efficies elect. pro ſtomacho, quod *Paracelſus* proponit in conſiliis Medicis conſilio primo p. m. 742. ſi ſuperioris præparationis ad lib. j. addas *pulveris zinzib.* ʒj. *macis, & calami aromat. an.* ʒij. *cubeb.* ʒj. & miſta omnia excipies vitro, quod exquiſitè obturatum in ſole ſtet ad menſem unum. Hoc electuarium ad roborandum ſtomachum non parùm faciet, ſi ſumatur à paſtu.

Ex *corticibus* quoque extrahitur *tinctura*; *ex cortice Pruviano* ita

℞. *Corticis Peruvian. ſive chinachinæ* ℥j. *f. ſubtiliſſimus pulvis, quem injice in vas vitreum ſuperaddendo ſpiritus vini dephlegmati lib.* ß. *Orificium vaſis deinde exactiſſimè obturetur, & ſepeliatur in ventre equino per XV. dies, aperiatur tunc vas, & vini ſpiritum pulcherrimè tinctum à fæcibus ſepara per inclinationem, quem ſerva in vaſe vitreo opt. clauſo.*

Uſus. Hac tincturâ tertiana, & quartana non ſolùm citò, tutè, & jucundè curantur; ſed febres omnes, quæ à refrigeratione extremorum acceſſionum initium habent, licet ad perfectam infebricitationem non devenerint. Diſcant hinc juvenes quàm falſa ſit humorum quaternarij doctrina, cum unum, idemque remedium infallibiliter curat quotidianam; tertianam, & quartanam, quas ab humoribus inter ſe contrariis pendere mendaciter inſinuant ſectariorum medicorum Grex. Hujuſmodi remedia ſi cognoviſſet *Galenus* quia vir erat ingenuus, certè libros ſuos igni cremandos tradidiſſet.

Doſis ʒj. in vini generoſi ℥ij. exhibetur, incipiente paroxyſmo. Extincta cum hac tincturâ febre per inferiora purgandum eſt corpus, adhoc ut ejus recidiva vitetur.

Medicorum vulgus ad intermittentes febres ità parat hoc ſpecificum per infuſionem.

℞. *Corticis Peruvian.* ʒij ß. *f. ſubtiliſſimus pulv. qui infundatur per 12. horas ante acceſſionem in* ℥. iij. *vini albi generoſi, & in acceſſionis initio cum jam* exire-

extrema frigent, exhibent infirmo vinum ſimul cum pulvere.

Dignum eſt admiratione quòd licet poſt horæ quadrantem hoc medicamen ob ventriculi nauſeam vomitu ejiciatur, non propterea infirmus morbi curatione defraudabitur, quòd non accideret vomitus, ſi ſub tincturæ forma ægris propinarent.

Ex *lignis* quoque ſua *tinctura* extrahi poteſt, ex *ſaſſafras* ità concinnabis.

℞. *Aq. font. benè coct. & adhuc ſummè calidæ lib.* viij. *lign. ſaſſafras in taleolas tenues inciſ.* ℥ij. *ſtent in infuſ. per noctem in olla nova vitreata, & benè cooperta; donec per ſe refrigeſcant: manè per chartam filtrentur, & colatura clara cum tinctura caſſiæ ligneæ parum aromatizetur, & ad uſum pro potu quotidiano ſervetur.*

Uſus. Catarrhoſis, & Arthriticis nectar eſt: ob ingentem enim ſiccitatem, & moderatum calorem eſt remedium excellens ad omnis generis defluxiones, quas radicitùs abſumit, nec non calculum ejicit. Flatus diſcutit. Uterum ad conceptionem preparat. Menſes provocat. Coctionem juvat. Vomitus cohibet, & alvum ſubducit. Sed iis qui extenuati ſunt, & imbecillibus non convenit.

Doſis propriè non obſervatur, ſed patiens ad libitum bibat, continuando per aliquot ſeptimanas.

Ex *radicibus* tandèm ità paratur *tinctura*.

℞. *Rhabarbari drach. unam pulveriza, & pone inphiala vitrea cum* ℥iv. *aq. ſtillatitiæ cichor. vigoratæ cum aliquot guttulis ol. ſulphuris, & vini ſpiritus, claude phialam, & digere in loco moderatè calido, decanta, & filtra.*

Valet non ſolùm ad vermes, ſed etiam ad obſtructiones tollendas. Poteris illam miſcere cum ſyr. roſ. pallidarum, vel cum aliquo alio convenienti. Si indiges adſtrictione, in tincturam mollem redige, nàm pars purgans exhalabit, vel ſaltim labefactabitur.

Doſis eſt, ſi contra vermes vis illam uſurpare unum, vel alterum cochlear; Si ad pueros purgandos ℥ß. vel integra, habita ætatis ratione, & virium. Quòd ſi tempus ſuppetit, meliùs eſt purgationem inſtituere per epygraſim dictam, & ſic ℥ß. ſufficiet.

Atque ex his deſcriptis omnibus modis extrahendi tincturas, colligere poteritis methodum, qua aliæ ſimiles in vegetabilium Regno extrahi debent; nam non ſolùm prolixum eſſet, verùm etiam tædioſum ſigillatim omnes vegetabilium tincturas perquirere.

ART. UNDECIMUS.

De Extractione Eſſentiæ ex gummoſis vegetabilibus.

GUmmi omnia genera arborum etiam ſunt concreta humidi radicalis in arborum corticibus; nam ſæpeſæpiùs vulneratæ arbores gummi reddunt, ac ſummâ vi balſamicâ pollent, cum magnam eſſentialis oleoſæ eſſentiæ in ſe coërceant quantitatem, idque patet, ex eo quia facillimè ignem concipiunt, ac totæ inflammabiles. Hoc humidum radicale gummatum tribus conſtat principiis ſcil. ſale, ſulphure,

& mercurio, & ſunt excrementa iſtorum trium principiorum, nihilominus alia dicuntur ſulphurea excrementa, alia mercurialia, & alia ſalina, quòd aliis prædominetur ſulphureum quid, aliis mercuriale, aliis verò ſalinum. Sulphurea ergò ſunt excrementa omnia gummata, cum in his plus ſulphuris reperiatur, quàm mercurii, & ſalis. Sed quia diverſam nanciſcuntur formam; ideò diverſam quoque eſſentiam, & diverſam extrahendi methodum involuere debent. Et quidem primò ſit

Extractionis eſſentiæ Terebinthinæ deſcriptio.

℞. T*Erebinthinæ Venetæ, & ſpiritus vini an. lib. j. miſce ſimul. opt. & baculo agita, donec unita ſint, deinde phialæ vitreæ ſatis amplæ impone, ut medietas, vel tertia ſaltem pars vacua ſit, ubi tamdiù agitentur donec in albedinem ſummam redigantur, tunc repone in loco frigido, ut hypoſtaſes demittant, ubi ſupernatabit omnibus ſpiritus vini, deindè ſequetur Terebinthina in ol. diſſoluta flavi coloris. Ultimò ſequetur ſal Terebinthinæ albiſſ. coloris, qui ſeparatus, & exſiccatus, catharticæ eſt virtutis, purgatque abſque ullo incommodo per inferiora. Spiritum deindè, & ol. poſt ſeparationem ſalis m. & digere in B. tepenti vaſe opt. clauſo, nè ſpiritus exhalet. Deinde deſtilla igne cinerum ſervatis gradibus, primò ſcilicèt lentum adminiſtrando ignem, donec ſpiritus vini unà cum ſpiritu Terebinthinæ è phlegmate egreſſi ſint. Tunc augendus eſt ignis, & mutandum recipiens, quia ol. Terebinthinæ egredietur flavi coloris, ubi ignem adaugendo, & continuando, aliud egredietur ol. rubri coloris, quæ duo olea ſimul miſta rectificentur, ter vel quater per retortam, magma autem, quod remanet in fundo alembici exime, & contunde ſubtiliter, cui adde duplam quantitatem reſpectu ponderis ſui, ſpiritus Terebinthinæ, qui in primâ deſtillatione egreſſus eſt ſimul cum vini ſpiritu, digere in B. tepenti per XV. dies, ut diſſolvatur omninò magma, deſtilla, deſtillatum iterùm affunde, digere, & deſtilla, donec aſcendat ſal volatile Terebinthinæ, quod ultimò egredietur in formâ mellis coagulati, vel in capitello alembici coagulabitur, aut in fundo recipientis in forma ol. reſidebit. Ex magmate reſiduo, ſi vis ſal extrahe fixum, nam minimæ erit quantitatis, poteritque etiam omitti ejus extractio, quoniam Terebinthina, ſicut, & cætera gummata minimam fixi ſalis quantitatem habent, quia eorum ſubſtantia tota ſulphurea eſt, & volatilium partium, ideoque inter comburendum tota ferè evaneſcit. Miſce ſimul omnia, iterum digere per 3. dies, & ſi opus erit, rectifica, & ſerva in phialâ opt. clauſa.*

Vires autem, & uſus hujus arcani valent ad multos chronicos depellendos morbos, & quidem

Primò, Diureticum ſummum eſt, undè nephritico affectu laborantibus ſolatium eſt, nam arenulas, & calculos comminuit, detruditque ac ſuâ balſamicâ, quâ pollet virtute, renes, aliaque urinalia vaſa carminat, ſolatur, demulcet.

Secundò, Ulceribus,omnibus,tàm benignis quam malignis curandis, & glutinandis efficaciſſimum eſt balſamum.

Tertiò,In gonorrhæis gallicis percurandis nihil eſt potentius; ſuâ namque balſamicâ vi, renes, & omnia vaſa â venenatâ luis labe affecta abſtergit, purificatque.

Doſis

Doſis eſt ℥j. in vehiculis appropriatis. Exteriùs applicatur cum goſſipio eo madido ad modum balſami.

Terebinthina, abſque eo, quod per extractionem in eſſentiam arte ſpagiryca redacta ſit, aliqui in gonorrhæâ Venereâ utuntur per os aſſumpta ad quantitatem ℥ß. quolibet mane jejuno ſtomacho per ſex, vel octo dies, cum *pulu. glycyrrhizæ, & ſacch.* ad formam boli. Alij lavant, ſed inſcitè faciunt, multum enim ſui balſami per lotiones deperdit, fitque ferè inutilis. Latet in terebinthinâ mirabile balſamum, quod in vias urinarias ſpecifica proprietate fertur, illiſque balſamicam ſuam virtutem impertitur, prohibetque nè earum nutrimentum degeneret, corrumpatur, vel fixetur: Undè eſt quòd poſt aſſumptam terebinthinam urina, quæ ejicitur, violaceum odorem à longè ſenſibilem ſecum ferat. Nonnulli procedunt hoc modo: Terebinthinæ lib. j. concoquunt in aquæ lib. 24. donec odorem amittat, & inſpiſſetur, adeò ut refrigerata digitis in pulv. verti queat, ac vitri modo diſſiliat; Sed ineptè faciunt, cum tota pars eſſentialis in aquam tranſeat, remanetque tantùm pars inutilis vi balſamica ſpoliata. Aliqui tandèm medicaſtri propinant terebinthinam crudam in ovo ſorbili, quod medicaminis genus ferculum nimis ingratum ob olei roſac. defectum à digeſtivo parum differt. Nos verò in gallicis gonorrhæis utimur terebinthinâ Venetâ illotâ ad quantitatem ʒijß. tertio quoque die intra hoſtiam convoluta aquâ madefactam cum mercurii dulcis gr. x. vel xv. in formâ pilulari, cui medicamini nulla gonorrhæa, quantùmvis virulenta, reſiſtit, movetque duos, vel tres ſeceſſus, & urinæ quantitatem. Illicò urinæ acredinem, & in erigendo dolorem tollit, materiæ fluentis colorem immutat, omnia ſymptomata benigna reddit, & ad octo vices integrè curat fluxum.

Eſſentiæ Thuris Extractio.

℞. T*Huris lib. j. ab omni ſorditie munda, media lotione, tunde, & diſſ. in alia lib. ſpiritus vini alkoholizati, aut Terebinthinæ ſupra deſcripti, in amplo vitreo vaſe opt. obturato digere in B. tepenti aut in fimo equino per* xv. *dies. Deindè deſtilla igne cinerum, ut ſeparetur ſpiritus affuſus, iterùm affunde digere per 4. dies, & deſtilla, ut priùs affuſus ſpiritus vini, aut Terebinthinæ ſeparetur. Deindè mutato recipiente continuabis ignem, & deſtillationem donec nihil aliud aſcendat. Ex reſiduo magmate ſal extrahe fixum, quod cum ol. m. & ſerva.*

Eoſdem ferè habet uſus, ac oleum, ſive eſſentia Terebinthinæ, exhibeturque eadem doſi.

Hæc etiam ſervari poterit methodus extrahendi eſſentiam ex aliis gummoſis vegetabilibus, tàm ſcilicèt ex uno ſimplici gummi, quàm ex pluribus ſimul miſtis; ideòque in aliis hic ſigillatim deſcribendis non moror.

ART. DECIMUS SECUNDUS.

De Aromaticorum vegetatilium eſſentiis.

SI poſſent haberi virentia aromata, non abſimili methodo ex eis eſſentia

eſſentia extraheretur, ac ſupra de viridibus aliis vegetabilibus diximus; At quoniam ut plurimùm ſicca ad noſtras evehuntur regiones, ideò hic methodum extrahendi eſſentiam ex eis ſiccis deſcribimus.

Et quidèm aliqui olea eſſentialia appellant Chymicâ arte extractas aromatum eſſentias, in quarum extractione diverſimodè procedunt.

Et quidèm primò aliqui utuntur iteratâ vini generoſi, vel aquæ roſac. &c. ſpiritu vini imprægnati infuſione, digeſtione, & deſtillatione. Alij tantùm deſcenſoriâ deſtillatione, ut ſuprà diximus, ut v. g. ſi *ex cinnamomo eſſentiam* parare vis.

♃. *Cinnam. elect. q. v. tunde groſſo modo, & in ſuff. vini alb. generoſi quantitate infunde, & digere per* iij. *aut* IV. *dies, & deſtilla calore M B. aquam lacteam, quæ deſtillat, novo cinnam. reaffunde, digere, & deſtilla, quæ tertia vice reiterata, & in ultima deſtillatione habebis ol. eſſentiale cinnam. ſubalbidum, quod ſepara ab aqua, & vaſe clauſo ſerva, reſiduum verò à deſtillatione cinnam. ure, ut ſal fixum extrahas, quod miſce cum dicto ol. ad uſus.*

Alii autem hoc alio modo procedunt in extractione *olei eſſentialis à cinnamomo.* ut

♃. *Cinnam. q. v. contunde groſſo modo, & per deſcenſoriam deſtillationem ſupra deſcriptam ol. elice magno igne, ut comburatur cinnam. oleum extractum rectificatur deſtillando illud à vitriolo ad rubedinem calcinato. Deinde affunde illud ſupra novum optimum cinnam. etiam leviter contuſum cum aliquali portione aquæ cinnam. ſtillatitia optima, & per retortam deſtilla in MB. donec totum ol. aſcendat, quod cinnam. odorem fragantiſſimum recuperabit, cui adde ſal extractum èx combuſto reſiduo capite mortuo, & ad uſus reſerva.*

Aliqui tandèm in ejuſmodi aromaticis eſſentiis extrahendis, amygdalas, tartarum, aut alia addunt, ut indè majorem olei copiam proliciant, quæ fraus omninò rejicienda eſt.

At hi duo modi ſupra dicti eſſentiam â cinnamomo extrahendi, ambo benè procedunt. Poteris autem aquam ſervare, quæ etiam eoſdem ferè habet uſus, ac eſſentia, licet ſit aliquantò debilior eſſentia, ſive oleo cinnamomi.

Hoc verò cinnam. oleum magnos habet uſus, & primò quidem Summum eſt vitæ noſtræ balſamum, tàm interiùs, quàm exteriùs applicatum. Menſes namque mulierum potenter provocat, partum facilitat, cor exhilarat, memoriæ imbecillitati confert. Ventriculum roborat, venerem ſtimulat, &c. 2. Etiam exteriùs applicatum eſt ſummum vulnerum, ac ulcerum Balſamum. 3. In animi deliquiis ſingulare eſt ſolatium. 4. Virginum pallidos corrigit colores. Demùm, ſummùm eſt ſudorificum, unde in febribus ad ſudores provocandos tutò poteſt exhiberi.

Doſis eſt gut. iij. vel IV. ſimiliter in aquâ cinnam. ſyrup. ovis ſorbilibus, &c. exteriùs autem applicatur cum goſſipio dicto arcano madido.

Atque ex his collige. 1. Non abſimili methodo eſſe procedendum in extractione eſſentiarum ex aliis aromatibus, ut ex *nuce myriſticâ, caryophyllis, pipere*, & ſimilibus aromatibus, nam omnia analogis pollent viribus balſamicis, atque confortantibus.

Collige

Collige 2. Benè poſſe eandem methodum in quibuſcumque aliis, tàm ſimplicibus, quàm compoſitis vegetabilium magiſteriis ſeparandis ſervari, ac in ſuperioribus titulis diximus, ut facilè cuique ſanæ mentis patere poteſt in praxi, & apud auctores, qui alia deſcribunt vegetabilium arcana quiſque videre poteſt. Verùm pro hujus rei coronide ſit

Art. Decimus Tertius.

De Elixiribus.

MUltæ aliæ ſupereſſent vegetabilium magiſteriorum deſcriptiones, quæ ex multis ſimul vegetabilibus parari ſolent à variis auctoribus, ut ſunt Elixiria, Balſama, &c. quorum præcipua deſcribam, quibus cœtera addiſci poſſunt.

Et quidèm primò Elixiria, ea magiſteria appellat *Paracelſus lib.* 8. *Archidox.* quæ corporis noſtri præſervativa, ſeu balſama ſunt vitalium omnium viſcerum, quæque ſunt eſſentiæ puritate, calorem vitalem adaugent, fovent, conſervant.

Varias autem elixiriorum adducit cit. *Paracelſ.* deſcriptiones, ut ſalium, balſami, dulcedinis, quintarum eſſentiarum, ſubtilitatis, &c. quorum deſcriptiones vix intelligibiles videntur. Illud tamen præ cœteris varij auctores diverſimodè deſcribunt, quod *Proprietatis* dicitur, hujus deſcriptio *Paracelſica* ſequens eſt.

℞. *Aloës hepat. myrrhæ, croci an.* ℥ ij ß. *quæ ſimul in Pellicanum, & in arenam poſita menſibus duobus aſcendant leviſſimè. Separa tandèm per alembicum ol. à fæcibus præter aduſtionem. Ol. hoc unà cum circulato per menſem digeri permitte, pondere quidem æquali, poſt ſerva.* Hæc illæ.

Verùm hujus elixiris vires ſummæ ſunt, ac penè incomparabiles, tamen propter circulati defectum non omnibus licet, ſed tantùm filiis artis, arcanum hoc præparare.

Alij *elixir proprietatis Paracelſ.* hoc modo, quem nunquàm, ſicut, & cœteras deſcriptiones, quæ circumferuntur, ſomniavit auctor, parant, ut

℞. *Aloës, myrrh. & croc. an. p. æ. ponantur in vaſe vitreo cum pauco ſpiritu ſulphur. pone in ventre equino ſpatio* xx. *dierum, & poſteà adde q. ſ. aq. cinnam. & aq. vitæ, & deſtilla per retortam.*

Tamen aliam deſcriptionem defectu præfati elixiris, mediocrem tamen, ità tradit *Helmontius.*

℞. *Aloës lucidæ, myrrh. opt. & croci opt. an.* ℥ j. *ſi n. plus ſumpſeris, fruſtra id factum reperies. Duo priora terantur accuratè; crocus verò quia non teritur niſi exſiccatus, potiùs conglobetur tundendo. Ponantur in vitro capaciſſimo, & forti, ſigilleturque liquato collo vitri. Et circuletur moderato calore, nè vas diſſiliat, donec videris totam offam in fundo coaluiſſe, & circulari ol. clarum cum aqua in parietibus vitri. Tùm aperiatur collum vitri, & infunde lib. aq. cinnamomi, & deſtilla per arenam madidam, cui ſenſim aqua bulliens affundatur. Donec non ampliùs è roſtro alembici quidquam ſtillet.*

Quo medicamine tàm quartanam, quàm continuam ſtatim curaſſe fatetur; adeò ut qui noctu ſuſceperat Sacroſanctum Viaticum, & olei extremam unctionem, eum convivam in prandio circa lectum habuiſſe fertur.

Crollius, & alii aliter ejus præparationem deſcribunt, ut

℞. Myrrhæ, Aloës epat. & croci Orient. an. ℥iv. *pulveriſentur omnia diligenter, & in vitrum indantur, humectando opt. ſpiritu vini alkoholizato, poſteà affunditur rectificatum ol. ſulph. per campanam factum ad eminentiam 4. digitorum, ponatur in digeſtione, & circulatione per duos menſes, tandem quod tinctum, & extractum fuit per inclinationem ſepara, materiæ in fundo reſtanti bonum ſpiritum vini affunde, & circulando per menſes 2. iterùm coloratum extrahe, ſepara, ac priori liquori colorato m. Fæces in fundo lentè deſtillentur, quod primùm egreditur, addatur ſuperiori tincturæ, & ità per menſem adhuc ſine deſtillatione circulentur. Nam ità paratum elixir ſaporis erit non admodum ingrati.*

In quâ re illud diligenter eſſe obſervandum idem fatetur *Crollius*, materiam ſc. primo eſſe irrorandam ſpiritu vini, ut fiat quaſi paſta, & deinde ol. ſulph. affundendo, alioquin totam materiam in nigredinem à ſpiritu ſulph. in myrrham, & aloëm propter pinguedines ſuas agente, veluti combuſtione tingi aſſerit cit. auctor.

Verumtamen, quamquam non adeò perfectum ſit hoc elixir, etiam ſummis pollet virtutibus, & quidem 1. Eſt ſummum vitæ noſtræ balſamum, eam à putrefactione præſervans, præcipuè in ſenibus. 2. Miranda in affectionibus pectoris, & thoracis præſtat. 3. Adverſus peſtifera contagia populatim graſſantia. 4. Viſcera omnia noſtri corporis ab omni labe mundat, unde ventriculi defectibus, catarrhoſis, & tuſſientibus, hemicraniæ, vertigini, & oculorum caligini ſuccurrit. 5. Ob hanc eandem rationem cor, & memoriam, ſenſuſque omnes acuit, confortatque. 6. Febrem quartanam curat. Demùm omnium vulnerum, & ulcerum etiam interiorum viſcerum ſummum eſt balſamum.

Doſis eſt à vj ad x. & xij. guttas in vino, vel aquâ conveniente ſpecificâ.

Alij verò breviori, & faciliori modo hoc idem elixir præparant, cujuſmodi præparatum apud pleroſque in uſu eſt.

℞. Aloës epat. myrrh. & croci opt. an. ℥j. *contunde opt. myrrh. & aloëm, deindè crocum cum eis contundendo, congloba, ut ſupra diximus. Deinde indantur vitro cum lib. j. ſpiritus vini opt. & digerantur per dies 8. clauſo vaſe deinde deſtilla lento igne, donec nil amplius per alembici roſtrum aſcendat, & ſerva. Caput mortuum poteſt etiam comburi, ſi vis, & ſal extrahi, ut cum ſupra-dicto elixire miſceri, quòd meliùs eſt.*

Quod elixir ità præparatum licet non adeò perfectis virtutibus præditum, compertum habuerimus, ac ſupradictum tamen illud idem perficit, ſed debiliori modo. Sunt nonnulli, qui hoc idem elixir per infuſionem, & digeſtionem tantùm parant & mirificè præſtat interiùs, & exteriùs.

Crollius elixir peſtilentiale deſcribit, non tàm peſtis præſervativum, quàm curativum, ut

℞. Flor. ſulph. ℥iij. *affunde ol. juniperini è baccis rectificati ad eminentiam, 3. vel 4. digitorum, ol. ſuccini ab odoris vehementia liberati, quartam partem ad ol. juniperi: ſtent in arenâ ſæpiùs movendo, ut flores lentè ſine aduſtione ſolvantur. Poſtea ℞. Theriacæ electæ lib. j. extrahe cum ſpiritu vini opt. tincturam, quam à*

ſpiritu

ſpiritu vini ſeparatam, ſeorſim ſerva. Rad. Elenij, angelicæ, bacc. juniperi contuſ. an. ℥ iij. *cum eodem ſpiritu vini extrahe tincturam, quam in B. ſeparatam m. cum tinctura Theriacæ, ac affunde ol. juniperi, & ſuccini floribus ſulph. imprægnatum, & per papyrum bibulam priùs filtratum, omniaque circula lentiſſimo calore per dies* 14.

Habebis ſecretum, quod in peſte, & morbis epidemicis ex Dei benignitate ad miraculum operari ſolet.

Doſis j. vel ij. guttæ in vino, vel aceto quotidiè manè. Vel ſingulis ſeptimanis ſemel viij. vel x. gutt. jejuno ventriculo expectato ſudore aſſumantur. Præſervat à putredine, & nil impuri relinquit in corpore. Correptus ſtatim ab initio accipiat à ʒj. ad ij. in vino, aceto rutaceo, vel alio liquore appropriato, & ſudet, potenter venenum è corpore pellit.

Idem præfatus auctor *elixir uterinum* magnæ efficaciæ deſcribit ità.

♃. *Caſtorei lib.* ß. *croci* ℥ ij. *extrahe tincturam cujuſque ſeorſim cum ſpiritu vini, & ſepara ſpiritum ad remanentiam extractorum; quibus miſtis adde extracti Artemiſiæ* ℥ iv. *ſalis matris perlarum* ℥ j. *ol. deſtill. aniſi, angelicæ, ſuccini an.* ʒ ij. *digerantur miſta omnia per* 8. *dies.*

Doſis hujus elixiris ʒj. vel ij. ingruente paroxyſmo hyſterico qualicumque tunc illicò ſanantur. Quòd ſi ſingulis menſibus appetentibus menſtruis æquali doſi utantur, non revertetur morbus hyſtericus; corrigit enim, & emendat menſtruorum vitia.

Qui plures elixiriorum deſcriptiones cupit addiſcere, legat varios auctores, & inveniet elixir epilecticum, apoplecticum, ſtomachum, nephriticum &c.

Deſcribunt alij alia *elixiria*, quæ *vitæ*, appellant, quæ nihil aliud ſunt niſi multorum aromaticorum vegetabilium volatiles ſpiritus maceratione, & deſtillatione media in vino, vel vini ſpiritu peracta, & deſtillatione ejuſdem vini ſpiritus imprægnati talibus ſpiritibus aromaticis, ut

♃. *Caryophyll. nucis moſc. macis, zedor. galang. piper. long. pyrethri, cort. citr. majoranæ, ſalviæ, ammi, nardi indici, cubebar. xylaloës, cardamomi, cinnam. menth. lavendulæ, coſti, pulegij, calaminth. calami aromatici, ſtæchadis, chamædryos, chamæpityos an. p. a. & in pulu. redacta vino opt. macerentur, inde leviſſimo igne deſtilletur aqua perſpicua, & odorata, cui adde moſchi gr. j. vel. ij. & ſerva.*

Doſis cochlear. j. jejuno ſtomacho calorem naturalem vivificat, canitiem retardat, &c.

Hac etiam eadem methodo varii varias parant aquas diaphoreticas, cujuſmodi præ cæteris eſt *aqua Theriacalis Quercet.* cujus ſequens eſt deſcriptio.

♃. *Theriacæ opt.* ℥ iij. *Myrrh. elect.* ℥ ß. *croci* ʒ ij. *ſpiritus vini* ℔. ß. *Miſceantur omnia, digere, ac per cineres in alembico vitreo lentiſſimo igne deſtillentur, deſtillata circulentur in fimo equino per* 8. *dies, iterùm deſtilla, & ſerva.*

Uſus hujus aquæ eſt in ſudoribus provocandis in febribus præſertim malignis, peſtiferis, &c.

Doſis ʒ ij. uſque ad ℥ ß. in aq. card. benedicti, julepis, &c. jejuno ſtomacho.

Sunt aliqui, qui è theriacâ efficaciam extrahunt ſucco limonum, aliiſ-

aliiſque aquis, ut aufugiant vini ſpiritum propter ejus caliditatem, ſed fruſtrà laborant, nàm ſine vini ſpiritu nulla fit extractio, & ſuccus limonum eſt improportionatum menſtruum ad talem operationem. Quòd ſi quis vini ſpiritum timet in hujuſmodi febribus, in parvâ doſi utatur ad ℨj. vel ij.

Balſami autem vocantur à ſpagyricis, qui vulnerum, vel ulcerum omnium remedia ſunt, quique ſolo illinctu omnem putredinem abigunt. Nil n. aliud ſunt niſi olea eſſentialia; ſive ſimplicia, ſive compoſita. Simplicia ex vegetabilibus educi poſſunt, ſupra retulimus, ubi egimus de gummoſis, & aromaticis vegetabilium eſſentiis, quæ omnes vi balſamica pollent. Compoſita autem balſama nil aliud ſunt, niſi dictorum vegetabilium eſſentiæ commiſtæ cum aliquali ceræ, vel olei portione, ut ad inſtar unguenti, vel olei adaptentur. Quorum plures deſcriptiones reperietis apud diverſos auctores, ut v. g. ſi vis *caryophyllorum balſamum* conficere.

℞. *Ol. caryoph. methodo ſupradicta præparati* ℥ijß. *ol. amygdal. dulc.* ℨiij. *ceræ* ℥ij. *funde prius ceram ſimul cum oleo amygdal. deinde adde ol. caryophyll. & baculo ligneo diligenter agita igne leviſſimo, donec unguenti conſiſtentiam acquirat, & ſerva, poteſt miſceri ol. cinnam. ſemoto prius tigillo ab igne.*

Erit ſummum ulcerum, & vulnerum balſamum, ſi applicetur cum linteis eo madidis, vel ſimili alio modo.

Sic etiam conficere poteritis balſamum compoſitum cinnam. aniſor. aloës, &c. ſi horum eſſentiam ſimiliter præpares.

Sed præ cœteris extat *balſami vitæ* deſcriptio apud varios auctores tanquàm magnum arcanum celebrati, quæ ſequens eſt.

℞. *Myrrh. Aloës ep. thuris, balſami peruviani, bdelij, gummi ammoniaci, ſarcocollæ, maſtichis, gummi arabici, ſtyracis, laudani, bacc. lauri, & aſſungiæ caſtorei an.* ℨvj. *croci* ℨjß. *nucis myriſticæ, cinnam. caryophyll, gumm. anime, Zedoariæ, galang, ſpicæ romanæ, cardamomi, & cubebarum an.* ℈ij. *pulveriza omnia, & digere cum vini ſpiritu defæcatiſſimo, qui emineat digito uno, 24. horarum ſpatio, vaſe opt. clauſo. Deindè deſtilla in cineribus per retortam vitream igne lentiſſimo, liquori extracto add. ol. ſampſ. camomill. puleg. hyſſop. ſalviæ, ruthæ, ſpicæ, & lavendulæ an.* ℨj. *thymi, ſatureiæ, cubebar. Zedoariæ, nucis myriſticæ per expreſſ. fact. an.* ℨß. *cinnam. caryophyll. roſ. citri, aurantior. fæniculi, aniſor. & carui an.* ℨij. *m. & digere vaſe opt. clauſo, & ſerva.*

Verùm quamvis balſamum hoc ſit inſigne cordiale, & ad multos affectus cordis, capitis, ventriculi, & uteri commendetur, & illius uſus ſit tàm internus, quàm externus; valdè tamen ejus eſt operoſa compoſitio. Nos verò ſimplici aliquâ eſſentiâ ſuprà deſcripta utimur: nam non multiplicitas miſcibilium, ſed eſſentiarum ſimpliciſſima homogeneitas balſamicas, aliaſque medicamentoſas perficit virtutes.

Art. Decimus Quartus.

De Anodynis.

Anodyna ea appellantur pharmaca, quæ dolores, angores, alioſ-

alioſque humanæ vitæ cruciatus ſedare, & pacare valent, idque non per moleſtantia cauſæ (ad cujus præſentiam vita p. n. tumultuatur) ablationem, ſed quia ſenſum veluti obſtupefaciunt, ſoporem inducendo, à quo mala ferè omnia ſedantur, juxta illud *Senecæ* in Hercule furente.

Tuque ò domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.

Pacamur nàmque quando in eo quod anxiæ multæ ſollicitudines, melancholiæ, aliæque animi paſſiones, dormitione tollantur. Proficuo nàmq; compertum habemus eventu morbos omnes ex Archeali idea partos in noſtrâ vitâ, ſedativis admiſtratis tantùm medelis, curatos fuiſſe, ut præ cæteris uteri varios furores, aſthmaticos affectus, viſcerum dolores, aliaque alia ſimilia mala ab ideâ tantum in vitâ, conceptâ producta, conſopientis archeum medicamenti beneficio confeſtim profligatos ipſe docuit eventus.

Multæ autem adſunt apud diverſos auctores anodynorum deſcriptiones, & quidèm primò *Paracelſ. lib. 7. Archidox.* ubi de ſpecificis agit, ita *ſpecificum anodynum* deſcribit.

℞. Opij Thebaici ℥j. ſucci pomor. aurantiorum, cydoniorum, an. ℥vj. cinnam. caryophyll. an. ℥ß. contuſa per quam opt. ſimul omnia, miſtaque ponantur in vitrum cum ſuo coopertorio cæco, digerantur in ſole, vel in fimo per menſem, poſtmodùm exprimantur, & imponantur iterum cum ſequentibus. ℞. Moſchi ℈ß. ambræ ℈iv. croci ℥ß. ſucci corall. & magiſterij perlarum an. ℈jß. commiſce, poſtquam digeſtionem eorum menſe factam, adde quintæ eſſentiæ auri ℈jß. quâ permixtâ cœteris anodynum ſpecificum erit ad auferendum quoſcumque dolores internos, & externos, ut nullum torqueatur, vel corripiatur membrum ulteriùs.

Verùm licèt hoc ſpecificum anodynum ſit maximum medicamentum ſedativum, ſummiſque virtutibus, tamen valdè operoſa eſt ejus operatio, & admodum difficilis ob ſucci coralliorum, & quintæ eſſentiæ auri defectum, tamen extant aliæ anodynorum præparationes faciliore opere, & labore factibiles apud varios auctores, præſertim apud *Libavium, Crollium, Quercetanum, Beguinum, Poterium,* & alios; præ cœteris tamen celebratur ſequens *Laudani opiati*, ſeu *Nepenthes* deſcriptio.

℞. Opij Thebaici q. v. ſcinde in particulas, ſeu bracteolas parvas, & tenues, & in patinâ vitreâ, vel argenteâ igne lento arenæ, vel cinerum exſicca tantiſper, donec ſpontè ſuâ, & cum digitis in pulverem comminui poſſit. Nàm exhalabit ſenſim ſulphur quoddam vaporoſum, fætidum, in quo omnis vis narcotica, & obſtupefactiva conſiſtit. In quo perficiendo, cave, nè vaporoſum illud opij gas inſpires, nam lædit cerebrum. Deindè extrahe cum aceto deſtillato, vel ſucco limon. depurato ab opio hoc ità correpto tincturam ſuperfundendo ad eminentiam v. vel vi. digitorum, digerendo mediocri calore, donec affuſus liquor tinctus ſit rubini, vel granati ad inſtar; ſepara tinctum liquorem per decantationem, & ſerva, & rurſus reſiduo magmati novum liquorem affunde, digere, decanta, & ſerva, iterando affuſionem, digeſtionem, & decantationem tincti liquoris clari ſupra reſiduas opij fæces toties, quoties acidus liquor tinctus apparebit rubeo colore, nam ſi croceus erit extractæ tincturæ color, quem

poſt rubeæ ſeparationem extrahes, ne miſceas illam cum reliquâ tincturâ; quia crocea nullius eſt efficaciæ, tincturam verò rubicundam, & claram alembico vitreo imponas calore B. ad evaporationem aceti, donec reſidua tinctura mellis conſiſtentiam acquirat. Deinde ♃. *Hujus extracti opij* ℨ ij. *Magiſterij, vel ſalis coralliorum, & perlarum an.* ℨ j. *extracti crocei cum ſpiritu vini facti* ℨ iv. *m. omnia diligenter, & ſerva. Cui addi poſſunt aliquot gut. ol. caryophyll. & cinnam., vel parum moſchi, vel ambræ, &c.*

Hoc laudanum eſt penè inculpabile, & multis virtutibus præditum, & quidem dolores omnes ſedat, fluxiones ferè ſiſtit, ardoremque conſumit, ſomnum inducendo, naturam confortat, &c. unde in delirio, phrenitide, febribus, pleuritide, vomitu, arthritide, uteri ſuffocatione, &c. ſummo cum juvamine poteſt exhiberi. Doſis eſt à gr. ij. ad iij.

Advertendum tamen eſt in uſu Nepenthes, aliorumque narcoticorum, quòd multa ſunt quæ illa non admittunt, vires nempè infirmæ, corpus impurum, humorum craſſities, & naturæ motus. Vires imbecilles ſemper prohibent, motus naturæ non ſemper, nam cum immodicus hic eſt, ità ut non poſſit coërceri niſi opiatis, tunc opiata ſunt cautè, & in parva doſi offerenda. Nec ſolus naturæ motus præſens opiata prohibet, ſed etiam imminens, quapropter cum dolor capitis ſignum ſit immenentis criſis, tunc non debet opiatis tolli. Quòd ſi urgentiſſimus ſit, ita ut ſyncopes inducat, nec alia remedia, vel, extra vel intra adhibita ſuccurrant, tunc ad opiata neceſſariò recurrendum eſt, ſed in pauca doſi ſunt uſurpanda in hoc caſu, & admiſta aliis medicamentis, quæ quodammodò reſpiciant ad naturæ motum, & hoc non ſolum quia ad quod magis urget eſt reſpiciendum, ſed etiam quia non ſemper immenentis criſis certi ſumus.

Corporis impuritas, & humorum craſſities, cum dolor maximè urget, opiatorum uſum fortaſsè admittit, nam opium non tantùm coagulando operatur, ſubtiles partes incraſſando, ac denſando furentes, ſed efferatos icores figit, refrigeratque, mordaces ſuccos temperat, ac mitigat, partes etiam munit, præſertim præcipuas, poros illarum claudendo, & minus obvios reddendo cauſis dolorificis, ſpiritus vitales, & animales figit, nervos illis minus obvios reddit, & ſenſum minuit, ita ut impetum, & inſultum vaporum malignorum, qui illis inſidiantur, ſpernant.

Adde, quòd opiata cum ſulphurea ſint, pollent vi quadam Diaphoretica, & Sudorifica, qua humiditates morbificas expellere valent, unde ad cauſam doloris etiam reſpiciunt. Meritò igitur cardiacis, & præſertim theriacæ admiſcentur narcotica, ut diaphoreticorum ſimplicium vim acuant, & non ut vulgò putatur tantùm, nè evaneſcere faciant illorum vires, quæ volatiles ſunt, & facilè exhalabiles.

Ex his collige, quòd opiata prudenter adminiſtrata, non ſolùm dolorem, & doloris cauſam abſcindunt, verùm etiam recreant, & tuentur omnes corporis partes præcipuas, præſertim cor, & uterum, & interdum

dum ſulphureos ſpiritus fixando, & occaſionalem materiam mitigando, febrium ardores ſolantur, unde epilepſiæ, melancholiæ, maniæ, vulvæ ſtrangulationi, delirio, hæmorrhagiæ, fluoribus ventris dyſentericis, hepaticis, lientericis, & ſimilibus, colicæ, dolori nephritico, & innumeris aliis p. n. affectibus occurrunt. Quâ de re non mirùm eſt, ſi apud Græcos, & Arabes innumeræ opiatorum deſcriptiones inveniantur ſpecioſis decoratæ titulis, & prædicatas ferè adverſari ipſas omnibus p. n. affectibus, & medicinæ Monarcha *Paracelſus*, qui meritò appellatur, opiatis pilul. neſcio, an ex minerali-libus, an verò ex vegetabilibus confectis, quæ ſecum ſemper ferre ſolebat, mira efficere valuit, ut ejus hoſtes etiam teſtantur. Sed quantùm opiata ritè adhibita proſunt, tantùm obſunt malè adminiſtrata, ut paſſim obſervare eſt in vulgaribus medicis, qui opiatis non paucos ægros jugulant. Non ſolùm medicus reſpicere debet in opiatis exhibendis, effectus, vires &c. ſed quàm maximè advertere ad illorum reparationem, neque ipſis uti, niſi à ſemetipſo, vel à perito artifice præparatis, neque fidem adhibere ſeplaſiariis, maximè in Nepenthes confectione. Undè melius eſt, ſi Nepenthe legitimè adminiſtrato caret, ut confugiat ad philonium, requiem Nic. pilul. de cynogloſ. & cœteras in officinis uſitatas compoſitiones. Sint narcotica ritè correcta, & vetuſtatem ſapiant; nihil enim tàm benè illa corrigit quàm vetuſtas. Nepenthes Hyoſcyamo careat, & non veniat in uſum, niſi tranſacto longo tempore à compoſitione; longo enim tempore opium cum adſtringentibus probè miſcetur, fermentatur, pravitatem amittit, compeſcuntur, & obtunduntur nimiùm ſubtiles illius ſpiritus, ligantur, coguntur, & exhalant, à quibus omnis noxa; hi enim intimiora viſcerum penetralia mirùm in modum, & plùs juſto invadunt. Spiritus, & ſenſus tenebricoſa caligine obnebulant, obtenebrantque. Corrigentia poſuimus in nepenthes deſcriptionibus. Hic tantùm ſciatis nil tàm Opium poſſe corrigere, quam crocus; crocus enim facultate, qua ebrietati reſiſtit, & crapulæ, opium etiam corrigit, & ſimilitudine illius ſpiritibus unitur. Quæ adduntur pretioſa, ut Bezoar lapis, aurum, ambra, &c. ab aliquibus, partim ſuperflua ſunt, partim inutilia, & parùm fortaſſe noxia. Veteres etiam, & recentiores aliqui timentes opij frigiditatem ignea corrigentia adhibent, & ſic opium, quod calidiſſimum ipſorummet regulis, calidiſſimis corrigunt. Nos, ſi ſimpliciſſimum laudanum parare velimus, illud efficere poterimus ex ſola opij, & croci tinctura, corallino pulv. vel magiſterio addito, & guttulis aliquot olei ſulph. ad fermentationem juvandam, & opij ſpiritus nimiùm ſubtiles figendos.

Non leve litigium circa opij craſſim intercedit. Alij ſenſuum externorum, guſtus, & palati arbitrio ducti, calidum ob amaritudinem dixêre. Nonnulli ob ſtuporem, difficultatem anhelandi, ac nonnunquam ſuffocationes, quas ſpiritus denſando invehit opium, frigidum in

in ſummo dijudicavêre, & quaſi cum cicuta ſymmetriam habere crediderunt ob ſtuporem, & animalis facultatis omnimodam interceptionem. Alij verò hinc inde aſpicientes rationes utrique ſuffragantes, inter utramque mediam ſtatuêre ſententiam, neque calidum, neque frigidum pronunciaverunt, ſed tanquam ad ignorantiæ aſylum, ad qualitates occultas, & ad formas à tota ſubſtantia confugêre. Frigidum dixêre, quia calidis corrigitur, ut croco, ſed in hoc errant, non quia crocus eſt calidus opiatorum ingreditur confectionem, ſed à facultate, qua ebrietati reſiſtit, & crapulæ (ut diximus) corrigit opium. Calidum eſſe nemo ſanæ mentis eſt, qui ambigat, nam opium quoddam ſulphur inflammabile, indigeſtum, ac obſtupefactivum, quod Narcoticum vocant ſpagyricici, habet, unde verum opium facilè concipit ignem.

Hinc habes ſomni naturalis, & p. n. cauſam, nàm ſulphur eſt unum chymicorum principium, & hoc tàm in mineralibus, quàm in vegetantibus quibuſdam reperitur, quod narcoticam habet virtutem, tale eſt in opio, in Hyoſcyamo, & in aliis multis ex vegetabilibus; ex mineralibus verò in vitriolo, &c. hoc in homine eſſe probant Chymici, primò ex conſtitutione, ſecundò ex miſtione; ex conſtitutione quia extrahitur ab homine mortuo tale ſulph. ex miſtione, utitur rebus tale ſulphur habentibus, alitur enim ex herbis, leguminibus, frumentis, in quibus, vel actu eſt, vel potentia hujuſmodi ſulphur, & animalibus, quæ illis veſcuntur. Ineſſe in lactuca actu ſulphur narcoticum patet; quia cum lactuca matureſcit, ferè ut papaver ſomnum inducit, quòd non facit cum tenera eſt, quod deberet hoc magis efficere, ſi humiditate, & frigiditate id perageret. Prætereà ex frumentis, & leguminibus fermentatis liquor conficitur inebrians, & ſomnum inducens.

Cùm Narcoticum ſulphur, vel in alimentis, vel in ſanguine exiſtens exaltatur, ac cerebrum invadit, tunc pori cerebri clauduntur, ſpiritus inepti ad motum neceſſarium redduntur ob fixationem, & ſomnus oritur: ſi non admodùm ſulphur exaltatum eſt, vel ſomnus naturalis, vel qui parùm à naturali differt, generatur; Si exaltatur magis, & etiam incenditur, tunc lethargum efficit; Si ad ultimum ferè gradum exaltatio provenit, Carum gignit. Quòd ſi ſpiritus in partibus totius corporis exiſtentes figit, catalepſim facit, & hinc facilè controverſia tollitur, quæ agitat Medicos de ſomno præternaturali, qui aliquando febres acutas comitatur, nam cum febres fiant à ſulphure, ſi ſulphur illud de narcotico participat, neceſſariò ſomni præter naturales generantur; aliquando figitur; vel mercurius, vel ſal à narcotico ſulphure, & tunc affectus inſuperabiles ferè procreantur.

Ineſſe vim narcoticam in ſulphure probant Chymici, primò, ex vino, cujus ſulphurea pars narcotica eſt. Secundò, ex opio, cujus pars inflammabilis etiam eſt narcotica, qua ſeparata ab opio, opium ampliùs narcoticum non eſt.

Hinc collige cauſam effectuum ſopo-

ſoporoſorum à vulgaribus Medicis aſſignatam, ſcilicet humorem pituitoſum, vel aquoſum in cerebro præternaturaliter contentum; qui ſi in copiâ non admodùm magnâ copuletur, & cerebri ſubſtantiam irroret, ac refrigeret, illiuſque meatus inſenſibiles obturet, comatoſum affectum generat, quòd ſi putredinem concipiat, ſive in tumorem ſit collectus, ſive per totam cerebri ſubſtantiam diſpergatur, lethargum efficit; ſi in magna copia, & imbibitur à tota cerebri ſubſtantia, carum producit, falſiſſimam, & alienàm à veritate eſſe, probatur

Primò, Pituitoſus humor in multis catarrhoſis maximè abundat, qui tamen his affectibus non corripiuntur. 2. Quia hydrocephalo affecti, quorum cerebrum totum aqua aſperſum eſt, neque comatoſi, neque lethargici ſunt. 3. Sectionibus compertum eſt quàm plurimorum cerebrum pituita, & aqua fuiſſe aſperſum, qui tamen nunquam ſomnum præternaturalem habuerunt. 4. Quia multi incidunt in hos affectus ex vini generoſi nimio potu, qui conſequenter in cerebro vini vapores, calidos, & ſiccos habent. Prætereà frigidæ regionis incolæ ſcatent excrementis pituitoſis quamplurimis, & tamen in hos affectus incidunt, non aliter ac alij, qui in aliis regionibus habitant, cum deberent, vel perpetuò, vel ſæpè hæc pati: igitur ſomnus præternaturalis, neque frigoris, neque humiditatis ſoboles eſt, quia multoties, quorum cerebrum ſummoperè calet, & lingua ſiccatur, hi obſervantur prædictis ſoporoſis affectibus obnoxij.

Art. Decimus Quintus.

De Aceto Deſtillato.

Menſtruum multorum vegetabilium, ſicut & mineralium eſt acetum deſtillatum, nam ſæpè eo utimur præſertim ad extrahendas eorum tincturas, ut diximus ſupra cum de opij extracto egimus pro præparatione laudani ſuperiùs deſcripti, quod itâ paramus.

℞. *Acetum generoſum, imponas Alembico vitreo, (cave namque ab æneo, nam ſpiritus aceti, cum corrodat, mutatur attactu ejus) & deſtilla; nàm primò egreditur phlegma, quod ſepara, deindè mediocri igne proſequere deſtillationem uſque ad ultimos ſpiritus, & ſerva.*

Parant etiam Chymici *acetum radicatum*, quod nihil aliud eſt, niſi acetum deſtillatum, & cum proprio ſuo ſale in fæcibus reſiduo conjunctum, toties deſtillando illud à ſale, donec ſal ſimul cum ſpiritu volatilizetur, ita verò paratur.

Deſtillato aceti ſpiritus uſque quò fæces in fundo Alembici reſiduæ ad mellis conſiſtentiam redigantur. Deinde extrahe ſal ſuperfundendo aquam communem fæcibus ad ſupereminentiam 4. digitorum, & digere per biduum in calore B. deinde filtra, & ad tertiam partem evapora, deinde pone in loco frigido, ut cryſtallos producat, quas recipe, & iterum evapora aquam reſiduam ad tertiam, ut cryſtallos iterum reddat uſquè ad ultimam aquæ evaporationem. Cryſtallos exſicca, deindè acetum pluries deſtillatum, & ab omni phlegmate liberatum cryſtallis ſuperfunde, itâ ut lib. j. cryſtallorum addantur IV. aceti. Deinde lento igne rectificetur acetum, & à phleg-

mate inutili liberetur; Urge poſteà ignem, mutato recipiente, & toties acetum à ſale fixo deſtilla, donec totum per Alembicum aſcendat.

Hujuſmodi radicatum acetum valet ad duriſſimos lapides, corallia, uniones, ac mineralia ſolvenda pro variis magiſteriis conficiendis, ut ſequenti libro dicemus.

Parant alij breviùs acetum radicatum, ſive alkalizatum, ſæpè cohobando acetum ſupra reſiduas ſuas fæces, & ſingulis vicibus urgendo ignem uſque ad retortæ candorem. Cohobatio autem fieri poteſt uſque ad quartam, vel quintam deſtillationem. Separandum eſt etiam phlegma, quod primò deſtillat.

Art. Decimus Sextus.

De Spiritu Vini.

DEſtillatur etiam vinum non ſecus, ac etiam acetum ſolet deſtillari, cum hac tamen differentia, ut in deſtillatione vini, ſpiritus primò aſcendit, deinde phlegma: in aceti verò deſtillatione è contra, phlegma priùs deſtillat, deinde ſpiritus, paratur autem ſequenti methodo.

Digere vinum ſpirituoſum in fimo per 8. dies, vaſe benè clauſo, deinde illud affunde in cucurbitas altas, vel in matracium, quibus ſuperpone alembicum roſtratum, juncturis benè clauſis, deindè lento igne deſtilla, ut artis eſt. Exibit primò ſpiritus nimis volatilis, æthereus, qui lentiſſimo igne erit deſtillandus, & refrigerando, ſæpè imponendo petias aquâ frigidâ madidas ſupra alembicum. Nàm ſubtilis hic ſpiritus eſt vini eſſentia, ſapitque vini ſpecificum ſaporem, & odorem.

Poteris etiam ad majorem vini ſpiritus perfectionem comparandam obſtruere aliquantiſper, molliter tamen, matracij os, ut ſcilicèt tranſeundo per goſſipium ſpiritus, phlegma deponat in goſſipio, undè purior evadat. Cum phlegma deſtillare incipit, amove recipiens, nàm eſt ignavum, & inutile. Urge phlegma uſque ad mellis liquidi ſpiſſitudinem, dando ignem per gradus, & accipies oleum pingue. Ex capite mortuo ſal elicies. Si præſtantiorem vini ſpiritum deſideras, rectifica eum ſæpiùs, repetitis deſtillationibus, donec phlegma deponat, eritque totus cremabilis, ſulphureus, & volatilis, ſic habebis ſpiritum generoſiſſimum, & verum alkohol, ſine omni aquoſitate, tenue admodùm, & fugax, cujus guttula effuſa, terram non attingit, ſed evaneſcit in aërem. Sed dignum hic conſideratione videtur, cur vini ſpiritus ſit inſlammabilis, aceti verò nequaquam? Ob id evenire liquet, quia vini ſpiritus abundat ſubſtantia ætherea, ſulphurea, & ſale volatili: aceti verò per ſecundam, & ulteriorem fermentationem in vino factam, ſal volatilis, fixus evaſit; undè clarè conſpicitur priùs phlegma aſcendere, deinde ſpiritum, etenim ſi aceti ſal volatilis eſſet, æthereæque ſubſtantiæ particeps, vel quolibet motu agitatus ab inutili phlegmate, intra quod cohibetur, ſtatim liberaretur, ut in vini ſpiritu experimur; quòd cum non eveniat in aceto, manifeſtum erit ſalem fixum continere, ſubſtantiæ magis craſſæ affinem, quod & multo indiget motu, ut aſcendat, atque ut priùs phlegma ſepa-

ſeparetur, intra quod tenaciùs hæreſcit, ejuſque aſcenſum impedit. Præterea vini ſpiritus nihil, vel parum tincturæ è mineralibus elicit, contra verò aceti: quod niſi ipſius ſal eſſet maximè fixum, ſicut in cæteris menſtruis, ut propterea poſſet in metallorum particulas potentiùs agere, & ſe intrudere, id non eveniret, ut diſcurrenti manifeſtum eſſe poteſt. Hunc vini ſpiritum variis ſpecioſis nominibus decoravere ſpagyrici, nam dicitur aqua vitæ, aqua ardens, ſulphur cæleſte, menſtruum cæleſte, cælum *Lullij*, claves Philoſophorum, &c.

Poteſt etiam deſtillari vinum abſque præcedenti digeſtione; adminiſtratur verò digeſtio, dum vinum eſt recens, & adhuc non benè fermentatum in doliis. Debetque ſpiritus elici à vino bono, odorato, meraco, non autem, ut vulgò ſolent, à vappâ, aut ab eo, quod jam corrumpi incipi (vulgò *sbulluto*) ſpiritum deſtillare mercatores, ut ſumptibus parcant; nam talis vini ſpiritus minimè debet tanquam vini eſſentia ægris interiùs propinari cum cordialibus confectionibus, ſyr. &c. ſed tantùm eo uti poterimus, tùm ad externas unctiones, tùm ad alios externos uſus, tùm etiam tanquam menſtruum ad varias tincturas, &c. è corporibus eliciendas.

Hic ſpiritus, ſive vini eſſentia eſt ſummè cordialis, unde cordis tremori, ſive palpitationi ex cauſa flatulenta confert, ſpiritus namque vitales recreat, ſtomachum roborat, cruditates digerit, flatus expellit, præſervat à putredine, acuit ſenſus: ſed obeſis, & illis qui frigidum nacti ſunt temperamentum, ut vulgò ajunt, propinandus eſt moderatè; nàm immoderatè multos pravos gignit affectus, inflammat enim ſpiritus, ignis ad inſtar corpora exſiccat, & ut uno abſolvam verbo: ab immoderato ſpiritus vini uſu multi interierunt, unde potiùs meretur dici aqua mortis, quàm vitæ. Nocet biliosis temperaturis, epati, & renibus. Hydropem gignit, & phthiſim. Obeſt apoplecticis, epilecticis, & pueris. Extrinſecè ad ophthalmiam, dolores ex causâ frigidâ, ad caſum, & percuſſionem valet.

Eryſipelatis ſummum eſt remedium; eryſipelate itàque incipiente, ter, vel quater in die, partem in quâ apparuerit, ſpiritu vini omni phlegmate privato, & omninò cremabili irrora, idque fiat per tres dies; nam ſi eryſipelatis materia fermentalis facta non eſt, eo ſpatio cura perfecta eſt, & quarta die æger erit immunis à febre. Vini enim ſpiritus partium ſpermaticarum, & continentium amiciſſimus eſt, earumque robur multùm adauget, profundiſſimè penetrat, poros aperit, & materiam eryſipelatis reſoluit. Si quis vini ſpiritum exhorreat, ex eo quia calidus exiſtimemur, hic ſciat, quòd tantùm abeſt, ut vini ſpiritus excalfaciat, ut intensè refrigere, quem experietur, ſi media æſtate vini ſpiritus totus cremabilis, ſine ullo phlegmate ſuper propriam carnem aſpergatur, frigidiorem enim illam ſentiet, quàm ſi à glacie tangeretur.

Non ſolùm ex vino ſpiritus ardens elicitur, verum etiam ex *cerasis, fragis, bacc. Juniperi &c.* ardentes

N 2 ſpi-

ſpiritus mediante fermentatione, & reiterata rectificatione facilè parantur. Ut etiam ex roſis, aliiſque herbis, & floribus per fermentationem, reiteratamque deſtillationem, & rectificationem ardentes ſpiritus elici poſſunt.

Non abs re nobis annectere videtur modum conficiendi medicamenta ſolutiva, quæ ſpagyrici clarificata vocant, vulgò *purgantia deſtillata*, & certum eſt, potiones clarificatas pulchrum nanciſci colorem, & faciliori negotio ægrotis delicatulis, infantibus, & his quibus ventriculus nauſeat premitur, & qui ſolo aſpectu medicamentorum odorem perhorreſcunt propinari, quàm amari calices, quos medicorum vulgus omnibus indifferenter languentibus propinant; nam clarificata purgantia, adeò guſtui, palatovè grata redduntur, ut ipſis languentibus in deliciis ſint, modus talis eſt pro *manna potabili* clarificata.

℞. Tart. opt. pulver. ℥vj. bull. in aquæ borag. lib. j. ad medietatis conſumptionem coletur, & in colatura infunda per noctem fol. ſen. or. s. s. mund. ℥ß. & mane facta levi ebullitione, coletur, & diſſoluantur in ea mannæ elect. Calabrenſis ℥iv. clarificetur cum albumine ovi, & trahiciatur per manicam Hippocratis. Si libet addatur aqua cinnam. vel flor. namph.

Aliqui addunt ſucci limonum, vel citri portionem, ut potio acida reddatur ad guſtatus oblectamentum; alij in odoratûs gratiam addunt aquam flor. citri, vel aurantiorum, &c.

Potio hæc actu etiam frigida dari poteſt, nec ob id ejus minuitur operatio. Poteſt loco aquæ Borag. quælibet alia aqua ſuſtitui, prout diverſi expoſcunt morbi. Poteſt etiam ex leniente fieri purgans, addita rhabarb. agarici, Jalap. aut alterius medicaminis infuſione, nec non ingredientium omnium.

Hac methodo omnes potiones ſolutivæ parari poſſunt, & loco mannæ addere infuſ. roſ. ſolut. ſyrapia ſolutiva confect. & electuaria ſolutiva, &c. conveniente doſi, clarificando cum ovi albumine, & trahiciendo per manicam Hippocratis.

Doſis pro varia ægrorum natura ad libitum variari poteſt.

Sed ad noſtrum vini ſpiritum redeamus, ex quo recentiores varios concinnant julepos, ac ſæpeſæpiùs cordialibus remediis admiſtos ægris propinare ſolent.

Et quidem primò puru... ex eo *Julepum vitalem*, tàm *ſimplicem*, quàm compoſitum parant. Et primò quidem vitalis ſimplicis deſcriptio hæc eſt.

℞. Sacch. opt. ad ſyrup. conſiſtentiam cocti lib. j. aquæ vitæ, & roſaceæ an. ℥viij. m. amoto priùs ab igne ſacch. & ut penè refrigereſcere incipiat. Nam ſi dum nimis calet ſaccharum, vini ſpiritum ei miſceas, abit caloris nimij impatiens in auras, & nullius, vel parvæ virtutis erit Julepus.

Alij pro Julepo vitali ſimplici conficiendo, accipiunt ſacch. clarificatum cum aq. roſ. ad lib. j. cui miſcent ſpiritus vini ℥ij. vel etiam ſpiritus ardentis pomorum adoratorum.

Uſus ejus eſt in tuſſi, catarrho, aliis pectoris, & capitis catarrhoſis affectibus.

Conficiunt etiam alij. *Julepum vitalem compoſitum*, ut,

℞. *Sacch.*

℞. Sacch. q. v. coque ad ſyrup. conſiſtentiam, & in ipſius lib. j. adhuc calentem injice cinnam. pulveriſati ℥j. ſantal. rubr. & citrin. an. ʒj. ligni aloës ℈j. ambræ griſæ gr. vi. ſpiritus vini opt. & aquæ pomorum redolentium an. ℥v. aufer vas ſtatim ab igne, & opt. claude, & digere extra ignem, donec liquor ſponte refrigeſcat, à fæcibus poſteà illum libera, & ſerva.

Paratur etiam aliquando ſolo cum cinnam. aliquando cum muſcho, vel ambra, &c.

Doſis ℥j. vel ij. cum conveniente liquore, vel etiam abſolutè.

Conficiunt etiam cum vini ſpiritu *oleum ſacchari* vel ſimplex, vel compoſitum, ut,

℞. Aq. ardentis ℥ iv. cinnam. contuſ. ℥ß. vaſe vitreo opt. clauſo digere, liquorem decanta, & pone in patina vitrea ampla, & adde ſacch. albiſſ. pulver. ℥ ij. candela, vel charta ſpiritu vini madefacta, accende tincturam, & ſpatula lignea, vel argentea continuò materiam agita, donec ignis extinguatur.

Poteris pari modo parare oleum ex ſantalis, caryophyll. ambra, moſcho, &c. ſicut etiam abſque ulla tinctura ſolo vini ſpiritu ſacchari ol. conficies. Pro ſaccharo poteris etiam uti melle.

Si cupis liquorem ſpirituoſiorem, non ſinas totum vini ſpiritum comburi, & exhalare, ſed antequàm totus abſumatur, flammam extingue.

Uſus. Eſt ſuaviſſimi ſaporis, corroborat, & in tuſſi eliminanda, modò febris abſit, egregiè prodeſt: Expectorationem promovet, & aſthmaticos juvat. Raucedini confert, &c.

Alius etiam *ſacchar liquor* abſque vini ſpiritu elici poteſt.

℞. Ovum j. vel plura, indura media elixatione, deinde à corticibus munda, ac in duas partes æquales divide, aufer vitellum, & vacuum imple ſacch. candidiſſimo, filo circumligatum ovum claude, & pone inter duas patinas in cella vinaria, vel alio loco humido. Ovum poſtea aperi, & liquorem in phialâ ſerva.

Valet ad ophthalmiam, & multos alios oculi affectus, ſicut etiam faucium, oris, &c.

Art. Decimus Septimus.

De variis Vegetabilium Decoctionibus.

SÆpè ad contumaciores morbos profligandos decoctis utimur, quorum uſus apud omnes Medicos communis eſt, eò, ut multorum morborum curationes non niſi decoctis committant.

Communis verò ſenſus ſcholaſticorum eſt, decocta habere vim exſiccantem, atque adeò ad exſiccandos multos ab eis fictos humores propinari aſſerunt. Verùm nos non adducimur, ut credamus unciam cujuſcumq; exſiccantis vegetabilis, quinque, aut ſex aliis aquæ unciis immiſtam, quæ valent ut quinque humectare, exſiccare poſſe, cum *ſiccitas* ex *Ariſtotele: nihil aliud ſit, quam humidi defectus*, ac ipſo naturæ lumine conſtat, exſiccationem perfici per humidi evaporationem à calore factam; non igitur video quomodò in quinque vel ſex aquæ unciarum exhibitione ſiccatio fieri poſſit, quin potiùs contrarium, ſcilicet humectatio ſuccedat.

Verùm pro hujus rei intelligentiâ juxta noſtra principia dicendum, decocta propriè non exſiccare, cum ſic-

ſiccitas non ſit qualitas poſitiva, neque poſito quòd haberent vim exſiccandi, ideo morbos curare valerent, cum non ſimplex humiditas, cui ſupponitur contraria ſiccitas, ſed humorum degeneratio à naturali ſtatu, ut plurimùm ſimiles morbos gignit. Præterquamquòd ſemper cum ægri maximo propinarentur damno, quia non minùs excrementitium, quàm nutrimentitium humidum ſua ſiccitate reſolverent decocta; tùm quia non eſſet major ratio, cur unum potiùs, quàm alterum reſolverent, exſiccarentque tùm etiam quia non adeſt in noſtris viſceribus ſedulus ſeparator aliquis, qui ad medicamenti exſiccantis nutum excrementitium à nutrimentitio ſequeſtret, illudque ſubjiciat, exponatque medicamento, ut illud tantùm exſiccet, inſonte remanente.

Meliùs inquam dicendum juxta noſtra principia, & lumine naturæ ducti, quòd ſicuti omnis corporum actio pendet ab intrinſeca eorum eſſentia, ſeu ſpiritu ſeminali conſtitutivo eorum, qui ludens in vegetabilibus, præſertim ſub forma ſalis eſſentialis; ita decocta agere virtute hujus ſpiritus, ſive ſalis eſſentialis ſoluti in aqua decoctionis. Undè decocta diureticam, vel diaphoreticam habent vim, quatenus ſal illud eſſentiale, aliud excrementitium ſanguini innatans, corrigit, reſoluit, à quo ut plurimùm retento multi generantur morbi chronici, qui ut curentur, decocta expoſcunt.

Quam ſententiam confirmat primò eventus; nàm obſervabis decoctiones eandem vim retinere, quam ea ſimplicia, ex quibus parantur, habent, unde ex ſimplicibus purgantibus purgans, ex anodynis anodynum, ex aromaticis aromaticum decoctum paratur: Idque non ex aliâ ratione, niſi quia ſal eſſentiale ſpecificum ſimplicium migravit in aquam, media maceratione, digeſtione, & ebullitione, quam veluti ſeminali virtute illud idem operandi, ac ſimplicia perficiunt, impraegnavit. Argumentum eſt igitur evidens, non reſollaceam vim, ſed ſubſtantiales virtutes aquæ transfuſas à ſimplicibus in decoctis agere.

Secundò id confirmat, quia præter decocta purgantia, omnia ferè alia, vel per diaphereſim, vel per urinæ vias reſolvunt: ergò quatenus habent ſal eſſentiale, quod vel diaphoreticum, vel diureticum eſt. Idque non quia ſimplicem humorem per illas vias reſoluit, ſed quia ſal omne excrementitium a ſanguine, & viſceribus deturbat, quod ut commodiùs expellat natura id ſimul cum humido, à quo reſolvitur, ejicit, vel per ſudores, vel per urinam.

Confirmatur igitur ex hoc: vim omnem, & facultatem decoctionum in tinctura, & ſale eſſentiali conſiſtere.

Undè habes primò, quæ clauſo vaſe, quævè aperto decoctiones fieri poſſunt; eæ enim quæ ſal fixum habent, vel non adeò volatile, fieri poſſunt aperto vaſe: quæ autem ſale volatili abundant, ſunt decoquendæ clauſo vaſe. Verùm nos ſemper laudamus decoctionibus faciendis vas clauſum ad majorem cautelam. Vaſa ſint ſemper vitrea, vel horum defectu, ſumantur terrea, ſed vitreata.

Habes

Habes ſecundò, dura, & compacta vegetabilia longam ſuſtinere coctionem; è contra verò rara, & humida, & aromata, quorum vis omnis, & facultas in ſuperficie conſiſtit, brevem, lentamque exigunt coctionem. Aliqua etiam ſolam macerationem expetunt. Nos verò plerumque utimur digeſtione per 24. horas, deindè ea ebullire ſinimus. Ad commodiorem, & faciliorem ſalium eſſentialium, ſeu tincturæ extractionem in decoctis, præſertim vulnerariis pro qualibet aquæ communis librâ admiſcemus ℥ß. ſpiritus vini alkoholizati; in nephriticis, aliiſque diureticis admiſcemus aliquantulum olei ſulph. ut aqua parumper aceſcat: ità enim potentiùs aqua agit, reſoluit, extrahitque tincturam à ſimplicibus.

Varias verò decoctionum ſpecies commenta eſt vulgarium Medicorum ſchola ſingulis partibus, & morbis accommodatas noſtri corporis, hinc cardiaca, ſtomachica, hepatica, ſplenica, cephalica, gallica, epilectica, nephritica, vulneraria decocta excogitavit, quibus veluti poſſit ſingulas partes obſidentes morbos aggredi.

Singulas autem decoctionum ſpecies hic adducere omittimus, tùm quia nimis longum eſſet eas hic percenſere; tùm etiam quia facilè eas deſcriptas reperietis apud varios Auctores.

Ea verò decocta hic afferemus, quæ ob vim, & facultatem, quam habent curandi vulnera, & ulcera, tàm interna, quàm externa, vulnerariæ potiones appellantur, quarum uſus conſuetus eſt apud Germanos, alioſque recenſiores Medicæ facultatis Profeſſores, qui non ſolùm ad vulnera, & ulcera, verùm etiam ad compluresque alios ingruentes morbos percurandos felici cum ſucceſſu utuntur; ſunt enim aliqua ſimplicia, quæ ob balſamicam virtutem vitæ noſtræ familiarem, quam habent, ſemel decocta, & epota valent ad præfata vitæ humanæ mala percuranda. Eorum multa dinumerat *Paracelſ. tract. 2. Chyrurgiæ magnæ cap. 2.* ex quorum ſex, vel pluribus decoctiones parabis ad ulcera, & vulnera. Hæc verò vulneraria ſimplicia ibidem annumerantur: *Sanicula alba, Sanicula ſylveſtris, Alchimilla, Ophiogloſſon, Trifolium, Conſolida media, Telephium, Limonium utrumque, Mumia, Sperma ceti, Terra ſigillata vera, Rhabarbarum, Buxi folia, Ariſtolochia, Agrimonia, Symphytum, Perſicaria, &c. quibus adde Rhaponticum, Santalum citrinum, & rubrum, Sampſucus, Betonica, Ebur, Cornu Cervi, & Balſamica ferè omnia vegetabilia, nec non gummoſa omnia ligna, & gummata.*

Parari etiam poſſunt ex viridibus herbis (nam ut plurimùm ſiccis ſemper utimur) vulnerariæ potiones, ſi earum ſuccus exprimatur, fermentetur, depuratuſque ægris exhibeatur.

Ad ſaporem, & odorem in hujuſmodi potionibus conciliandum poteris aromata etiam adjicere, & cum aliis vulnerariis herbis decoquere, vel etiam poſt factam decoctionem, aquæ, vel olei eſſentialis aromatici parum miſcere ad saporis, & odoris uſque gratiam.

Poteris etiam ſimul cum alimento decocta vulneraria parare, ſi carnes,

vel

vel pullos cum aquâ, vel vini ſpiritu quantùm ſufficit miſceas, & ebullire ſinas. Vel etiam gelatinas ex carnibus, cum quibus ſimplicia vulneraria decocta ſunt, conficias. Hujuſmodi autem alimenta mirum eſt quantum ad glutinanda, & cicatrizanda vulnera valeant.

Demùm adeſt alius modus adductus ab eodem *Paracelſ. cit. loco*, quo parari poſſunt vulnerariæ potiones cum vino abſque coctura, ut ſi vindemiarum tempore ſufficientem quantitatem præfatarum herbarum in muſto ad defervendum indas, ac poſt tertium menſem ſupra aliam quantitatem herbarum in alio vaſe ponas, ut vinum omnem earum virtutem inducat, quo vino uti poteris potionum vulnerariarum loco.

Formulæ autem parandi eas variæ ſunt, & pro ægri viribus, & exigentia, ut

℞. *Saniculæ, vincæperuincæ, centaureæ, betonicæ an. m.* j. *conſolidæ regalis m.* ß. *agrimoniæ m.* ij. *decoquantur in lib.* j ß. *vini opt. albi vaſe bene clauſo, vel in lib.* j ß. *aquæ fontis, cui adde ſpiritus vini alkoholizati* ℥ij. *m. f. decoct. cui admiſcere poteris aquæ, vel ol. cinnam. parum ad odorem gratum, & ſaporem conciliandum, ſufficit per tres vices.*

Vel ℞. *Ophioglosſi m.* iij. *alchimillæ m.* ij. *vincæperuincæ minoris m.* j. *periclimeni m.* j ß. *Rhabarbari* ℥ j. *Rhapontici* ℥ iij. *cinnam.* ℥ ß. *contundantur groſſo modo contundenda, vel minutim incidantur, & f. decoct. in lib.* iij. *aquæ à ſpiritu vini imprægnatæ, vel vino.*

Hæc decoctionis formula aliquantiſper ſoluit alium, poteritque exhiberi pro qualibet doſi lib. ß.

Ex quibus colligere poteris proportionalem methodum, nè dùm vulneraria decocta, verùm etiam omnia alia, quæ excogitari poſſunt, ut Venerea, nephritica, &c.

Hæ potiones vulnerariæ vim, & facultatem habent curandi vulnera, & ulcera, tàm interna, quàm externa, ut fuſiùs de Vulneribus cap. de Potionibus vulnerariis egimus.

Potiones vulnerariæ naturale temperamentum conſervant, intemperiem corrigunt, radicalem balſamum ad ſuam temperiem reducunt, & reſtituunt, celerique motu tùm per univerſum, tùm ad partem vulneratam, & ulceratam deferuntur. Sicque meritò vim, & facultatem habent curandi vulnera, & ulcera.

Hujuſmodi potiones, ut diximus, debent fieri in vaſe aliquo, cui aliquid adæquatè ſuperimponi poſſit; nàm herbis in vinum, vel in aquam projectis aliud vas ſuperimponitur, & juncturas farina tritici cum ovi albumine ſubacta illine, ut vini ſpiritus, & herbarum volatilis eſſentia nullo modo aufugere poſſit, ſed ſi in vas ſuperius aſcendat, iterum decidat. Sicque illinitis, & exſiccatis vaſorum juncturis ſupponitur ignis, qui non ſit vehemens, ſit tamen æqualis per horæ ſpatium, poſt quod ignis à vaſe ſubtrahatur, & relinquatur, ut refrigeſcat: Cum frigidum eſt, aperiatur, & per linteum decoctum vulnerarium in aliquod vas mundum percola, leni tamen herbarum expreſſione, & benè concluſum ſervetur.

ART. ULTIMUS.

De Specificis quibuſdam vegetabilium medicamentis.

EA vocant medicamenta ſpecifica Hermetici, quæ ex natura ſua alicui morbo curando tantùm ſunt appropriata, ſive alicui parti noſtri corporis, ex innata proprietate ſuæ eſſentiæ juvare ſunt dicata.

Multa autem Chymicâ arte parabilia ſpecifica deſcribit *Paracelſ. lib.7. Archidox.* ut odorata, diaphoretica, anodyna, ſtictica, &c. quorum mentionem hinc, illinc ſparſim noſtro innixi ordine in præſenti noſtro ſpagyrico labore nos facimus. Hic autem tantùm adducemus ea ſpecifica, quæ Chymica præparatione minimè egent, quæque ex vegetabilium Regno deſumuntur.

Et quidem primò à multis vegetabilium ſpecificis remediis ſedantur uterini motus, furores, &c. Et præ cœteris ad uteri ſuffocationem proficuum compertum habemus medicamen, quod deſcribit *Paracelſ. cit. loco*, quod eſt fumus corticis ficus, qui dum per vulvam intrat, morbus curatur. Valet etiam ad menſtrua provocanda abſynthij, vel Artemiſiæ ſuccus exſiccatus, & in forma pilulari pluries exhibitus. Sunt etiam quàm plurima alia remedia, quæ tum ex mineralibus, tùm ex animalibus deſumuntur, quæ ſuis locis deſcribemus.

Sic etiam habebitis ſpecificum nephriticum ex Dauci ſemine, ſi ʒj. vino opt. albo coctam exhibeatis, vel pulvere tenus.

Habebitis etiam aliud ſpecificum ad pleuritidem ex vegetabilibus, ſi flores papaveris erratici pulvere tenus ʒj. pondere in aqua cardui benedicti exhibeatis. Id efficit ſyr. vel tinctura. *Pæoniæ radix* de collo ſuſpenſa epilepſiæ obnoxios liberat. Alia ſpecifica paſſim reperietis, tùm apud varios auctores, tùm etiam ex mineralium, & animalium regnis, quæ ſuis locis dabimus.

Atque hæc ſatis ſint adducta ad explendum quicquid ad hunc librum ſpectat; nam ex his breviter adductis poterit unuſquiſque progredi ad aliorum medicaminum chymicorum è vegetabilibus præparationem. Omnes namque vegetantium eſſentias proſequi velle, non ſolum infinitum eſſet opus, verùm etiam tædij, & nullius utilitatis plenum. His igitur paucis contenti, finem huic libro imponimus. Nunc ſit

D. CAROLI
MUSITANI
IATRIAS PROFESSORIS,
PYROTECHNIÆ SOPHICÆ
LIBER QUARTUS.

De Chymicis Magiſteriis ex mineralium Regno præparabilibus.

HUc uſque igne exploratore vegetabilium Regnum percurrentes, eorum eſſentiæ medicamentoſas virtutes, ac proprietates, quas pro humanæ naturæ reparandis morbis in eis condidit rerum ille parens ineffabilis, perquiſivimus. Nunc quid in mineralibus clauſit creatrix illa benignitas immenſa inquirendum; ibi enim nè dùm inexhauſti theſauri, quibus inexplebilis humana ambitio ſuos expleat cupiditatis ardores; verùm etiam ſumma arcana à tot, tantiſque ſapientibus quæſita, & à paucis acquiſita, nec non creata illa ab Altiſſimo, malorum omnium curatrix medicina conditur. Tota nàmque Philoſophantium per ignem ſchola ſedula in mineralium perquiſitione verſata eſt, aut auri ſacra impellente fame, ut chryſopopæium ſcilicet lapidem inde peterent, aut humanæ vitæ mortiferis impellentibus ærumnis, ut reparatricem eorum medicinam

nam pararent. Mineralium igitur Regnum, & nos in hoc præſenti libro rimabimur, in eorum naturam, generationem, incrementum, & principium laborantes, & in eo quod ad medicaminum ſecretiorem ſpectat Chymicam præparationem juxta noſtrum inſtitutum, quibus ſcilicet Medicam facultatem decorare, ac perficere valeamus, ac quò ad fieri poterit ad eorum cognitionem progrediemur; non quidem per inania verboſa vulgarium ſcholaſticorum jurgia, neque per phantaſticas conjecturas; ſed impetrato ab Altiſſimo ſapientiæ lumine, qui eſt lumen luminum, & fons omnis cognitionis, & intelligentiæ, ut ſcilicet illuminemur in tenebris, in quibus univerſa naturalium rerum ſcientia jacet ſepulta. Nil aſtruentes, quod vel experientia non edocuit, vel ſenſuum exacta autopſia non confirmavit.

CAPUT I.

De Magiſteriis, quæ ex ſalibus, & ſaliformibus omnibus mineralibus educuntur.

Mineralium naturam, generationem, incrementum, ac proceſſum ad varias metamorphoſes in naturæ ſinu, ſeu in terræ viſceribus hic non tantùm, quoad fieri poterit, examinabimus; ſed etiam, quod ad praxim ſpectat, ſeu ad medicaminum præparationem per ignem perficiemus.

Verùmtamen cum mineralium innumera fere ſint genera; nam alia ſunt ſalia, alia alumina, alia vitriola, alia metalla, & hæc ſive perfecta, ſive imperfecta, alia lapides, gemmæ, &c. Hinc nos nè in tanta rerum varietate confundamur abſque ordine procedentes, agemus primò de magiſteriis, quæ ex ſalibus, & ſaliformibus omnibus parantur, idque quia, cum alia mineralia diverſam exigant ſpagyrici ignis adminiſtrationem, ac vegetabilia, & animalia, cum ut plurimùm nè dum igne actuali, verùm etiam potentiali, & fermentali indigeant, ut magiſteria ex eis parari poſſint; & cum potentialis ignis, ſive menſtrualis, ſive ſpiritus omnes fortes corrodentes ex ſalibus præcipuè educantur: hinc primò de ſalium magiſteriis agendum, deinde ad alia mineralium genera tractanda gradum faciemus, ſit igitur

ART. PRIMUS.

De Vitriolo.

Illud minerale aggredimur examinandum, quod *Paracelſ.* opinione, & ſuaſu integra medicamen-

torum officina foret conſtruenda. Dicitur *Vitriolum*, quia vitri ad inſtar lucidum eſt. Unde eò magis eſt perfectum, & nullius extranei miſtione ſuſpectum, quò magis purum, lucidum, ac de vitrea veluti diaphaneitate participat. Dicitur *Atramentum ſutorium*, quòd in inficiendis pellibus ſutores coriarij uſurpant. Dicitur *Chalcanthum*, derivatum nomen à voce græca Χαλκός, quæ æs ſignificat, nam optimum eſt, quod ex ære fit, cognoſciturque quòd cultro affricatum rubeo colore tingit.

A quibuſdam *ſal mineralis & metallorum*, ait falsò, nuncupatur, cum ſit corpus tribus conſtans principiis, ſale, ſulphure, & mercurio, & non uniforme, ut ſal; Nàm ſi vitrioli naturam, ſubſtantiam, & proprietates contemplemur, invenimus illud ætherogeneum. Quòd ex tribus Chymicorum conſtet principiis, nulla indigemus demonſtratione, cum ſole id clarius ſit; nam cuncta metalla in vitriolum reſolvuntur, & iterum in metalla verti poſſunt, patet in vitriolo Lunæ, Jovis, Veneris, &c. juxtà illud commune axioma: *Unumquodque reſolvitur in ea principia, ex quibus conſtat.* Unde ſequitur omne vitriolum eſſe metallum ſolutum, ſive ab uno, ſive à pluribus ſpiritibus acidis, & omne metallum ſolutum à ſpiritibus acidis eſſe vitriolum.

Hinc variæ ſunt ſpecies pro diverſitate minerarum, & metallorum, è quibus originem ducunt, diſcrepantes, Cæruleum, ſaphyri inſtar, præſertim cyprium, cupri, & auri ſoboles eſt: Viride martis productum: album ex argenteis mineris ortum cognoſcit; & intermiſta plura juxta metallorum ſpecies tincta, de quibus pluſvè, minuſvè participant.

Quid verò vitriolum ſit, quantum ad practicæ cognitionis complementum ſpectat, ipſamet docet Chymica experientia, ex qua patet nil aliud eſſe, niſi ſal ſulphuris embrionati ab indole metallica. Sal namque ſulphureus metalli venam lambendo, ipſum erodit, unde faceſſit vitriolum. Id docet manualis experientia in vitriolo Martis, Lunæ, Veneris, &c. Præterquàm quòd ſi optimum arte parare velis *vitriolum commune*, naturam imitando.

℞. *Æris q. v. funde, & ei ſulphur injice, donec flamma abſumpſerit. Poſtquam ità erit fuſum, & ſulphur combuſtum, confeſtim aq. pluviæ infunde, unde vireſcit: Idque toties repete, donec æs totum in aquam migraverit. Exhala tandem aquam, & vitriolum optimum habebis.*

Unde habes, quòd id quòd ante cuprum erat, ſemel à ſulphure corroſum, vitriolum producit, ex ſulphure ſalem àcquirens, & id quod ſulphur erat, cupri eroſione vitriolum fit.

Creſcit etiam pari ratione vitriolum præſtantiſſimum naturaliter in fodinis, in quibus natura ſal acidum ſulphuris, exurinum appellatum, producit, quod venam æris corrodens in vitriolum coagulatur. Dicitur hinc propterea cuperoſum. Suam verò nanciſcitur diverſitatem, juxta diverſitatem mineræ, quam erodit. Hinc omnium præſtantiſſimum Cyprium eſſe fertur ob cupri, & auri mineram, ſed plerùmque ſolent mercatores vulgare vitriolum adul-

adulterare, & pro cyprio ſupponere, quod refert *Helmont.* deſtillaviſſe, nec niſi ignavum quendam ſpiritum ex eo elicuiſſe.

Adeſt vitriolum Hungaricum, Cyprium, Venetum, Romanum cognomento, &c. Nos Veneto plerumque utimur, quod debet eſſe lucidum, ad viridem tendens colorem, & extraneæ miſtionis non ſuſpectum; nam quandoque vena plumbi ſimul cum cupri vena miſcetur, vel arſenicum, quod ſæpe ſimul cum metallis obvium eſt in fodinis (dictum ob id ſumus metallorum), hinc vitriolum, quod inde naſcitur ſæpè extraneæ malignitatis ſuſpectum eſt, ac conſequenter nocuum medendo; perfectio igitur vitrioli in puritate ſulphuris conſiſtit.

Plurimæ ſemper exiſtimationis apud Philoſophos extitit vitriolum, ceu nobile, inter cætera, minerale, quod miris Altiſſimus decoravit dotibus. Ejus arcanum variis figuris ænigmaticis adumbrarunt, ut illa eſt. *Viſitabis Interiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.* Primæ omnium literæ Vitriolum efficiunt ſimul collectæ vocum. Verum enimverò innumeris præditum eſt dotibus, ut non tantùm ex eo plurima magiſteria Chymica parentur, eò ut *Paracel. lib. de naturalib. rebus cap.* 8. aſſerat, quòd quoties vitriolum in aliam formam, & eſſentiam reducitur, toties peculiare arcanum ex eo fiat; verùm etiam abſque ulla præparatione ſpagyrica ad plurimos languentium affectus valet.

Ulcera ſordida mundificat, & carneas excreſcentias pulvere tenus abſumit. Eſt præſtans errhinum naribus inditum. Interiùs vomitiones movet. Adverſus hauſta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur, & multis aliis ſuccurrit morbis, jecoris potiſſimùm, & ventriculi.

Ex Veneris vitriolo, ſola calcinatione, ejuſdem fit pulvis Sympathicus, Sole Leonis ſignum percurrente, ad albedinem uſque eoque in pollinem redacto, cujus uſus eſt in ſanguinis fluore, ſeu hæmorrhagia, & in ſympatheticâ vulnerum ſanatione.

Inſigne medicamen ex vitriolo ad inflammationem paratur ante inceptam ſuppurationem, abſque eo quod in abſceſſum degeneret; incæpta enim ſuppuratione in abſceſſum abire neceſsè eſt: nam ſanguis coagulatus, vel grumefactus in naturæ gratiam redire non poteſt, vel reſolvi, ſed dum in pus abiit neutrum poteſt. Ut

℞. *Vitrioli com.* ℥ j. *aq. roſ. alb. vel com. lib.* ß. *fiat in ea vitrioli ſolutio, & madefactis in hac aqua vitriolata tepida linteis, inflammationem fove, nàm* 24. *hor. ſpatio inflammationem tollit.*

Eſt in vitriolo vis magna anodyna, ſpiritum ſedans, non autem refrigerans materiam coagulatam, ut cap. de Inflammatione fuſiùs dictum eſt.

Aliqui ex vitriolo concinnant *aquam arterialem* eximiis virtutibus præditam tali modo.

℞. *Aq. Plantag.* ℨij. *aq. roſ.* ℥ß. *alum. rocc. uſt.* ℨiß. *ſacch. cand. drach.* j. *vitrioli opt.* ℨiß. *Urinæ pueri ſani* ℥j. *m. omnia ſimul, & filtra per chartam emporeticam, & ſerva in vaſe vitreo benè clauſo, addendo ſpiritus vitrioli gutt.* iv.

Inſervit ad hæmorrhagiam vulnerum, tàm ex arteriis, quàm ex venis, infundens in dicta aqua petias, vel filamenta, & miraculi adinſtar ſanguis fluens cohibetur. Sicut cuilibet ſanguinis profluvio prodeſt, debito loco aquam applicando. Pro ſanguinis expuitione, doſis ℥ß. pro vice, bis in die cum aqua appropriata, vel ſyr. convenienti.

Per ſpagyricam vitriolum excruciatum innumera exhibet medicaminum genera, præcipua ſunt ſpiritus, oleum, magiſterium, ſal, &c. de quibus ſingulis vitrioli præparationibus nobis hic ſigillatim agendum.

Et quidem primò *ſpiritum, & oleum vitrioli*, ità vulgò præparare ſolent.

℞. *Vitrioli opt. q. v. ponatur in tigillo, vel olla terrea vitreata ad ignem, ut coquatur ad ſiccitatem uſque, nam primò liqueſcit, deinde ſenſim ebullitionem concipit, deinde ceſſante ebullitione ſenſim inſtar lapidis induratur. Tere in pulverem, & retortæ amplæ impone ad medietatis repletionem. Retorta opt. Sapientiæ luto loricanda eſt, nè dehiſcat, aut rimas contrahat, vel ſpontè decidat. Retortam in apto reverberij furno adapta. Eminens ejus collum amplo recipienti opt. connecte, ut nil expiret. Deſtilla tandem per gradus, & ſenſim urge ignem per horas 12. donec ſpiritus omnis deſtillabit, & fumi albi incipient in receptaculum tranſire. Tunc remove receptaculum, & aliud collo retortæ opt. adapta, & urge ignem, donec nil amplius deſtillet, & habebis ol.*

Recipiens autem collocatur in arenâ madidâ, & ſenſim ſacculum aquâ frigidâ madidum applica, quò recipientis convexa pars integatur, ut refrigeſcat, vel etiam id fieri poterit petiis aqua frigida madidis.

Alij vitriolum priùs in aquâ pluviâ ſolvunt, filtrant, & poſteà ad calcinandum, ſeu rubificandum ollæ, vel tigillo imponunt, & deinde deſtillant præfato modo, tàm ſpiritum, quàm oleum.

At quoniam nimis difficile eſt vas recipiens ſequeſtrare à collo retortæ, flagrante adhuc igne, atque adeò periculoſum eſt, ne dehiſcat, ut multoties me eventus edocuit; hinc faciliorem modum, nec non ſecuriorem, adhibere ſoleo in deſtillatione tàm ſpiritus, quàm olei vitrioli, abſque tamen vaſis ſequeſtratione, & mutatione, candente adhuc igne in medietate operationis: utor namque duplici vaſe recipiente, quorum unum in aliud expiret, quæ ſimul optimè committo, & collo retortæ applico. Ita enim in primo vaſe ſpiritus congelabitur, in ſecundo olei magnam quantitatem, in tertio demùm, vel nullum, vel pauciſſimum reperio; Atque adeò eandem proſequendo deſtillationem, habeo ſpiritum, & oleum vitrioli.

Uſus hujus ſpiritus eſt in febribus ardentibus, & malignis, præſertim ſiticuloſis cum appropriatis ſyrup. aquis, & ſimilibus vehiculis miſtus, & hauſtus, ardorem nimium temperat, & ſitim extinguit, quatenus ſal, & excrementa febrifica abſtergit, & conſumit. Eſt diureticus, diaphoreticus, incidens, attenuans, & putredini reſiſtens. Utilis eſt obſtructionibus hepatis, lienis, & meſenterij, appetitui proſtrato, &c. Nephriticis ſummoperè prodeſt expellendo calculos; arenas, & mucilagines è renibus. Tincturas è roſis, vio-

violis, & ſimilibus extrahit. Cum aqua dilutus dentes dealbat. Aphtas curat, &c.

Doſis ſunt gutt. VI. X. XII. &c. ſeu uſque ad liquoris convenientem aciditatem.

Phlegma, quod elicitur in deſtillatione ſpiritus vitrioli ophthalmiæ ſuccurrit, oris ulcuſculis medetur, & fluxiones in fauces irruentes ſiſtit. Inflammationi, & eryſipelati tutò admovetur.

Helmontius aliam tradit *vitrioli ſpiritus* inuſitatam deſtillationem, quæ *ſpiritus vitrioli eſſenſificatus*, *ſive tota eſſentia vitrioli volatilis eſt*; & ſummis, virtutibus in medicinâ præditus, cujus proceſſus talis eſt.

℞. Vitriolum commune non ſuſpectum malignitatis peregrinæ, bulliendo in olla liquefac, & coque ad ſiccitatem uſque, fracta olla, vitriolum inſtar lapidis induratum tere in pulverem, fieri autem vult ipſe deſtillationem ſex retortis vitreis ſimul opt. tamen loricatis. Optimè collum retortæ recipienti vaſi connectatur nè tantillum expiret. Deſtilla tamen præfato à nobis modo, miniſtrando prius ignem per gradus, ac tandem urgeatur carbone, quantum poſſibile eſt furno venti, qui propria crate flatur. Cùm autem furnus venti ceſſaverit ſpiritum in vas recipiens dimittere, aperiatur à latere porticus, qua via reverberium flamma lignorum ſubter retortam penetret, perſeveretque per V. aut VI. noctes ſummo igne, naturæ poſſibili. Retorta videbitur tibi forſan liquari in tanta ignis procella, at nihilominus conſtans perſeverabit: eò quod exterior lorica terrea vitrum detineat, combibatque atque ita invitrietur, quantum operi ſat fuerit. Memineris tandem, vas recipiens à collo retortæ ſequeſtrare, flagrantiſſimo adhuc igne. Alioqui videbis refrigeratis vaſis, ſpiritus redire in facem, quæ illos expuit. Tùm demùm accipe colchotar, ſive facem è deſtillatione reſiduam, quæ ſulphuri commiſta comburatur uſque in omnimodam ſulphuris conflagrationem. Hanc autem dein irrorabis, & madeſacies præfato ſpiritu. Qui uti ſtatim imbibitur in cucurbita vitrea: ita inde repetitus, nil niſi phlegma aquoſum, atque inutile reddit, remanſo ſpiritu imbito in colchotare, idque repetitim renova ſexies, aut ſepties, donec tamen ſpiritus affuſus rubeſcat, qui ſupernatabit colchotari. Quod ſignum eſt, ceſſandum à ſaturitate imbibitionis. Adeoque dives colchotar, benè exſiccatum indatur retortæ, & deſtilletur uſque in ultimos ſpiritus, jam flaveſcentes, olentes mellis grati odorem. Abſtrahe vas recipiens à retorta adhuc candente ob ſupra dictam rationem, & ſerva in vaſe opt. clauſo cum cera, vel ſimiliter obſtructo.

In quâ re plura notanda occurrunt ad ſpagyricæ artis cognitionem conducentia, & quidem

Primò, eſſenſificari vitrioli ſpiritum per iteratam imbitionem ejus ſuprà caput mortuum, & deponere inutile phlegma per attactum fixi colchotaris, & quò illud deponit, eò perfectior, bandior, puriorque evadit.

Secundò, pari ratione, medicamenta omnia Chymica ſuam nanciſci perfectionem, dum ad ſummam eſſentiæ puritatem, & ſubtilitatem deveniunt; nam ſpiritus vitrioli hoc ultimo modo deſtillatus eò eſt purus, volatilis, atque eſſenſificatus, ut ſi de uno vaſe in aliud transfundatur, ejus lib. j. ferè ℥j. deperdatur.

Tertiò, hunc vitrioli ſpiritum ſua puri-

puritate, & ſubtilitate eſſe faciliùs permeabilem, ideoque multos morbos curare, & præſertim epilepſiam, quartanam, hydropem, alioſque contumaciores affectus.

Quartò, eò medicamenta eſſe activiora, quò ſunt ſubtiliora, ac puriora; nam vulgaris vitrioli ſpiritus penè nullius eſt efficaciæ, eò quia multam impuri, & inutilis phlegmatis copiam ſecum admiſtam habet, adeoque veri ſpiritus minimè indolem retinet, ſed eſt veluti minerale acetum; præfatus verò ſpiritus ſua puritate, quatenus volatilis, ac ſalſus eſt, ita rectificatus pergere uſque in quartam digeſtionem valet, reſolvendo quæcumque excrementa morboſa in itinere obvia, & per conſequens, quatenus tollit cauſas occaſionales, plures morbos chronicos curabit, conveniente doſi in juſculis, julepis, &c.

Aliqui in vitrioli ſpiritu conficiendo, nullo adhibito delectu, ſive purum, aut impurum ſit vitriolum, homogeneum, an reliquis mineralibus inquinatum, deſtillationi ſubjiciunt, verùm totus rei cardo in eo conſiſtit, ut levi pretio talia medicamenta divendi poſſint, & vitæ, ac ſanitatis potiùs, quàm æris, fiat diſpendium. Tacemus fraudes, quæ committuntur, dùm vitriolum adulterant, alumen, & nitrum illi ſubreptitiè admiſcendo, quò majorem ſpiritus copiam eliciant, confuſumque cahos divendant. Sed non tacebimus id, quod aliqui omni Dei timore, & proximi charitate exuti, patrant, aquæ fortis ℥j. aquæ fontis ℥ ij. immiſcendo, divenduntque pro vitrioli ſpiritu. Non interim conſiderant, an ſalubris, an corroſivus, & cauſticus ſit ſpiritus. Si incurios Medicos decipere poſſint, judicet is, qui in Chymia expertus eſt. Nec mirum ſi promiſſis ſpagyrica medicamenta non reſpondeant, & nobiliſſima ars in dies vulgi ludibrio exponitur.

Ex capite mortuo paratur ſal quod vocatur etiam *ſal colchotaris*, & *ſal vitrioli*. Dicitur namque caput mortuum reſiduum à deſtillatione ſpiritus, & olei vitrioli colchotar, cujus ſal hoc pacto paratur.

℞. *Caput mortuum vitrioli, ſive vitriolum ad rubedinem uſque calcinatum, perfunde in aquam fontis calentem, digere per. 2. dies, deinde filtra, aqua adhuc calente, toties donec aqua limpida appareat. Filtratam aquam evapora ad medietatem, vel uſque quò cuticula ſupra eam appareat. Remove ab igne, ut refrigeſcat, & cryſtallos dabit, quas collige, & aquam iterùm ſupra dicto modo evapora, ut cryſtallizetur ſal, atque ita procede uſque ad ultimam aquæ evaporationem, & cryſtallizationem ſalis.*

Poteſt etiam ex vitriolo crudo hoc eodem modo ſal, ſive vitriolum vomitivum confici, ſi in aqua calida ſolvatur, filtretur, &c. ut de colchotare diximus.

Tertiò *Angelus Sala* hoc alio modo parat *Vitriolum vomitivum.*

℞. *Vitriolum romanum cæruleum q.v. reduc in pulv. & ſupra chartam in loco calido, ſive in radiis ſolaribus pone, ut probè exſiccetur. Solve illud poſtea in aqua communi, & mediis filtrationibus à facibus libera. Solutionem evapora ad tertia partis conſumptionem. Vas in locum frigidum colloca, ut creſcant cryſtalli: cryſtallos recipe, & ſolutionem iterùm evapora. Idque*

ter,

ter, vel quater repete donec omnes cryſtallos deponat.

Has, & alias ſalis vitrioli præparationes adducunt varij auctores, quæ nihil aliud ſunt, niſi vitriolum vivificatum, & purificatum, quod minimè intra corpus aſſumendum eſt; habet namque indolem ſuffocantem. Interno uſui, *vitriolum album*, deſtinatur, priùs tamen repetitis ſolutionibus probè purificatum, ut

℞. *Vitriolum album, diſſolve in aqua pluviæ, filtra, evapora ad pelliculam, relinque in frigido per dies 4. fient cryſtalli, exime, iterùm evapora, ut antea: hic labor ter reiteretur coagulando, & diſſolvendo, ultimò ter eodem modo procede cum aqua roſ. cryſtallos in parvo calore exſicca, & ſpontè in pulv. album redigentur.*

A Paracelſ. lib. de naturalibus rebus c. 8. Gryllus, ab aliis *Gilla* appellatur, eſtque lene vomitivum, quod ad multos morbos depellendos commodè uſurpatur, ut in initio febrium ferè omnium, cerebrum purgat, epilepſiæ medetur, vertigini ſuccurrit, aliiſque cerebri ſymptomatibus ex corruptis, & acribus ex ventriculo ſurſum actis vaporibus ortis. Item in pleuriſi, lipothimia à repletione humorum corruptorum, cardialgia; item in hepate, & liene obſtructis mirificè prodeſt. Lumbricos etiam enecat, proſtratumque appetitum conciliat. Purgat tàm per vomitum, quàm aliquando per inferiora.

Doſis Paracelſo eſt quantum ſex vicibus ſupra cuſpidem cultri comprehendi poteſt; aliis ℈j. nos verò uſque ad ʒj. perſpectâ ratione virium, & morbi, felici cum ſucceſſu exhibuimus.

Colchotar autem neque inutilis eſt, ſed in medicina adhuc aliquos habet uſus; pollet nàmque vi aſtringente ſticticâ, & emplaſticâ in ulceribus conſolidandis, & ſuâ vi ſticticâ adſtringente ſiſtere valet hæmorrhagiam ſanguinis, tàm in vulneribus, ſicut etiam ex naribus. Intùs verò minimè debet uſurpari, ut loco cit. inquit *Paracelſ.* nàm vomitiones movet ob vitriolicum ſal, quod in ſe continet. Quòd ſi interiùs uſurpare velis.

℞. *Caput mortuum vitrioli, vel vitriolum ipſum ad rubedinem calcinatum, & per ſolutiones varias aquæ dulcis liberæ ab omni ſuo ſale, & exſicca.*

A *Fabro terra exanimata vitrioli*, & ab aliis *corpus examine* vocatur, cujus præſtans eſt uſus in Diarrhœâ, & Dyſenteriâ. Doſis ℈j. ad ʒß.

Vitriolum ſuum habet *ſulphur*, unum *dulce*, alterum verò *anodynum*, ſeu *narcoticum*. Sulphur dulce ita paratur.

℞. *Vitrioli puri q. v. ſolve in aqua calida, ſolutioni affunde guttatim ol. tartari (alij lixivium ex cineribus clavellatis), & præcipitabitur ſulphur vitrioli, quod edulcoratum ſerva.*

Confert pulmonum affectibus, mundificat ulcera putrida, cicatriceſque inducit.

Sulphur vitrioli anodynum, ſive narcoticum ità parabis.

℞. *Limaturæ martis puriſſimæ p. j. Vitrioli Hungarici cærulei, aut vitrioli Veneris p. ij. tere, & m. omnia, poſtea in cucurbita ſuperfunde acetum deſtillatum, ut ſupereminеat dimidium digitum tranſverſum, coque, & coagula lento igne arenæ ad ſiccitatem, quo facto, urge ignem, ut omnia rubeant. Vaſis refrigeratis, mate-*

riam exime, tere, & affunde acetum deſtillatum, ut ad tres digitos ſupernatet. Quo facto, digere biduum, aut triduum; donec nempè acetum benè coloretur, quod poſtea decanta ſine fæcum perturbatione. Rurſus affunde aliud, donec omnis tinctura extracta ſit. In hoc tincto aceto delitеſcit ſulphur vitrioli combuſtibile. In acetum tinctum, & filtratum inſperge guttas aliquot ol. tart. per deliquium facti, & ſulphur narcoticum fundum petet, quod aqua communi ſæpiùs ablue, donec aqua non ampliùs acredine, aut guſtu vitrioli inficiatur, hoc n. niſi fiat propter ſalis vitrioli præſentiam nauſeam, vel etiam vomitum efficiet; poſt ipſum ſiccandum, & ad uſum ſervandum.

Anodynum eſt inſigne, & reliquis omnibus meritò anteferendum: quodque *Paracelſ.* ſummoperè commendat, & magni æſtimat. Narcoticis compoſitionibus admiſceri poteſt.

Atque his principalibus, & magis comprobatis operationibus vitrioli, hunc complemus articulum.

Alias reperietis apud alios authores, vel arbitrio commentas potiùs, quàm experientia comprobatas; vel cum hiſce à nobis adductis confundi comperietis; nunc ſit.

ART. SECUNDUS.

De Sale Communi.

SAl examinandum aggredimur, non tamen illud chymicorum principium, ſed minerale, ex tribus conflatum, ſulphure, quod ratione caliditatis, & igneæ ſubſtantiæ habet; mercurio, quem ratione humiditatis continet; Sale, de quo in ſummo participat, ratione ſiccitatis terreſtris. Triplicem in naturâ cognoſcimus ſalem, vegetantium, mineralium, & animalium, quatenus ex triplici regno elicitur. Sal commune; ſeu minerale triplicem in hoc orbe habet ortum, unum dicitur fontanum, aliud marinum, aliud uerò montanum, ſeu minerale; fontanum, & marinum arte excoquuntur, minerale verò à ſola natura mediis in montibus coctum eſt.

Ipſa obſervatio varias ſalis communis pandit proprietates; nam talis eſt ſalis neceſſitas, ut abſque ſale naturali naturaliter homo vivere nequeat: proinde hoc opus habet in omnibus cibis. Etenim ſal naturæ balſamum eſt, quòd corruptionem arcet calidi ſulphuris cum humido mercurio, ex quibus homo naturaliter eſt compactus. Cum prima principia, & quodlibet ſibi ſimili nutriri oporteat, ſequitur hominem ad ſui ſulphuris interni ſuſtentationem ardentibus uti cibariis, humidis ad mercurium tuendum, & ſalſis ad ſal in condenti facultate conſervandum. Ejus conſervationis virtus in eo maximè conſpicitur, dum carnes emortuas à putredine diutiſſimè conſervat, quantò magis vivas præſervabit, judicare facilè fuerit. Sal eſt ciborum correctio, nam ſi non intervenit, in his nulla eſt etiam correctio, quos quidem eſtò ſtomachus receperit, decoquere minimè poteſt; eſt enim in ſale expulſiva virtus in ſeceſſum, vel in urinam, quæ duo niſi conſerventur in ſuo curſu naturali, omnes vitæ facultates fruſtrantur viribus expulſionis. Sanguis natura propria ſalſus eſt, & inſulſum

non recipit nutrimentum, quod ſi quandoque recipere coactus ſit maxima quadem inedia, hoc in corruptionem abit. Ut igitur hoc vitetur vitium, ordinatum fuit alimentariis cibis ſal addititium, nè meatus naturales obſtruantur, membraque ſuis debitis fraudentur nutrimentis. Præterea latet in ſale facultas reſolutiva oppilationes in poris accidentaliter contingentes aperiendi, ac per reſolutionem in urinam expellendi; Nàm urina cum ſit ſal cruoris tantum id eſt, ſal dumtaxat ex ſale naturali, quod naturale cum ſale microcoſmico aſſociatum per conjunctionem, ſimul ambo maximè faciunt ad excrementorum expulſionem: hinc ſudor, lacrymæ, ſaliva, & quidquid ex humano corpore expulſionem recipit, ſalinam indolem redolet. Sal venerem ſtimulat, prolificumque ſemen reddit, ob id Ægyptij canes inertes ad coitum ſalſamentis,carnibuſque ſale maceratis ad Venerem alacriores reddebant, hinc Veneri dediti ſalaces dicuntur; propterea Venerem è ſale natam finxerunt Poëtæ. Balſamicam ſalis vim perpendens *Paracelſ. lib.1. de naturalib. reb. cap. 4.* docet in aquâ ſolutum vulnerum eſſe balſamum, ulcerum vermes enecare, atque à corruptione præſervare aſſerit, ac à ſcabie mundare, ſi in balneo conjiciatur ſcabioſus, eo lavetur, &c.

Sal ubique locorum ſecundum magis, & minus reperitur, & hoc ex provido naturæ conſilio; nam ex ſale, quem in ſe terra habet, ejus fertilitatem, & fæcunditatem pendere: quo orbata ſtatim ſterileſcere ſat, ſuperque diximus.

Sed hæc poſitio videtur potiùs experientia, rationi contraria: ſiquidem loca ubi ſal ſcinditur, vel effoditur, cœteræque ſalinæ ſteriliſſima ſunt, quippè ſal exurenti ſua acredine fæcunditati prorsùs reſiſtit. Imò quia ſterilitatis hyerogliphicum, ideò Principes ſolo æquatis civitatibus, quas ſæpiùs rebellatas ſub imperij ditione continere, nec poterant, nec expediebat, aratro ſuperinducto, ſale aſpergunt, ut vel ipſa tellus improborum, & facinoroſorum mater ſterileſcat, juſtæque ultionis pœnas experiatur; Itidem quemadmodum ſpeciali gratia obſecundante omni abundantia loca complentur, ità flagitiis irritata omnia calamitatibus & infortuniis agitata, tandem perpetuò concidere neceſsè erit.

Attamen huic objectioni facillimè occurrimus. Certum eſt ſalina loca infæcunda eſſe, ſed hoc quia ſal cum pluſquam nullibi copioſiùs abundet, ideò ſua præpotenti vi attractiva, qua refertus magis, magiſque pollet, germinantem, & fæcundum terræ ſalem totum in ſe attragit, & imbibit, quo orbata, ſterileſcit. Similiter Principes ſalem imitati rebellis civitatis cuncta ad ſe convertentes infæcundam, omnique ubertate denudatam derelinquunt.

Nos verò exiſtimamus experientiæ, & rationi magis conſonum videri illud nempè: ſalem eſſe principium omnis fixionis, & ſoliditatis, unde fit ſalem communem, tàm in fodinis progenitum, quàm induſtria factitium (qui mineralis etiam dici poteſt, cum aqua maritima à fodinis in ipſa ſtantibus, ſalſa reddatur)

quò plus elaboratur, eò particulis magis ſolidis, & compactis conſtare: Sal verò terræ fæcunditatem continens eſt magis fuſum, & tenuibus partibus componitur, ita ut quolibet fermentitio motu exaltetur, & in plantam germineſcat, nam alkalium indolem retinet; ideoque terra alkalibus reſperſa uberior fit. Clarum redditur hoc, nam ſi ſales alkali in retorta poſiti tenui ab igne agitentur, illicò in aquam aſcendunt, quod idem accidit in ſale à terra arte Chymica ſeparato, quo deinde orbata, ſterileſcit: Unde patet de alkalium ſpecie eſſe. Contrà verò ſal commune in igne perpetuò fuſum perſiſtit, non ſecus ac aurum, quòd ſi ſpiritum ex ipſo elicere velimus, non niſi aliquo menſtruo intermiſto, quod cuneum appellamus, aſſequemur. Illud ex hac ſalium anatome oritur, ſalem communem fixare ſuprà ſe ſalis germinantis terræ partes, & tenaciter intra ſe cohibere, quippè volatile ſupra fixum agens fixari apud omnes eſt inconfeſsò, unde fit illas ineptas eſſe ad plantæ ortum.

Ex ſale communi multa concinnantur medicamina, & quidem primo chymicorum vulgus diverſimodè ex eo parat ſpiritum valdè acrem, *Beguinus* in ſuo tyrocinio refert; nos verò omiſſis aliorum erroneis parandi *ſpiritum ſalis* modis, breviter noſtrum ex propria induſtria comprobatum dabimus, ut

℞. Salis communis opt. depurati, & decrepitati p. j. boli com. p. ij. tere omnia ſubtiliter, & m. per minima invicem, & ampla retortæ, & firmè luto munitæ impone, ut tertia ad minimum pars remaneat vacua. Et in furno reverberij juxta proceſſum de deſtillatione ſpiritus vitrioli dictum, deſtilla uſque ad ultimos ſpiritus, amove recipiens, calente adhuc igne, & ſpiritum ſerva.

Hic eſt modus deſtillandi ſalis communis ſpiritum, cui deſtillationi adjicitur bolus communis, vel terra figulina, vel etiam laterum farina, ut ſalis partes per minima ad invicem diſcontiñuentur, ut faciliùs ignis activitate poſſit cogi in ſpiritum; nam ſal ſemel fuſum omnem eludit ignis activitatem, atque diù in igne perſeverat abſque eo quod in ſpiritum reſolvatur: boli autem partes per minima inter ſalis particulas interjectæ, fuſionem inhibent, atque adeò ſal faciliùs in ſpiritus cogitur. Quod omittentes, vel non videntes plures ſpagyrici in ſalium deſtillatione, omnem laborem, atque operam fruſtra terentes, vix ignavum phlegma è ſalium deſtillatione elicuere.

Quæ boli, vel terræ figulinæ miſtio obſervanda eſt, nè dum in ſalis communis deſtillatione, verùm etiam nitri, & omnis alterius fuſibilis ſalis ſpiritus extractione; præterquàm in deſtillatione vitrioli, aluminis, & ſimilium, quæ terram mineralem ſecum admiſtam habent, quæ boli munere fungitur; adeòque dum deſtillantur, boli admiſtione non egent.

Cujus ſpiritus vires potenter uſurpantur, tum interiùs, tùm exteriùs; optimum namque eſt præſidium urinæ ardoribus, ac renum præſertim dyſurias ſolatur, calculos, & mucilagines renum per urinas reſoluit, ac exturbat, ſitim extinguit, putredini reſi-

reſiſtit, hydropicos juvat, nec non lumbricos, & aſcharides enecat. Exteriùs verò inunctus ſanat membra luxata, contracta, paralytica, apoſtemata, dolores, ac tophos podagricos mitigat, & diſcutit, ſi cum ol. terebinth. vel ceræ miſceatur. Dentes dealbat, &c.

Doſis eſt gutt. i. ij. vel iij. uſque ad ℈ß. in juſculis, ſyrup. &c.

Lapides, corallia, uniones, durioraque corpora ſolvit, ritè præparatus aurum ipſum aperit.

Parant etiam *cryſtallos* aliqui poſt ſupra dicti ſpiritus extractionem, diſſolvendo maſſam in fundo retortæ reſiduam, filtrando, & ad tertiam evaporando, ac in frigido aëre aſſervando, ut cryſtallos producat, quas ſi dulciores deſideras, iterum ſolve, & coagula, & quò pluries id efficies, eò dulciores habebis; quarum uſum commendant in apepſia, inappetentia, nauſea, & alia pleraque præſtant miranda in ventriculi morbis.

Jactabunda nimis apud Chymicos eſt oſtentatio de *ſpiritu ſalis dulci*; ſed hæc nunquam demonſtrari poteſt, cum dulcedo non proveniat ab ipſo ſale, ſed à ſpiritu vini, quem admiſcent; unde ita parant.

℞. Spiritus ſalis opt. dephlegmati, & ſpiritus vini an. deſtilla ter, vel quater, ut inſeparabiliter uniantur ſic ſubtiliatur, & dulceſcit.

Eſt egregium in peſte præſervativum, arcet n. omnem putredinem. Ventriculum cum reliquis viſceribus in optima conſervat diſpoſitione.

Emunctiores verò ſpagyricæ artis Profeſſores altiùs per ignem ſalis com. naturam trutinantes, potiora, & nobiliora ex eo parant arcana.

Et quidem *Theophraſt. Paracelſ.* varias parandi arcani ſalis vias deſcribit in Archidox. tamen in una ſpiritus ejus eſſenſificatione per depurationem ab inutili, ignava phlegmatis parte, nec non infixi volatilizationem conſpirant.

Eſſenſificatio ſpiritus ſalium, per depurationem ab inutilis phlegmatis portione traditur lib. 4. Archidox. ſequenti modo.

℞. Salia, quæ calcinabis opt. ſi volatilia ſunt adures, poſtmodum reſolvantur in tenuitatem, & in aquam deſtillentur. Aquam hanc in putrefactionem ponito per menſem, & per B. deſtillato, & aſcendet aqua dulcis, quam abjice. Quod aſcendere noluerit, iterum in digeſtionem ponas per menſem alium, & deſtilla ſicut priùs, ac toties, donec ampliùs dulcedo nulla percipiatur.

Qua via parari inquit eſſentiam quintam ſalis, ea proportione ut ex calcinata lib. j. ſalis, vix ℥ ij. eſſentiæ quintæ habeantur.

Eſſenſificationem verò ſalis ſpiritus per fixi volatilizationem tradit lib. 8. ſub nomine ſalium elixiris, ubi eam deſcribit, ac demùm lib. x. eandem magis declarare videtur, ita verò in hac operatione procedi poteſt.

℞. Sal opt. præparatum albiſſ. & mundiſſ. hoc in pellicanum ponatur cum aquæ ſolventis, ſive ſpiritus ſalis deſtillati tanta quantitate, ut ſexies pondus illius ſuperet. Digerantur in fimo equino ſimul uno menſe: poſtea deſtilla calore balnei, ut phlegma egrediatur. Deinde igne potentiori deſtilla ad ultimos uſque ſpiritus, iterùm affunde, ac eodem modo deſtilla uſque ad omnimodam ſalis volatilizationem.

Demùm *Joan. Petrus Faber lib. 3. Myrothecij ſpagyrici cap.* 11. ita procedere videtur in extractione *quintæ eſſentiæ ſalis communis.*

℞. Sal com. decrepitatum, poſtquam decrepueris, ſolve in aqua fontana limpida ſepties deſtillata. Hanc ſolutionem filtra, ut opt. depuretur, & evaporabis ad ſiccitatem, quod toties itera donec ſolutio ſit opt. depurata, & ſal opt. exſiccatum, tunc imponere retortæ opt. luto munitæ, ut ſpiritum extrahas modo quo ſupra diximus, deſtillatum ſpiritum rectifica, & à phlemate quantum fieri poterit liberetur, & conjunge cum pari pondere ſalis ex reſiduo magmate in fundo retortæ remanſo, modo quo ſupra diximus. Sal verò ſit opt. depuratum, donec leviſſimo ſolvatur igne, ut cera, vel ut butyrum, & rubeum acquirat colorem, & dulcedinem ſummam, & ſic ambo conjuncta digere in B. per menſem unum in retortâ obturato ejus oſculo, donec ſpiritus colorem acquirat rubeum, & extrahat ſalis ſui tincturam, & ſolvat cum ſolutione firma, & phyſica; tùm demùm deſtillabis, & omne volatile facies, & rectificabis ter, aut quater, & recondes ad uſum. Deinde totam hanc operationem veluti reſumens, inquit: *Ut habeas abſolutam ſalis eſſentiam, diſſolve ſalem tuum opt. depuratum in ſpiritu ſalis rectificati, & hoc omne conjunge cum pari quantitate ſpiritus vini alkoholizati, putrefac, & deſtilla, & purifica, & purum, & homogeneum conjunge ſimul, & ſerva.*

Uſus hujus arcani, & vires omnium ferè morborum ſunt curativæ; primò enim præſervat ab omni corruptione corpora omnia, tùm viva, tùm mortua, adeòque eſt balſamum vulnerum omnium, & ulcerum. 2. Arcanum eſt ſummum in expellendo veſicæ, & renum calculo, & agglutinandis colli veſicæ, & renum ulceribus 3. Eſt omnium viſcerum obſtructionum aperitivum, & curativum. 4. Purificat omninò ſanguinem ab omnib. ſordibus extraneis; unde in curandis febrib. nihil eſt efficacius: tollitque ideò lepram, ſcabiem, impetigines; lentines, ignem ſacrum, herpetem, alioſque ſanguinis, & cutis affectus, Hinc eadem vi omnium coagulatorum humorum reſolutiva p. n. tumores omnes externos, tùm frigidos, tùm calidos curat, frigidos ſola perunctione diſcutit, calidos autem ad maturationem, & ſuppurationem breviſſimo tempore perducit. Arthritidi, & ejus dolorib. prodeſt, tophos, & nodos diſſolvit; nervos fovet, calorem naturalem adauget, ac demùm cum ſit mirum præſervativum ſuâ vi vitæ longæ eſt arcanum.

Doſis eſt drach. j. uſque ad ij. in aquis cinnam. juſculis, & ſimilibus vehiculis quacunque hora ſecundum neceſſitatem, pro reparanda autem juventute mane jejuno ſtomacho ſecundum *Fabri* ſententiam. Nos remur minori doſi primis vicibus uſurpandam eſſe, deinde verò poteſt ſenſim augeri doſis, prout obſervatio demonſtrat.

Datur ſal gemmæ, quod eſt genus ſalis communis, & in fodinis lapidum frangitur, ſpecieque cryſtallorum ſplendens eruitur, unde gemmeum à gemmis ob colorem nuncupatur; aliàs dicitur ſal foſſile. Eaſdem, & ſi hoc habeat vires cum ſale communi, ſuſtituique eidem poſſit, rarioris tamen uſus eſt in praxi Medicâ; crebioris in Chymiâ, ubi

ubi ſolutionibus metallorum ſale communi antecellit. Eo utuntur medici vulgares ad ſtercora dura eliquanda, adeòque ad colicam, & tormina arcenda.

ART. TERTIUS.

De Sale Nitro.

EST, & aliud ſalis genus, quod nitrum dicitur, & à ſpagyricis variis inſignitum fuit nominibus. A quibuſdam *Cerberus Chymicus* vocitatur, quia triplici modo præbet univerſale menſtruum, quo vegetabilia, mineralia, & animalia reſolvi, meliorari, & exaltari queunt. Dicitur *ſerpens terrenus*, quia in terra vivit, & eſtò è terra elicitus, & veluti depoſuerit ſpolia, poſt aliquod tempus terra affluenter illud reproducit, ut antea, ob inſitum principium. Vocatur *ſal petræ*, propriè autem ſal terræ magis dici meretur, cum ex terra immediatè decoquatur. Dicitur tandem *ſal infernalis*, quia totus inflammabilis, & igni immediatè injectus, in ignem veluti converſus, totus avolat.

Tanta oritur ex nitri cum ſulphure compoſitione violentia, ut qui ex eorum miſcela concinnatur *pulvis pyrius*, *ſeu bombardicus* (execrandum venenum omnium venenorum violentiſſimum!) non tantùm extemplò viventia ſternit, verùm etiam eorum vis unita tanta eſt, ut horrendæ tempeſtates, ac urbium, montiumque ſummerſiones iis adſcribantur.

Unde tanta ſulphuris cum nitro violentia progignatur demonſtrare operæ pretium ducimus, tùm ut eorum naturam noſcere, & contemplari poſſimus, tùm etiam ut pyrij pulveris portentoſi effectus, quo pacto oriantur, oſtendamus.

Nitratum pulverem ex ſulphure, nitro, & carbone componi cuilibet notum jam eſt.

Sulphur præcipuè conſtat ſubſtantia quadam ætherea non difficilè mobili, & inflammabili, itemque oleaginoſa, nec ſale, (vitriolicum eſt, ut in ejus oleo experimur) omnis fixionis principio, terraque abundat; unde fit, ætheream ſubſtantiam, ſeu ſulphuream nimis exaltatam intra ſalis, terræque particulas ſubſidere; ac proinde igni admotum, vel quolibet motu in flammam facilè prorumpit, ut in ſuperioribus adnotavimus.

Nitrum verò ſale ſulphureo abundat, attamen ſal præcipuum eſt: etenim diù fuſum igni reſiſtit, ejuſque ſpiritus non aſcendit, niſi bolus intermiſceatur, nec per ſe accenditur, niſi carbonem injicias, aut ſulphuri commiſceas; quod ſubita cum flammæ eruptione, & ſonanti ſtrepitu circumjectum æthera propellit, illudque veluti magnus follis abigit, exploditque unde ventus, ſonituſque progignitur: ejus impetus ſæpiſſimè fuſum ſalem extra vaſis crepidinem ejicit. Hoc ideò evenire docemur, quia ſal utpotè fixionis omnis cauſa, ſulphur intra ſe tenaciſſimè velut in vinculis cohibet, ut propterea adventitio ſulphure nitri ſulphur adjutum, viribuſque validius factum, vincula, & ergaſtula diſrumpat, ſuiſque implexibus liberatum, ampliorem locum appetat; Etenim ſalis

parti-

particulæ ex ſe ſulphuris, & ſpiritus particulis uniri expetunt, magnamque cum illis affinitatem habent: Unde videmus ſalem volatilizari, cum ſulphuris, & ſpiritus major pars in ſalis compoſito permanet, hoc non eveniret, niſi ſalis particulæ aſcenſioni alioquin ineptæ ſulphuris, & ſpiritus particulis ſtatim unirentur, & ab illis ad capillum unà traherentur.

Carbo tandem multos meatus antequam incenderetur, habebat, quos poſtea magis latos multa craſſarum partium evolatione acquiſivit, intenſior quippè fumus vaporibus immiſtus exhalavit, itidem carbo multum ignitorum ſeminum, ſeu ſulphuris intra ſuos poros claudit, quippè ex abundantiori fumo, & vaporibus priùs exhalatis arguitur reliquas carbonis partes majori, & puriori ſulphure exaltato abundare, nam fumus rariſſimus conſpicitur, qui potiùs halitus dici debet, ut in papyro carbonizata experimur ſerpenti, & celeri motu excurrentes ignis particulas, donec ſulphur reſiduum abſumatur, & cineritius quidam color in materia relinquatur, & ruſtici linteo carbonizato pro fomite utuntur, Sal quoque ineſt, Alkali nempè, & terreſtris pars, unde ex his.

Facilè pyrij pulveris ſubita accenſio cum horrendo fragoris impetu clara reddetur. Quippè medio aquæ vehiculo per minima hæc tria cohærent. Sulphuris communis particulæ, quia magnam affinitatem habent cum illis ſulphuris nitri, atque ſal nitri ex ſe petat uniri cum ſulphure, ut diximus, fit inde benè invicem cohærere. Carbonis permiſtio ſua ſemina ignifica huic miſto largitur, unde fortior vis ſulphuris redditur, ſubitæque accenſioni apta: Sal illud carbonis cum ſit alkali pronior eſt ad motum, quàm illud nitri. Subeunt hæc omnia nimis latos carbonis poros (utuntur carbone nucis avellanæ, qui laxior eſt) inque ſua terreſtri parte continentur. Cum autem ignis pyrio pulveri admovetur carbonis ſulphur, quod veluti fomes eſt, illicò incenditur, ſulphur commune, & nitri è vinculis ſalis intra quæ cohibebantur, totum ſimul liberat, illiſque diſruptis, liberiorem petunt locum, unde circumjecta corpora magno cum impulſu proſiliunt, & propelluntur, ideò ingenti cum aëris circumſtantis ſonitu, & violento flatu effugiunt.

Talis pulvis in exiguas pilulas debet formari, ut ſulphuris particulæ omnes illicò incendantur, quod ſi craſſior eſſet maſſa, priùs in ſuperficiem, deinde ad interiora penetraret, qùòd multum exigeret temporis, ut in fulgure craſſa, & durata pyrij pulveris maſſa confectò experimur; non enim per aliquod temporis ſpatium per liberum aëra excurrens accenſum perduraret, ſi in granulos pulvis permaneret. Tota hujus pulveris materia evolat in auras, nec quid fixum relinquit, etenim ſalis particulæ ex ſe uniri cum ſulphure poſtulant, & ſecum unitæ cum illo impetu rapiuntur.

Nitrum nihil aliud eſt niſi pinguedo terreſtris, ſaliformis, quæ trans poros terræ permeans, eſt veluti plantarum, lapidum, aliorumque corporum materia proxima, fæcundi-

cunditatis terræ etiam cauſa. Nam in id fatiſcentia, media putrefa- ctione, corpora reſolvuntur, & ex eo cuncta, quæ in terræ græmio ge- nerantur, producuntur tanquam ex materia. Ea enim telluris pars ubi multa vegetabilia, vel animalia pu- treſcunt, eſt nitro feracior, & abun- dantiùs ex ea elicitur. Unde ſolent nitri collectores ex ea terræ parte illud elicere, ubi jumentorum, ovium præſertim ſtabula fuêre, eam aqua elementari lavando, aquam filtran- do, & exhalando, donec in ſuper- ficie pelliculam producat, & tunc talem aquam injiciendo in vaſta vaſa lignea, ubi talis aqua, dum re- frigeratur, congelatur in ea ſalni- trum in ſtrias glaciei adinſtar. Ter- ra tamen eſt ejus matrix ſalſedinem urinoſam jumentorum ſibi ſimilem reddens vi fermenti ſui proprij ni- troſi, terræ inſiti. Nec niſi nitri be- neficio ſaginantur arva, dum fimo ſtercorantur. Nec Neapolitanorum horti tot redderent olera ad habi- tantium epulas propria, niſi per- quamoptimè ſtercorarentur.

Diſtingunt aliqui ſalnitrum à ſale petræ, quatenus ſalem, qui purior eſt, & mundior ab omni re aliena, vocant ipſi nitrum, qui verò miſtus eſt cum copia ſalis communis ap- pellant ſal petræ, quæ differentia non eſt eſſentialis, ſed accidentalis ſecundum magis, & minus. Undè probatio nitri ità peragitur: projice ſal nitrum in carbonem ignitum, ſi omne avolaverit, purum judicatur; è contrà verò ſi aliquid remanſerit, quantum remanſit, tantum de ſale communi participare æxiſtimatur.

Alij aliam aſſignant nitri diffe- rentiam, aliud foſſile, ſeu minerale eſſe inquiunt, & hoc etiam diver- ſum eſt pro diverſitate loci, ubi colligitur, nam aliud ex Nili inun- dationibus, & fluctuum exſiccatio- nibus in Ægypto ſpontè naſcitur, ubi magna nitri copia accipitur, undè dicitur nitrum à Nitriâ Æ- gypti regione in quâ copioſiſſimè elicitur. Aliud verò in multis mi- neris ſpontè enaſcens colligitur, quod etiam *Borax*, & *Chryſocolla* di- citur. Alia verò nitri ſpecies facti- tia eſt ex terræ lotionibus excerptæ, ut ſuprà diximus, & hujuſmodi ni- trum dicitur etiam quandoque ab aliquibus *Aphronitrum*, quod eſt ſum- mè purificatum. Aliud tandèm eſt nitrum naturale quod ſpontè in pa- rietibus, & antiquis ruderibus naſci- tur, quod eſt perfectiſſimum, & in ignem injectum totum in flammam evolat, perfectionis ſignum, quod de ſale communi non participat; tali nitro naturali noſtra Calabria eſt uberrima. Verùm in uſu Medi- co, quia caremus hic naturali, ve- nit tantùm factitium nitrum; foſſile autem ab aurifabris potiſſimùm tra- ctatur. Nos verò dùm de ejus variis operationibus hic agimus, tantùm factitio utemur.

De Nitri qualitatibus haud pa- rùm convertitur: ſunt enim qui fri- gidum exiſtimant, quia in corpore humano frigidas edit operationes, calorem ſcilicet fugando, vel alli- ciendo: Sunt, & qui calidum di- judicant, quia revera eſt ſal ſulphu- reum, inflammabile, nam non ſo- lùm operationes edit igneas in Chy- miâ, ſed omnes commotiones, & meteorologicas impreſſiones, tùm

ſubtùs terram, tùm ſupra aërem gignit.

Ex nitro, non ſecus ac de ſale communi, ut ſuprà diximus, ſpiritus elicitur valdè acer, & mordax, baſis aquarum fortium, quibus aurifabri in auri, & argenti ſeparatione utuntur. Is vehementiſſimus eſt, & totus igneus metalla, & corpora quæque dura penetrans, vim habet ea calcinandi. Illud tantùm animadvertendo, quod nitrum non decrepitatur, ſicut ſal commune, ſed uſque ad ſummam ſiccitatem, & quandoque ad proximam fuſionem eſt exſiccandum, & deinde retortæ indendum, & deſtillandum juxta methodum in deſtillatione ſalis communis deſcriptam.

Uſus ejus quoque eſt analogus ſpiritui ſalis communis; valet namq; in colicâ cum æquali ſpiritus vini parte, febribus omnibus ſiticuloſis, pleuritide, angina, & prunella cum convenientibus juſculis, ſyrup. &c.

Doſis eſt ℈ j. uſque ad ʒ j. prius tamen purgato corpore, & obſervatis virium robore, & natura morbi; attamen niſi in pauca quantitate propinabis, ventriculum corrodere ſolet.

Poſſunt quoque ex capite mortuo elici cryſtalli eodem modo, quo ſupra diximus de ſale communi; attamen ſi ritè operatus fueris, nihil extrahes, quia nitri lib. j. ſpiritus tantundem reddit. Eoſdem ferè habent uſus, ac cryſtalli ſalis communis.

Fit ex nitro magiſterium, quod *ſal prunellæ* dicitur, eò quòd prunellæ eſt veluti anditotus. Vocatur *lapis prunellæ, anodynum minerale*, ſequenti conficitur modo.

℞. Salis nitri opt. depurati lib. j. funde in crucibulo, & dum eſt opt. fuſum, projice in eodem crucibulo ſenſim floris ſulphuris ℥ j. in plures vices, agitando cum ſpatula ferrea, uſque quò ſulphur totum combuſtum fuerit. Projice deinde ſupra marmor, ut concreſcat in cryſtallos, & ſerva.

Uſus ejus præcipuè eſt in prunella, angina, & faucium omni inflammatione, in laxitate, putredine, & exeſione gingivarum. (Ubi in gargariſmis ſolui debet). Præſtat in febribus ardentibus, putridis, & malignis, phlogoſin viſcerum naturalium, tùm, & cordis contemperat, & à putredine præſervat, & ſitim mirificè extinguit. Nos experti ſumus in pleuritide, & peripneumoniâ, dolore nephritico, & gonorrhœâ.

Doſis eſt ʒ ß. uſque ad ʒ j. in ſyrup. Julep. juſculis, & aquis appropriatis.

Externè in topicis anodynis, ac refrigerantibus, ubi præcipuè ſolvitur in liquore appropriato, cum linteo. Nos experti ſumus ad morphæam nitrum diſſolutum cum ſucco limonum.

Verùmenimverò nitrum hoc ſicco modo, & igne, purificatum, ſal prunellæ dictum, officinis uſitatiſſimum eſt, & igneum, & mordax eſt; præſtat igitur illud quod ſolvitur in aqua communi, pluviali ſtillatitia, vel aliqua alia deſtillata refrigerante, & odore fragrante, ut roſ. viol. lilior. convall. &c. copia aquarum debet eſſe ad ſolam nitri diſſolutionem, & cum prædictis aquis nitrum eſt ſolvendum, per filtrum, purificandum, & aliquali aquoſitatis exhalatione denuò chryſtallizandum

in leni calore, ne fragrantia, & magis ſpirituoſæ aquarum partes in diutina coctione exhalent, ſed potiùs cum nitro unitæ permaneant, illudque in virtutibus ſuis nobilitent, & intendant,

Hinc pari ratione ac diximus ſuprà, parari poteſt ex eo arcanum per eſſenſificationem ejus, &c.

ART. QUARTUS.

De Sale Armoniaco.

EST quoddam ſalis genus, qui armoniacus, & armeniacus dicitur, quia ex Armeniâ aſportari citur, quia ex Armeniâ aſportari creditur, vel ammoniacus à græcâ voce Αμμ☉, quæ arenam ſignificat, quia ſub arenis Lybicis concreſcit. Cœterùm armoniacus ſal, qui naturalis, & legitimus ſit, ad nos conuehi deſiit, quippè factitius, adulterinuſque eſt, qui paſſim in ſeplaſiariorum officinis venditur, fit ex uririorum officinis venditur, fit ex urinâ humanâ, ſale communi, & fulinâ humanâ, ſale communi, & fuligine. Volatilis eſt admodùm, & fugax, mercuriali natura præditus; abundat ſulphure, quod facilè ſublimatur; eſtque radix ſaporis acidi, quo fit, ut denſiſſima, & tenaciſſima corpora diſſolvat; conſtatque triplici ſale, vegetabili, minerali, & animali.

Dicitur ſal armoniacum, ſal ſolare, aquila cæleſtis, alba mercurialis fuligo, ſal mercurialis Philoſophorum.

Habet vim diaphoreticam, præcipuè in febribus, maximè in quartana, reſiſtit putredini, &c. Externè verò in gangræna, carne putrida abſumenda, in angina curanda (in gargariſmis). Quinimmò *aquam cæruleam*, ſeù *ſaphiream* ad tollendam oculorum albuginem inde circumforanei tali pacto conficiunt. *Recipiunt aquam calcis vivæ, in quâ diſſolvunt ſalis armoniaci convenientem portionem, permanere ſinunt in pelui ænea aliquot horarum ſpatio, quò uſque cærulei coloris aqua evadat, filtrant per chartam emporeticam, & in vaſe vitreo aſſervant.* Non tantùm oculorum albuginibus medetur, verùm etiam ulcera mundificat, & ſanat.

Salis armoniaci in medicinâ paucæ ſunt operationes, & præcipuè ſublimatio; quo modo tanquam inſigne diaphoreticum in febribus commendatur, ut

♃. *Salis armoniaci lib.* j. *ſquamarum ferri* ℥x. *m. & ſublima in aludele forti igne, vaſe refrigerato, ſepara, quod ſublimatum eſt, & m. cum* v. *aut* vj. ℥. *ſalis com. præp. & iterùm ſublima ſexies, novum ſalem ſemper addendo, collige ſublimatum, & ſerva.*

Doſis eſt xij. vel xv. gr. in omnibus febribus, quod pluries pro ægri exigentiâ repetendum.

Circumfertur hujuſmodi ſublimatum aptum eſſe ad metalla in fluidum mercurium reducenda. Nec poteſt componi aqua regia abſque ſale armoniaco, ut infra dicemus. Valet etiam (quoniam eſt ſummè volatile) ad ſublimanda multa metalla, aliaque fixa corpora mineralia, eaque tranſmutanda. Undè *Paracelſ. lib. 7. de tranſmutatione rerum naturalium* inquit: *Notandum hic eſt, quòd quodlibet metallum, quod in ſublimationem per ſal armoniacum perducitur, poſtea in frigore, vel in aëre ſolvatur in oleum, & contra in igne coagulatur in*

lapidem. Quæ quidem una eſt ex maximis, & ſummis tranſmutationibus in omnibus rebus naturalibus, nempè metallum in lapidem tranſmutare.

Eſtò armoniacus ſal, propter naturam nimis fugacem, ſit ſummè volatilis; non per hoc tamen ſpagyricorum induſtria *ſpiritum* non elicit tali methodo.

℞. *Salis armoniaci, q. v. m. cum argilla humida, ac exinde fac globulos. Deſtilla per retortam ſ. a.*

Uſus hujus ſpiritus eſt in quartanâ, & obſtructionibus, eſt ſummè inciſivus, & diureticus, ſoluit itidem calculum. Doſis à gutt. iij. ad vi. vel x.

Affuſus ſolutionibus metallicis cum aqua forti factis, indeque per alembicum abſtractus, ſecum alias corroſivas aquas tranſportat. Extrinſecùs anaticè cum ſpiritu vini miſtus, & plumaceolo loco dolenti podagrico aliquoties illinctus, dolores ad miraculum reſtinguit, præcipuè ſi in eo tantillum camphoræ fuerit ſolutum.

ART. QUINTUS.

De Alumine.

ALumen nihil aliud eſt, quàm ſalſugo terræ mineralis naturæ saturninæ, conſtans ex ſpiritu acido, & ſale terreſtri cauſtico. Triplicem cognoſcit ortum, vel per ſe in venis ſuis invenitur, vel ex aquis mineralibus excoquitur, vel ex terrâ & lapidibus, aliiſve mineralibus extrahitur.

Aluminum genera ſunt multa. Alumen *capillare*, quod in capillamenta dividitur, in officinis autem vulgò *fior di pietra*, unde dicitur alumen plumeum, & lapis amiantus. Ex eo ſunt qui telas conficiunt, quæ ignibus injectæ ardent quidem, ſed flammis invictæ ſplendidiores exeunt, undè quoque *ellychnia* ex eodem *incombuſtibilia* fiunt. Undè minerale iſtud eſt natura ſua fixiſſimum, adeò quidem, ut omnem reverberij ignem eludat. Differt ab alumine ſciſſili, quòd hoc combuſtibile ſit, saporiſque adſtringentis, illud non item.

Alumen *ſaccharinum*, quod ex alumine rupeo crudo, ovorum albumine, & ſtillatitiâ roſarum aquâ paratur.

Alumen *catinum*, propriè aluminis genus non eſt, ſed ſal ex cinere cujuſdam plantæ à Mauritanis *Kali* vocatæ, vulgò *ſoda*, cujus cinere fabri vitriarij ad vitrum conficiendum utuntur; Alumine verò catino ad vitra in fornacibus expurganda. Huc referri poteſt fæcum alumen, quod ex vini fæce paratur, fit conformatis è fæce panibus, deinde ſole ſiccatis, & igne tandiù peruſtis, quouſque candorem conceperint.

Alumen *ſquamoſum*, ſive ſciſſile, quod ſpeculum aſininum dicitur, fit ex ſquamoſo quodam lapide, & vitri modo pellucido. Hunc itaque in ignem conjiciunt, & incenſus illicò claritatem amittit, diſſilitque in tenuiſſimas laminas, & gypſi modo albeſcit, ejuſque induit ſpeciem.

Alumen *rupeum* dicitur illud, quod conficitur ex rupe, ſeu ſaxis.

Ferè nullus eſt uſus aluminis communis ſpagyricæ præparati in medicina; Nàm eruditiores ſpagyrici

vix circa ejus præparationes laboravêre, an quia parum, vel nihil habet eſſe; an verò quia adſunt nobiliora in mineralium Regno remedia; an demùm, quia, potiora remedia ex vitriolo (quod aluminis vices ferè ſupplet) educunt, cui cum affinis ſit alumen minerale eadem methodo, qua ex vitriolo parantur medicamenta, parari poſſint ex alumine. Et quidèm *Paracel. lib. 4. Archidox.* eandem tradit methodum parandi eſſentiam ex alumine, ac ex vitriolo.

Crudum (quod alumen rupeum intelligimus) diverſimodè in medicina uſurpamus. Et quidem ex eo diſſoluto in aqua ſticticum ad oris ulcera, laxitatem, & putredinem gingivarum, anginam, columellam laxatam, & ad tumores pedum ædematoſos paramus medicamen. Internè ab empiricis pro febrifugo exhiberi ſolet. Sunt qui in dyſenteriâ exhibent.

Non tantùm alumine *crudo*, verùm etiam *aduſto* utimur, quod tali modo paratur.

℞. Aluminis q. v. ponatur in fictile novum, & tamdiù uratur, donec totum alumen efferbuerit, nec ulterius ſpumam emittat, refrigeratum ſervetur ad uſum.

Aluminis uſti uſus eſt ad vulnerum, & ulcerum excreſcentias, & calloſitates, carnoſas exedendas, & ad putredinem arcendam, &c. apud Chirurgos.

Ex alumine *Fallop.* parat *aquam aluminoſam*, quæ ulcera mundificat, exeditque carneas excreſcentias ità.

℞. Aq. Plantag. & roſ. an. lib. j. aluminis rupei, & mercurij ſublimati an. ʒij. *f. ſ. a.*

Ex alumine uſto, & pulvere ſabinæ ana, fit infallibile medicamen à nobis felici eventu centies expertum ad mora, criſtas, verrucas, condylomata, mariſcas, & cœteras excreſcentias.

Miſcetur autem cum ſalibus, quibus aquas fortes paramus, excoquiturque igne aperto in vaſe terreo, donec omni exhalata humiditate, probè fuerit exſiccatum, ſua namque ſiccitate cohibet, nè ſalia fuſa ſuos ſpiritus retineant, exhibetque etiam ſuos ſpiritus acres, & mordaces, unde fit, ut dictæ aquæ fortiores reddantur.

Art. Sextus.

De Tartaro.

Tartarus eſt ſpiritus vini aciditas, agens in vini fæce, & doliorum lateribus undique ſeſe apponens; lapillorum cryſtallinorum duritiem referens, mox obſcuro colore, mox candido magis, juxta vinorum differentiam ſe in conſpectum pandit. Non paucam portionem tartari in fæcibus reperies, quæ ob copiam, & pondus fæcum, quaſi motu violento in vini fermentatione, à cryſtallizatione tractam non potuit doliorum lateribus apponi, in compagem cryſtallizari, & adhærere. Probat hoc alumen ex vini fæce, quod nihil aliud eſt, quàm quædam ſpecies tartari calcinati cum fæce. Eſt igitur tartarus vini ſal, tamen aciditatem conſpicuam, & prævalentem habet, guſtum, & ſaporem gratum vinoſum referens. Ad cujus confirmationem dicimus, quòd no-

vimus quendam hominem, qui ex ſuff. aquæ quantitate, & tartari portione cum paſſulis, mediante coctione, & clarificatione cum ſucco limonum, & ovi albumine, vinum concinnabat, quod non vili aliis venditabat, quam impoſturam detegere non erat facile, cum referret omnes boni vini notas.

Quanquam tartarus ad vegetabilium Regnum ſpectet; tamen una cum mineralibus de eo agimus, cum ſit corpus ſalinum fixum, quod duritie ſua lapidi non cedit, & omnes ejus præparationes ferè analogæ ſunt eis, quæ pro mineralibus parandis inſtituuntur.

Quò perfectiora, & ſalutaria ſunt vina, eò præſtantiorem etiam tartarum producunt; hinc boni tartari notæ ſunt, ut continua ſerie ſit dolij lateribus coagulatus, & in longitudinem protenſus adhæreſcat, ut ſit ponderoſus, & ſua duritie lapidi non cedat, & ab ea parte, qua vinum tangit, plurimis apicibus adamantis inſtar acuminatus ſplendeat, & quòd confractus non appareat ſpongiæ inſtar, poroſus, aut terra refertus, ſed ſubſtantia ſua ſit ſolidiſſimus.

Hoc tartaro non ſolum aurifabri, vitriarij, ſerici infectores, aliique artifices mechanici pro eorum artificio diverſimodè utuntur; verùm etiam ejuſdem maximam in medicinâ utilitatem experimur: Salutaria enim medicamina ex eo conficiuntur, ad quæ tanquam ad ſacram anchoram in plurimis morborum monſtris tutò confugere poſſimus.

Tartarus ſubſtantiam ſubtilem, acidiuſculam, & penetrativam habet, qua ratione ſitim à cauſa calida excitatam extinguit, bilis fervorem reprimit, appetentiam excitat, ventriculi dolores ſedat, viſcidos, tenaces, tartareos, mucilaginoſos humores attenuat, & reſoluit, & interiorum viſcerum obſtructiones reſerat. Deinde ratione ſalis, qui cum aciditate eſt junctus, flatus à cauſa frigida exortos non tantùm diſcutit, ſed etiam omnis generis crudos, tartareoſque humores incidit, & blandè educit, & hac ratione non dantur ſolutivæ potiones, quæ tartarum in decoctione non admittant.

Ex tartaro crudo multa vulgaria præparantur medicamina, & primò *Petrus Caſtelli in forma electuarij diatartarum* ita parat.

℞. Tart. vin. alb. ſubtiliter pulverizati, fol. ſenæ elect. an. ℥ iß. *mannæ elect. & ſacch. rubr. an.* ℥j. *zinzib. aniſ. cinnam. galang. min. an.* ʒj. *ſyr. roſ. ſol.* ℥ v. *f. elect. s. a.*

Alij *Diatartarum in forma pulv.* hoc modo parant.

℞. Tart. vin. alb. ℥ij. *fol. ſen. or.* ʒj. *cinnam.* ℈j. *f. omnium pulvis ſubtiliſſ. & adde ſacch. ad pondus omnium. Sumitur in jure.*

Ex eodem tartaro alij *aquam ſolutivam communem* parant ita.

℞. Tart. vin. alb. ſubtiliter pulverizati ℥iij. *aq. fontis lib.* ij. *bull. ad ſolut. tart. adde ſen. or.* ℥ij. *cinnam. groſſo modo contuſi* ʒ ij. *bulliant parum, poſt refrigerationem coletur, &* ad *uſum ſervetur.*

Sed celeberrimus Medicus *Paulus Æmilius Ferrillo* ex propria inventione *aquam ſolutivam magiſtralem* ita deſcriptam poſteritati conſignavit.

℞. Salſ.

℞. Salſ. parillæ ſciſſæ, minutim inciſ. & benè lota, polip. querc. contuſ. tart. alb. pulverizati, uvarum corinthiacarum an. ℥ ij. ſantal. rubr. contuſ. ℥j. limaturæ ligni ſancti, raſuræ eboris, & c. c. non calcinati an. ℥j. Ponantur hæc ultima tria in pupatella, & ſimul cum aliis projiciantur in lib. xx. aq. fontis ferventis, ac deinde aperto vaſe detineantur in loco tepido per 24. horas, ebulliant poſtea ad conſumpt. 3. partis aq. & tunc adde fol. ſen. or. ℥iij. acinnam. elect. contuſ. ℥j. bull. par. & auferatur vas ab igne, ac benè coopertum frigeſcat. Aqua per inclinationem à materialibus pura ſeparetur abſque expreſſ. & poſt ſeparationem in ea exprimatur fortiter pupatella, & ſervetur.

Doſis à lib.j. uſque ad ij. pro patientis diſpoſitione. Exhibeatur frigida poſt aniſorum conditorum comeſtionem jejuno ſtomacho per v. aut vj. dies. Leniter ſolvit corpus ſepties, vel octies in dies. Lauto indiget prandio, & ex carne, cruda omnia interdicuntur.

Spagyrica ex tartaro multa parantur medicamina, & primò *ſal eſſentialis*, dictus *cremor tartari*, ſequenti methodo.

℞. Tart. opt. loti q. v. reduc in pulv. ſubtilem, affunde aq. ferventis bonam quantitatem in vaſe figulino vitreato, vel vitreo, (nam in hac, ſicut, & in ſimilibus operationibus oportet à metallicis vaſis abſtinere, acida enim in vaſa metallica ſuo acore agunt, ac tranſmutantur) fac ebullire, & ſpatula lignea agita, ut ſolvatur. Cola per manicam Hippocrat. dum adhuc calet. Reſiduo tartaro affunde aliam aquam ferventem, agita, & cola, idque reitera donec nil niſi arena irreſolubilis, reſtet. Has aquas tart. impregnatas repone, ut refrigeſcant, & ſal concreſcat; quo pacto aquam per inclinationem effunde, & ſal, quod parietibus vaſis adhæret, collige. Aquam iterùm fac ebullire, donec cuticulam in ſuperficie contrahat, & iterum refrigeſcat, ut ſal reddat, ac ita procede uſque ad ultimam aq. evaporationem. Si depuratus, non ſatis candidus ſit, ſolve iterum in aqua ferventi filtra, & repone, ut ante ad coagulandum.

Not. hic quòd unica tartari diſſolutio ſufficit, licet inde non evadat adeò candidus; nam quò frequentius ipſum coxeris, eò plus de virtute ipſi detrahes: Hinc non ſemper ad medicamenti pulchritudinem, ſed potiùs ad ejuſdem efficaciam reſpiciendum eſt. Multoties enim nimiùm curioſis, & artificioſis noſtris laboribus rem deſtruimus potiùs, quam quod boni aliquid exinde efficiamus.

Uſus cremoris tartari eſt craſſos, viſcidos, tartareoſque humores, præcipuè autem in primâ ventris regione ſtabulantes incidere, attenuare, & detergere: commodè igitur adhibetur in obſtructione epatis, lienis, meſenterij, in melancholiâ hypochondriacâ, &c. ſi quotidiè exhibeatur ejus ʒ ß. vel etiam integra. Nos exhibuimus eum uſque ad ℥j. in robuſtioribus tanquàm nobile purgans citra omnem nauſeam. Solet etiam exhiberi ejus ℥ß. cum extracto ſcammonij à gr. viij. tanquàm opt. purgans. Exhibetur verò in juſculis.

Circa tartari cremorem monendi ſunt Medici de fraude, quæ in hoc conficiendo committitur; nam pharmacopæorum talis eſt incuria, ut propriâ manu parare nolint, quia ab impoſtoribus, & pſeudochymicis libram

libram ſeptem, vel octo aſſibus emunt. Fraus in hoc conſiſtit, quòd impoſtores, ut ſolutionum, filtrationum, & cryſtallizationum laboribus parcant, ſemel ſoluto tartaro aluminis quantitatem admiſcent, ut in cryſtallos abeat. Hinc Medici ſuo defraudantur fine, cum adſtringendi, & non aperiendi qualitate alumen præditum ſit.

Poteſt tartarus ſolutus, & cryſtallizatus peregrinis virtutibus imbui, eidem vis, vel cathartica, vel diuretica imprimi mediantibus decoctis rerum, vel catharticarum, ut *Jalappæ, mechoacannæ, hellebori, fol. ſen. &c. vel aperientium ut rad. cichor. oculorum cancrorum, chalybis, &c.* unà cum iiſdem tartarum diſſolvendo, coquendo, & iterùm cryſtallizando, qui licet alieno colore inficiatur, nihilominus ſi in porphyrite teratur, iterùm albeſcit, atque tali modo paratus cremor tartari feliciter in medicina uſurpari poteſt.

Secundò elicitur *ex tartaro ſpiritus* ſequenti modo

℞. Tart. vin. alb. puri, vel etiam cremoris tart. lib. v. *pone in retortam capacem, & in furno adapta modo quo ſupra in deſtillatione ſpiritus vitrioli diximus. Da ignem per gradus, ut primus gradus ſit cinerum, vel arenæ adinſtar, & egredietur ſpiritus cum fumis albis, poſtea ol. aſcendet, & ignis parum intendi debet ſenſim, donec totum ol. quod fætidum eſt, aſcendat, advertendo ne ignis nimium invaleſcat. Oleum, & ſpiritum rectifica, deſtillando à ſale extracto ex capite mortuo, dein digere cum ana ſpiritus vini per menſem, & odor gratioſior erit, & ſerva.*

Sunt etiam qui ſupra caryophill. rectificant, ut ejus fætorem corrigant.

Uſus hujus ſpiritus multiplex eſt. Primò in febribus malignis, & peſtilentibus, eſt namque optimum diaphoreticum. 2. Eſt ſummum deobſtruens, ac putrefactiones omnes tollit. 3. Si ter quotidiè ſumatur, paralyticis ſuccurrit, totum corpus penetrando, & roborando. 4. In Hydrope etiam feliciter adminiſtratur, præſertim ſi cum ol. vitrioli parùm immiſtus exhibeatur. 5. Vitia menſtruorum retentorum corrigit, ea provocando, ac demùm tanquam univerſale mundificativum in omnibus ferè morbis adminiſtrari poteſt, ut in Eryſipelate, Icteritiâ, lue venereâ, ſcabie, ſerpigine, lentigine, pleuritide, in contracturis, & ſimilibus morbis. Doſis gutt. ij. & vj. uſque ad x.

Parant tertiò *oleum tartari per deliquium*, ità.

℞. Tart. ad albedinem calcinati, ponatur in cella vinaria, vel alio loco humido, donec reſolvatur in oleum, quod poſtea filtrandum.

Qui liquor revera oleum non eſt, ſed propter ſuam unctuoſitatem, hoc nomen ſaltim adeptus eſt: In ſe ipſo autem nihil aliud eſt, quàm ſal tartari humiditate aëris in cellâ impr̈ægnatum, ac in liquorem ſolutum.

Ejus uſus eſt, in omnibus ſerpiginibus, præſertim autem venereis, tineâ, ſcabie, verrucis, faciem erugat, & cutim reddit teneram.

Parari etiam poteſt quartò ex tart. aliud magiſterium, ex ejus ſcilicet oleo per deliquium, & ſpiritu vel oleo vitrioli invicem miſtis, quod

quod ideò dicitur *Tartarus Vitriolatus*, ut

℞. Ol. tart. per deliquium ℥ iv. ſpiritus vitrioli ℥ ij. affunde guttatim ſpiritum vitrioli ſupra tartari oleum in vitrum capax, quæ duo in mutuo attactu magnam concipiunt ebullitionem. Deindè inſtillato vitrioli oleo, & omni ceſſante ebullitione, fiet ex ambobus unitis coagulum albiſſimum. Evoca humiditatem ſupernatantem, evaporando lento igne ad ſiccitatem ſalis, & hoc quod remanet, erit tartarus, quem ut elegantiorem facias, ſuper eo deſtilla ter, vel quater ſpiritum vini. Doſis ℈j. ad ʒj.

Conficiunt alij *tartarum vitriolatum cryſtallizatum* hoc modo.

℞. Cremoris tart. ℥iv. ſpiritus vitrioli ℥ij. Digerendo ſolvantur. Hinc affunde aquam calidam, ut penitus ſolutio fiat, abſtrahe aliquantulum, & repone ad cryſtallizandum. Doſis ʒj.

Digeſtivum eſt præſtantiſſimum, tartarum in corpore humo efficaciſſimè reſolvens. Hinc utiliſſimè exhibetur in viſcerum obſtructionibus, nephritico, ictero, menſium retentionibus, melancholia hypochondriaca, ſplenis duritie, hydrope, in omnibus febribus, præcipuè in quartana, &c. pluries doſis iterari debet.

Hadrianus à Mynſicht in ſuo Armentario parat *tartarum nitratum* ità.

℞. Sal tart. & nitri præp. an. p. æ. ſolvantur in aquâ roſ. calidâ; poſteà filtrentur, & ſuper ignem incoquendo mediocriter, donec quaſi cruſtam acquirat, reliquum in frigido concreſcat: ſic habebis cryſtallos, quas ſerva.

Præſtantiſſimum eſt medicamentum; ſingularem n. incidendi, & detergendi humores craſſos, & tartareos, nec non meatus obſtructos aperiendi vim habet. Inſuper in febribus putridis, Hungaricis, ac malignis experimentum eſt. Putredini reſiſtit. In inflammatione gutturis, quam prunellam vocant, præſentiſſimè juvat. Calculum renum, & veſicæ impuritates expellit, urinamque movet. Doſis à ℈j. ad ʒß. in vehiculis appropriatis.

Parant etiam quintò *ex tartaro ſulphur*, vel *tincturam*, (ut aiunt) ſequenti modo.

℞. Salis tart. defæcatiſſimi q. v. & in crucibulo igne valido funde, & in fluxu tandiù ſerva, donec ex viridi colore in cæruleum tranſierit, & tunc erit tantæ acrimoniæ, & eroſionis, ut ad guſtum linguæ ad motum, inſtar ignis urat. Extrahe per ſpiritum vini ſuperfundendo ad ſupereminentiam trium digitorum, & relinquendo, aliquantulùm in frigido, poſtea in cineribus leniter excalfaciendo; quam extractionem toties repete, quoties poſſibile fuerit. Separa dein per deſtillationem ſpiritum vini, & manebit in fundo retortæ liquor rubeus inſtar ſanguinis, odoris fragrantiſſimi, qui denique cum recenti ſpiritu vini ad eminentiam unius digiti conjunctus, & in phiala lento calore digeſtus, partim in formâ liquidâ rubet.

Ejus gutt. iv. ad viij. in vino generoſo exhibitæ urinas vehementer promovent, ac reſolutos pellendo humores, præſtans eſt præſidium in hydrope, melancholiâ hypochondriacâ, cachexiâ, obſtructionibus omnibus, & ſimilibus aliis morbis, ac etiam renum, & veſicæ calculum comminuit.

Alij tandèm ſpiritum vini ſali tartari affuſum ex retorta leniſſimo igne deſtillant, ut *ſpiritum vini tartarizatum* eliciant: ſed in magno errore

errore verſantur; nam ſpiritus vini dephlegmatus ſupra ſalem tartari ſibi cognatum pro XVI. parte mutatur in ſalem, & totum reliquum fit aqua ſimplex elementalis.

Art. Ultimus.

De Aquis Fortibus.

NOn ſolùm actuali utimur igne in mineralium parandis magiſteriis, verùm etiam menſtruali, ſeu potentiali, qui aquarum fortium beneficio adminiſtratur, quæ potentiùs, ac efficaciùs agunt igne ipſo flammifero; Nam metalla omnem ſpernunt ignis actualis activitatem, ac fuſa diu in eo perſeverant, ab aquis verò fortibus in aqueum ſolvuntur humorem, aliamque veluti ſubeundo larvam, ſuas exhibent virtutes. Hinc poſtquam ſalia, & saliformia ſub ignis examine adduximus, de fortium aquarum fabrefactione, quæ ex ſalibus etiam plerumque prodeunt, agendum.

Variis verò appellantur nominibus aquæ fortes, ut Chryſulcæ, Cauſticæ, Separatoriæ, Ignis Gehennæ, Ignis Infernalis, Aquæ Stygiæ, &c. maximè corroſivæ ſunt, omniaque metalla, & mineralia, præter aurum, ſolvunt. *Regia* verò illa dicitur, quæ aurum tantùm ſolvit. Conficiuntur verò ex pluribus ſimul miſtis ſalibus, ut ſale nitro, vitriolo, alumine, ſale communi, ſale armoniaco, ſtibio, &c. ſimul deſtillatis.

Pluribus autem modis hæ parari ſolent *fortes aquæ* à variis authoribus. Et quidem primò *Paracelſ. lib.* I. *Archidox.* ità aquæ fortis præparationem deſcribit.

♃. *Sal nitrum, vitriol. & alumen æqualibus partibus, quæ deſtillabis in aquam fortem. Hanc rurſus ad ſuas fæces affundes, iteratòque in vitro deſtillabis. In hac aquâ forti clarifica argentum, & poſtea in ipſa ſal ammoniacum ſolve.*

Alii hoc pacto *aquam fortem communem parant.*

♃. *Vitrioli exſiccati lib.* IV. *ſalis petræ repurgati lib.* ij. *tere, & ſimul m. deinde impone retortæ opt. luto munitæ in furno reverberij, & modo quo diximus in deſtillatione ſpiritus vitrioli, deſtilla, donec ſpiritus rubri, & nebuloſi in receptaculo diſſipentur, & habebis optimam aquam fortem, quam exime, & clarifica hoc pacto.* ♃. ℥j. *vel* ij. *hujuſmodi aquæ, injice puri argenti* ʒj. *& ſolve, ſolutionem deinde infunde aliis tribus partibus, & albæ evadent, ſine reſidere, & purum affunde, & ſerva.*

Nos vero paravimus optimam aquam fortem juxta præſcriptionem *Paracelſ.* hoc modo.

♃. *Vitrioli opt. exſiccati per ebull. in igne, aluminis eodem modo exſiccati per ebull. nam fit veluti calx, & nitri exſiccati lento calore p. æ. tere opt. & m. ſimul omnia, & retortæ luto munitæ modo, quo diximus ſupra, deſtilla, clarifica, & ſerva.*

Si vis illam fortiorem parare, poteris fæcibus affundere, & iterùm deſtillare.

Hoc etiam modo nos paravimus aliam aquam fortem ex nitro probè exſiccato, & alumine calcinato.

♃. *Aluminis, pone in tigillo ad ignem, ut liqueſcat, & ignem continua donec omnis ceſſaverit ebullitio, & adinſtar calcis ſiccetur, & nitri opt. exſiccati ad mediocritatem caloris, vel ſolis, vel ignis, an. lib.* iij. *tere ſubtiliter, & opt. invicem m. & rotorta opt. loricatæ impone, &*

modo

modo quo ſupra diximus, diſtilla, & ſerva. Erit aqua fortis potentiſſima.

Hoc enim pacto parabitis aquam fortem communem, quæ omnibus hiſce modis fit elegans, & potens ad metalla omnia (excepto tamen auro) ſolvenda.

Si verò aquam Regiam cupis, quæ aurum ſolvere valeat, diſolve ℥j. ſalis armoniaci probè exſiccati in ℥iv. aquæ fortis communis, & ea aurum ſolvet.

Aliqui verò præcipiunt aquas Regias eſſe fabricandas deſtillando ſal ammoniacum ſimul cum aliis materialibus, ſed hi allucinantur; nam ſal ammoniacum cum ſit volatile in forma ſalis volatilis, non autem attenuabilis in forma ſpiritus, potiùs in collo retortæ ſublimando affigitur, ibique ſpiritibus aliis egredientibus, remanet, adeoque aqua Regia commodius fieri poterit ſolvendo ſal ammoniacum in ipſâ aquâ forti communi, ut diximus, & erit efficacior. Verumenimverò utique ſal ammoniacum in deſtillatione aquæ Regiæ, abſque eo quod ſublimet, cum aliis materialibus miſceri poteſt, ſi eâ cautelâ adhibeatur, quam poſuimus proprio *art. de ſalis ammoniaci præparatione.*

Deſcribunt alii alias aquarum fortium, ſeu *Stygiarum* ſpecies, quas diverſimodè componunt, miſcendo cynnabarim, antimonium, mercurium ſublimatum cum dictis materialibus, ex quibus aquæ fortes communes deſtillantur, &c. Itèm varia cæmenta, quibus metalla ſolvere, ac diverſimodè graduare nituntur, quorum deſcriptiones extant apud *Paracelſ. lib. de cæmentis, & graduationibus.* Nos verò eas omittimus, tùm quia potiùs ad Alchymiſtas, quàm ad Spagyricos ſpectare videntur; tùm quia allatæ à nobis aquarum ſtygiarum deſcriptiones ſufficiunt, ſupplentque in ſpagyrica omnes aliorum cæmentorum, aliarumque aquarum fortium vices.

Advertendum etiam, quòd ſpiritus ſalis communis, vitrioli, nitri, &c. ſinguli per ſe ſoli mineralia, & etiam metalla ſolvere valent, ceu aquæ fortes, quibus etiam plerique loco aquarum fortium utuntur.

Quibus breviter de ſalibus, & ſaliformibus omnibus mineralibus adductis pro virium ſufficientia completum nunc volumus hoc caput de ſalium præparatione. Si verò alia occurrent ſalia vobis præparanda, ſimili methodo tractare poteritis. Nunc ſit

---

CAP. II.

De Magiſteriis Lapidum, Gemmarum, Coralliorum, Unionum, & ſimilium.

LApides pretioſi, Gemmæ dicti, Margaritæ, corallia, & ſimilia non minus ſuo ſpendore, colorum varietate, atque decore humana quævis valent allicere deſideria; verùm etiam magnas in medicâ facultate exhibent virtutes: Siquidem vulgus medicorum, utut in eorum naturæ cognitione cæcutientes, tamen ab eis occultas qualitates ad magnos ſervant, & propinant ægrotorum uſus, & magna, in eo quod neſciunt, concepta ſpe, credunt, dum magni pretij medicamina ægris mi-

miniſtrant; Magna quoque profligare humanæ vitæ mala, ac dum lapides hoſce pretioſos diverſimodè in pulverem tenuiſſimum contritos devorandos ægris exhibent, non minus crumenæ, quàm morbo imponunt, dum ob ſpagyricæ facultatis ignorantiam eorum neſciunt proportionatam præparationem; Unde ſicuti per triturationem non deſinunt eſſe lapides, ità exhibiti omnem eludunt, tàm ægrorum, quàm medicorum, ſicut, & adſtantium ſpem.

Dubia hinc eorum manet apud omnes ferè philoſophos cognitio, ac quò varij variatim de eorum ortu, ac componentibus principiis ſentiunt, eò incertitudinem augent. Hinc aliqui ex puriſſimâ elementorum parte à mutuâ qualitatum colluctatione invicem coagulatâ. Alij iſufficientem videntes elementorum doctrinam, & inſpicientes in hujuſmodi lapidibus veluti aſtrale lumen, hæc inferiora deſerentes ad cæleſtia recurrunt, ac ſingulis Planetis, eorum generationem dicare nituntur. Alii videntes aquam à nimiâ frigoris activitate in glaciem denſatam, gemmeam veluti formam induere; hinc ab analogiſmo ducti, rati ſunt pari ratione gemmarum generationem fieri in terræ viſceribus, ex glaciata ſcilicet aqua ex intentiore frigore ita denſata. Alij videntes vitri duritiem, ad diaphaneitatem caloris beneficio prodire, hinc aſſeruêre pari ratione gemmas ex genere metallico per nimium calorem, vel ſimili aliâ materiâ produci. Alij ex cryſtallino ſale, ſulphure, & mercurio ſuâ invicem activitate coagulari gemmas ex aquâ, & mucilaginoſo mercurio, ſale, & ſulphure alios lapides prodire aſſerunt. Alij ex ſpiritu univerſali Mundi, & humido radicali, ſive ex elementis diverſimodè deſtillatis, ſive ſublimatis in terræ viſceribus coagulatis generari aſſerunt. Alij ex ſpiritu quodam lapidifico. Alij demùm ex ſemine, ſive fermento, & aquâ fieri dixerunt. Nos verò in tanto opinionum conflictu omiſſo in præſenti illarum examine (quippe longæ tractationis res eſſet) ad id quod, praxis demonſtrat, & parat, accidemus.

Et quidem vulgò gemmas, corallia, margaritas, &c. in ſubtiliſſimum pollinem contritas diverſis immiſcent compoſitionibus, quam conſuetudinem ſervant uſque ad præſentem diem, ſic julepum gemmatum, Hyacinthinam confectionem, Alchermes magno vendunt pretio Aromatarij ob gemmarum pulverem, quem admiſtum habent; at duriſſima illa corpuſcula, etſi tenuiſſima à noſtro calore atteri, atque in actum deduci haud poſſe ſatis liquet, nec noſtri corporis meatus ſubire valent.

Gemmæ, & lapides pretioſi duriſſimi pluribus compoſitionibus additi, quantum detrimentum humanæ vitæ inferunt, patefaciam. Notum eſt Adamas, duriſſima gemma, quàm ſubtiliſſimè etiam teratur, & lævigetur, pro ut, & vitrum, nihilominus ventriculum, & inteſtina (quibus tenaciter adhærent, & in eorundem mucorem tenuiſſimis ſuis aculeis ſe ſe inſinuant) ſucceſſu temporis terebrare, aut ad minimum

exulcerare, connatumque eorum mucorem abradere, & conſequenter, vel mortem ipſam vel ſaltim malùm corporis habitum, ob vitiatam exinde ventriculi coctionem, inducere poſſint: At non igitur quid ſimile ab aliis quibuſdam gemmis, & pretioſis lapidibus durioribus, nimirùm Chryſtallo, Smaragdo, Saphyro, Rubino, &c. quæ digeſtioni penitus ſubjecta non ſunt, & caloris noſtri nativi imperium omnimodè reſpuunt, metuendum an ſit, cuivis prudenti diligentius expendendum relinquo.

Illud unum verò juvamen hujuſmodi contritos lapides inferre ſpagyrica edocet facultas, & ipſa experientia demonſtrat, quòd dum quandoque intenſa aciditas ventriculum obſidet, ut plerumque in malignis febribus, aliiſque ſimilibus morbis occurrit, exhibito gemmarum pulvere, nimia illa aciditas corrigitur, dum agit in hujuſmodi pulveres, unde dulceſcit, non ſecus ac limonum ſuccus, vel acetum deſtillatum, aut ſimiles acidi ſucci, dum lapides ſolvunt, eadem actione, quâ ſolvunt, dulceſcunt.

Hinc conjicere poteritis rationem, cur, ipsâ naturâ dictante, fœminæ præcipuè teſtas, lapides, carbones, calcem, & ſimilia appetant, & aliquando ad hujuſmodi depravatum appetitum explendum avidè devorent? Nàm fit hujuſmodi appetitus ex nimio acore ſtomachi, qui ex eorum eſu, ſicuti corrigitur acor ille, ita talis ſedari ſolet appetitus.

Atque ex hac eâdem doctrinâ conjicere poteritis, cur pleræque aves lapides, vitrum, ferrum, &c. devorent, ac comminuant? Nàm tales aves magnam habent in ventriculo aciditatem, cujus ope illa devorant, ac reſolvunt.

Non tamen ob id exiſtimo, quòd prædicti lapides in medicinâ prorſus inutiles ſint, nec eximiis ſuis viribus polleant, præſertim ſi ritè, & debito ſuo menſtruo in liquorem, ſalem, magiſterium, &c. ſoluti ægris propinentur. Hinc ſpagyrici, ut ex eis medicamentoſas eliciant virtutes diverſis artificiis ſolvunt, calcinant, &c. de quibus operationibus infrà in ſingulorum lapidum, vel gemmarum præparationibus agemus. Sit nunc

Art. Primus.

De Coralliorum Præparationibus.

Corallia miro naturæ artificio in maris imo producuntur, ceu arbuſcula creſcentia, & vegetabili veluti vita viventia.

Magna verò lis eſt inter authores, qui de eorum piſcatione agunt, an corallia ſint corpora dura, ſicuti extra aquas maris obſervantur, an mollia, dum in imo maris manent? Et quidem ferè omnium opinio eſt corallia ſub undis molles eſſe herbas, extra verò aquas lapideam induere formam: *Beguinus* autem id negat, ac corallia eandem duritiem retinere ſub undis, ac extra illas habent, inquit, ab experientiâ ductus; nam *lib.* 2. *Tyrocinij Chymici cap.* x. fatetur multos amicos ei confirmaſſe corallia ſub undis dura eſſe, ſicuti extra illas obſervantur, eò

quia illa exploranda dimiſerunt ſub undas, ubi duriora obſervavêre.

Verùm quidquid ſit de hac controverſiâ, cujus veritatem ſcire parum eſt emolumenti, ignorare parum detrimenti; Sat eſt ſcire tres coralliorum eſſe ſpecies, *rubrum, album, & nigrum.* Rubrum corallium omnium cenſetur optimum, album peculiares habet facultates; nigrum verò rariſſimum eſt, & ferè nullius uſus. Nobis verò de rubris tantùm agendum tanquam cœteris perfectioribus, per quorum analogiam alia etiam corallia tractari poterunt.

Quorum primus uſus apud plures nationes eſt tanquam amuletum, & periapton, unde geſtantur à pueris, & à fœminis, ut vi influentiæ eorum vitam præſervent ab epilepſiâ, cordis palpitatione, febribus, uteri ſtrangulationibus, &c. 2. In uſus Medicos vulgaris Medicorum ſchola direxit in pollinem redacta, vel in porphyrite lapide terendo, vel calcinando. 3. Spagyrici ulteriùs eorum naturam trutinantes, duo præcipuè ex coralliis parant, magiſterium, ſal ſcilicet, & tincturam, ex quibus deinde in guſtus gratiam varios componunt ſyrupos, alioſque liquores.

Et quidem *coralliorum ſal* fit eodem modo, ac ſalia ex aliis mineralibus parari ſolent.

♃. *Coralliorum q. v. ac per plures ablutiones à ſale marino, & omni extraneâ fæculentiâ libera, donec nitida, & pulchrum colorem rubrum acquiſiverint, tere minutim, & in aceto ter deſtillato vel ſucco limonum depurato diſſolve, & digere per ij. dies, vel etiam unum, ſolutum ſepara, & corallia, quæ adhuc integra perſeverant, denuò diſſ. & decanta, & ita procede, donec omnia corallia diſſoluta fuerint, ſolutiones omnes filtra, & in urinali ad ſiccitatem uſque deſtilla, & ſal coralliorum manebit in fundo vaſis, quod ut pulchrius evadat diſſolvi poterit in aquâ purâ, filtrari, & iterum coagulari.*

Uſus coralliorum ſicuti multos, eoſque magnos prædicat *Paracelſ.* ita quoque conjiciendum eſt ſal eorum eaſdem retinere vires. Illud verò ſecundum *Paracelſi* ſententiam eſt animadvertendum, quòd corallia debent eſſe lucida, & opt. rubra, nam quò magis de rubore, & lumine participant, eò perfectiores habent virtutes. Si autem obſcura ſint, & non ita nitida, potiùs lædunt, quàm proſunt.

Solvunt inquam primò phantaſmata, ſpectra, faſcinationes, terriculamenta, melancholiam, uteri furores, epilepſiam, &c. 2. Eorum ſal ſanguinem in univerſo corpore mundificando, ferè omnibus humanæ vitæ affectionibus confert; hinc ſiſtit fluxus omnes immodicos, ut muliebres, fluxus ventris, & tàm diarrhœæ, quàm dyſenteriæ; tàm fluxui hepatico, quàm teneſmo mirificè prodeſt, ſanguinis rejectiones per hæmorrhoides eadem ratione corrigit. Menſtruis ſuperfluis, & fluxui uteri albo ſummoperè ſuccurrit. Hinc cum ſit ſummè confortativum, & deobſtruens remedium, poterit ferè omnibus morbis adminiſtrari, ut hydropi, ſpaſmo, epilepſiæ, calculo, ſuffocationi matricis, &c.

Doſis eſt gr. x. xx. uſque ad ℈j. ratione habita ætatis, & vehementiæ morbi. In vehiculis appropriatis.

Ma-

Magiſterium coralliorum paratur hoc modo.

♃. *Coralliorum ſuff. quant. aceti vini opt. deſtillati ad ſuff. eminentiam, ſtent per noctem in calore, ut f. ſolutio, decanta, & filtra per chartam. Mox reliquis adde aliud acetum ad ſolvendum, eò uſque illud repetendo, donec penitùs, quod reliquum eſt, non niſi fæcibus remanentibus, ſolvatur: Colaturæ inſtilla ol. tart. p. d. parati, ut pulvis dejiciatur. Hunc ſeorſum poſitum ablue aquâ fontanâ aliquoties, poſtmodum exſicca, & ad uſum ſerva.*

Eoſdem habet uſus, ac coralliorum ſal, ſed efficaciùs.

Aliqui *oleum coralliorum* parant hoc modo.

♃. *Sal coralliorum, pone in cellâ ſupra marmor menſibus Junio, Julio, & Auguſto, & in liquorem ſolvetur, quem, addito roſarum ſpiritu optimo, aliquandiù circulare, & ad uſus neceſſarios ſervare poteris.*

Sed oleum coralliorum propriè oleum non eſt, ſed liquor per deliquium factus.

Tincturam verò coralliorum varij variis deſcribunt modis, qui an veri ſint ambigo; adducam ergò præcipuos ſingulorum authorum, ut meliorem deinde eligere poſſitis.

Et quidem primò *Beguinus lib. 2. ſui Tyrocinij Chymici cap.* x. multos tradit modos extrahendi *coralliorum tincturam*, præcipuus verò hic eſt, ut

♃. *Corallia, tere, & cum ana ſalis petræ per integrum diem igne moderato calcinentur, ut ſimul cum nitro fuſa maneant, deinde mediis ablutionibus coralliorum pollinem à nitro vindica, & ex pulvere coralliorum ſiccato tincturam extrahe cum ſpiritu vini digerendo per* 24. *horas toties, donec nullus color ei transfundatur. Quæ remanet coralliorum materia cum alio nitro, ut diximus, iterùm calcinetur, & eodem modo ſeparato nitro, tincturam extrahe, ac ita procede calcinando, lavando, & ſpiritum vini affundendo, atque digerendo, & decantando, & iterùm reaffundendo, donec omnem coralliorum tincturam extraxeris.*

Hunc etiam modum deſcribit *Paracelſ. lib. 6. Archidox.* ſub nomine magiſterij coralliorum, quo etiam modo parat ipſe magiſteria ex gemmis, aliiſque lapidibus, ſed in eo à præfato *Beguini* modo differre videtur, quòd *Paracelſ.* ea in calcem reſolui vult ſimul cum nitro, non autem ſimpliciter colliquari.

Secundò *Poterius* poſtquam aliorum modos extrahendi *tincturam ex coralliis* improbaſſet, hunc tanquam aliis meliorem ex Quercet. adducit.

♃. *Salis corall. modo, quo diximus, extracti variis ſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus, depurati lib. j. retortæ luto munitæ inde, atque blando igne, primùm phlegma, ſeu aquam inſipidam prolice, auge deinde ignem, & mutato recipiente, ſpiritum æthereum flagrantem elice cum exiguâ portiunculâ olei veri etiam flagrantiſſima, & rubicundiſſima.*

Tertiò *Crollius* in ſuâ Baſilicâ etiam multos tradit modos extrahendi *coralliorum tincturam*, præcipuus verò ſequens eſt.

♃. *Corallia integra, priùs tamen opt. lota, calcina igne reverberij, primùm lento, ut ſaltem vivâ flammâ corallia in teſtis, ſive tigillis terreis in furno reverberij poſita, ſuperficie tenus tangat. Corallia hoc modo primo gradu albeſcunt, coloremque nativum abſcondunt. Tandiù verò gradibus ignis invicem ſuccedentibus coralliorum corpus eſt fatigandum, donec ex albedine*

in

in flavedinem, & ex flavedine in rubedinem ſummam reducantur, corpore toto reddito ſpongioſo, & levi, id quod plerumque biduo, vel triduo abſolvitur. Hoc igitur ſignum dum in promptu fuerit, tunc demùm corallia beneficio graduum ignis facta ſunt habilia ad propriam tincturam in aliud menſtruum deponendam. Sic itaque præparata corallia ſi in ſpiritum vini, vel in alkohol ſpiritus roris majalis injiciantur, paulò poſt ſponte ſuâ in id idem alkohol tincturam deponunt, facibus illis ſine ulla virtute in fundo remanentibus. Tinctura igitur hæc, aliquantulum menſtruo vini per deſtillationem inde ablato, fit rubicundiſſima cum quadam dulcedine.

Hæc ille, ac ejus vires, & uſum deindè deſcribens inquit: *Eſt tantarum virium, ut poſt ejus uſum aliquoties repetitum impoſſibile ſit ullam impuritatem in ſanguinem totius corporis humani ſuperſtitem eſſe poſſe.*

Exhibetur in vehiculis convenientibus à gutt. iij. ad vj. & x. Hæc ſanè tinctura coralliorum Medico commendatiſſima eſſe debet ob ſtupendas ejus vires, ut quæ cum ſpiritibus hominum magnam convenientiam habet.

Hæ ſunt præcipuæ coralliorum tincturæ deſcriptiones, ſi plures optas, apud varios authores innumeras invenies, quæ an veræ tincturæ ſint, an potiùs impoſturæ, manualis experientia te certiorem reddet. Miror ſanè eruditiſſimos, & de arte ſpagyricâ benè meritos viros de eâ præparandâ tàm falsò ſcripſiſſe; Nam ſunt meræ ſolutiones, & calcinationes, & facili negotio, ſalium, vel ſpirituum acidorum beneficio in pulverem album præcipitantur: abſtratione dein menſtrui, deſtillando, vel evaporando, ſimiliter in ſalinum pulverem album rediguntur. Genuina coralliorum tinctura non oritur ex tàm ingentibus torturis, tàm diuturnis laboribus, & tàm variis, & violentis calcinationibus, quibus potiùs ea deſtruimus, quàm aliquid boni ex ipſis elicimus. Oritur quandòque non ex coralliis, ſed potius, vel ex affuſo menſtruo, vel ex digeſtione affuſi liquoris, & ſic inefficaces, nec examina ſuſtinent, nec voto reſpondent putatitiæ illæ coralliorum tincturæ. Quidam impoſtores, & pſeudochymici, qui vix chymiam à primo limine ſalutaverunt, gloriantur, & ſe jactitant de ſingulari aliqua coralliorum tincturæ præparatione, & circumferunt aliquas ſolutiones ſubrubras, eaſque falsò pro prædicta tinctura pharmacopolis venditant, ſed ſubrubras infuſione granorum Kermes, vel ſantali rubri reddunt. Hoc idem in ſyrup. coralliorum confectione efficiunt. Dantur equidem quædam menſtrua, quæ ex coralliis genuinam extrahunt tincturam, ſed non omnibus dantur.

Adſunt etiam aliæ coralliorum præparationes, ut Butyrum, flores, ſpiritus, &c. in quarum deſcriptione non moror, cum ad has relatas, ſi quæ aliæ ſunt, reducantur.

Habent verò genuinæ coralliorum tincturæ eaſdem vires, ac ſupra diximus de eorum ſale, ſed excellentiores, & efficaciores, unde perfectiùs, & celeriùs operantur, quàm ſal.

Art. Secundus.

De Margaritis.

Margaritæ nobilium mulierum delitiæ, & oblectamentum, nec non ornamentum, uniones etiam appellantur, cum hac tamen differentia, quòd parvæ margaritæ perlæ appellantur, majores verò uniones dicuntur.

Earum productio è conchis eſſe creditur, quaſi illarum in imo pelagi exiſtentium partus, ac genitura, unde, & ſemini adaugendo, nec non vitæ ſpiritui vivificando plurimùm conferre compertum habemus.

Nobis ex Indiâ Orientali, & Occidentali aſportantur, quibus in locis arte perforantur omnes; Dos omnis earum in magnitudine, lævore, pondere, & præcipuè in candore, & ſplendore latet, quales eſſe circumfertur, quæ in Orientali mare piſcantur. Nam quæ naſcuntur in Oceano Occidentali, præſertim in Scoto, & Anglico ſinu parvæ ſunt, non adeò pellucidæ, ut Orientalibus comparari poſſint.

Fertur eas primùm Arabes medicamentis cardiacis immiſcuiſſe, quos ſecuti Græci, eas porphyrite lapide tritas exhibuiſſe. Demùm Hermetici eas diſſolutas, & in liquorem verſas, ut faciliùs permeare, atque à calore noſtro ſubjici poſſint, ægris propinavêre.

Haud verò diſſimili modo, ac de coralliis diximus, parantur & margaritæ, tàm ſcilicet ſal, ſolvendo eas paratur, quàm etiam earundem ſal deſtillando, ut diximus ſupra in ſecundo modo extrahendi coralliorum tincturam, paratur perlarum eſſentia. Parant etiam alio modo *perlarum eſſentiam* alij authores, quam etiam *perlarum oleum* appellant, ut

℞. *Electam perlarum quantitatem, quam ſolve in aceto vini deſtillato. Remove deinde acetum per deſtillationem, & ſal perlarum denuò in novo aceto deſtillato diſſolve, abſtrahe denuò per deſtillationem ad ſiccitatem uſque, ac deinde diſſolve aquâ communi deſtillata, & iterùm deſtilla toties, donec ſummam dulcedinem perlas acquiſiviſſe conjicies. Et hoc etiam ſal vocatur magiſterium perlarum. Deinde huic ſali perlarum defæcatiſſimo in phialâ affunde vini ſpiritum rectiſicatum ad 2. digitorum eminentiam, ac orificio vaſis opt. clauſo, illud ad digerendum pone in calore B. per* viij. *vel* x. *dies, quo tempore margaritæ eſſentiam ſuam olei ad inſtar ſpiſſi ad ſuperficiem ipſius ſpiritus vini remittunt, quam cautè ſepara, & alio vini ſpiritu ſuperaffuſo, æquali operationis ſpatio, digeſtione adhibita, eam toties collige, quoties viſum fuerit. Convertetur namque hoc modo totum ſal, relictis pauciſſimis fæcibus, in eſſentiam, ſeu oleum. Quod denuò cum ſpiritu vini aliquandiù circula, poſtea leni deſtillatione B. ſpiritum vini ſepara, & ſerva. Eadem deinde perlarum eſſentia cum ſpiritu vini ex retortâ proportionato calore pluribus inſtitutis cohobiis, tandem tota fit volatilis per retortam tranſiens.*

Uſus verò, & vires hujuſmodi perlarum eſſentiæ magnæ ſunt 1. Enim cardiacum eſt nobiliſſimum, vitæ ſpiritum confortando, unde corpus ſanum conſervat, læſumque priſtinæ ſanitati reſtituit. Lac muliebre emendat, utriuſque ſexus ſemen adauget, & corrigit. Cerebrum con-

confortat, unde & memoriæ conducit. 2. Summum eſt in omnibus ferè morbis præſidium, præſertim in contracturis, reſolutione nervorum, phrenitide, apoplexiâ, tabe, paralyſi ad gr. x. bis in ſeptimanâ. In epilepſiâ, ſi per 6. ſeptimanas mane, & veſperi jejuno ſtomacho eâ utatur æger. Ac demùm ferè omnium morborum ſingulare eſt medicamentum, tàm curativum, quàm præſervativum. Doſis gr. v. x. uſque ad xv. in aquis confortantibus, ut cinnam. caryophyll. &c.

Ex quibus etiam conjicere poteritis ſalis, ſive magiſterij perlarum uſus, & vires, licet aliquantò inferiores. Doſis verò ſalis, ſive magiſterij perlarum eſt à gr. x. xxv. uſque ad ʒj. in aquis convenientibus, vel in opt. vino dulci, vel etiam in ovo ſorbili, &c.

Art. Tertius.

De Gemmis.

INter mineralium divitias potiſſimum locum obtinent gemmæ, ſeu lapides pretioſi; Si quidem ob eorum varios colores, formoſitatem, atque ſplendores, neſcio an terrena ſydera, an ſydereos lapides è cæleſtibus hauſto ſemine in terris generatos ſuperbo naturæ conatu obſerves. Ecquis non miratur in hujuſmodi gemmis aſtralem veluti virtutem radio tenus in nobis operantem?

Varij autem ſunt hujuſmodi lapides pretioſi, colore, & ſplendore invicem diſtincti, ut *Smaragdus, Adamas, Hyacinthus, Saphyrus, Rubinus, Carbunculus, Topatius, Chryſolitus, Ametiſtus, Cryſtallus, &c.* de eorum verò virtutibus parùm, aut nihil cognitum fuiſſe patet, quia quotquot de eis ſcripſère tantùm circa eorum cortices, colores ſcilicet, ſplendores, & cœtera verſantur; de nucleo, aut parum, vel nihil certi, ſed ſolùm ſolâ opinione ducti citra ullam experientiam pauca commentati ſunt.

Modicæ autem gemmarum præparationes, quæ vulgò extant, utut extollantur à Medicorum vulgarium cohorte, varias prædicando de gemmatis confectionibus dotes in roborandis viribus, morborum maligna pernice propulſanda, &c. Nos ſemper parare fecimus; Nàm licet auro, argento, & gemmarum pulvere refertæ ſint tales compoſitiones, tamen longè à medicamenti naturâ, & conditionibus alienæ ſunt, quandiù in ſuo eſſe immutatæ manent.

Remur autem cum communi Chymicorum ſcholâ, quòd ſi hujuſmodi lapides proportionali ſolutione, ut eorum expoſcit natura, præparentur, ſuas non ſecus ac metalla exhibere virtutes. Verùm circa gemmarum præparationem parùm, vel nihil inſudaſſe majoris notæ ſpagyricos reperimus, an quia rara eſt earum copia, aut quia majora exhibent medicamina alia mineralia, minoris quidem pretij, facilioris præparationis, & efficacioribus prædita dotibus, ut infrà dicemus.

Paracelſ. verò non ſecus ac è coralliis, duo parat medicamina è gemmis, *magiſterium*, ſeu, *ſal*, & *eſſentiam*, ſeu *tincturam*, & quidem primò ità deſcribit *lib. 6. Archidox.*

℞. Gemmas primò contritas, & calcinatas juxta reverberatoriam conditionem,

nem, & ſal nitrum commune, pondere quidem æquali, nempè lib. quæ ſimul in calcem opt. comburantur, & poſtmodum abluantur ardenti vino tamdiù, donec ampliùs materia nulla ſuperflua ſit reperta. Poſt ablutionem rurſus hanc materiam calcina, & per omnia fac, ut priùs, & ſic totum in vinum ardens tranſit. Hoc per ebullitionem evaporare ſinito, ſic habebis alkali, quod reſolutum in aquam ſervato.

Uſum, & doſim hujus magiſterij deſcribens, inquit: *hujus adminiſtratur, uſum non eſt cur abhorreas, licet utcumque ſit acutum, & calcinatum, cum eâ quidem acuitate ſolùm id operetur, quod ſibi reluctatur: eſtque tàm ſubtile, ut gutta unica ſola totum corpus tingat in ſingularem virtutem.*

In x. *Archidox. cap.* 3. hæc habet de de gemmarum magiſterij præparatione: *Magiſterium verò eſt, ut illas primùm cum ſulphure calcines per* 4. *horas, reverberes, ac poſtea cum nitro comburas, demùm cum aquâ ſimplici coquas horis* 8. *filtres coagules, & cum vini ſpiritu extrahas.*

Ex quibus *Paracelſi* verbis hunc poteris collire modum parandi *magiſterium gemmarum*, juxta cujus tenorem procedere clariùs poteris.

℞. Gemmarum, & ſulphuris opt. an. lib. j. *calcina in igne reverberij per horas* 4. *deinde iterùm calcina cum lib. nitri, & opt. reverbera, ut quoad fieri poterit partes earum diſcontinuentur, deinde fac ebullire hanc calcem cum aquâ communi per horas* 8. *ut media ebullitione gemmarum ſal aquâ ſolvatur, aquam filtra, & ſi aliquid calcis indiſſolutum perſeverabit, iterùm ut ſuprà cum nitri ana calcina, & in aquâ fac ebullire toties, donec tota calx in aquâ ſolvatur, aquam deinde filtratam fac evaporare, & in fundo vaſis alkali gemmarum reperies. Extrahe iterùm cum ſpiritu vini donec tota maſſa in ſpiritum vini tranſeat, coagula ſi vis, & ſerva.*

Eſſentiam verò, ſive *tincturam gemmarum*, ſic *lib. Archidox.* 4. *deſcribit idem Paracelſus.*

℞. Gemmas, aut margaritas, vel uniones, contundas in fragmenta craſſiuſcula, non in pulverem, & in vitrum poſitis acetum radicis affunde, ut IV. *aut* V. *digitis latis ſuperemineat, & integro menſe digerantur in ventre equino, quo peracto, materia tota liquida apparebit. Hanc alio radicato lavabis aceto, concutiendoque ſimul permiſceto: Sic recipit acetum in ſe lapidis colorem. Coloratum in vitrum aliud effundes, acetum rurſus affunde, prout antea, toties donec ampliùs non coloretur. In iſto colore continetur eſſentia quinta, reſiduum eſt corpus. Accipe deinde colores, & in ſiccitatem lentè coqui ſinito, poſtmodùm aqua deſtillata ſæpiùs abluito, quò uſque dulce fiat, ut ſupra, &c. Tandem hunc pulverem ſuper marmor ſolui permitte: gemmarum, & unionum ad hunc modum habebis eſſentiam quintam.*

Aliam verò gemmarum deſcriptionem in x. *Archidox. lib.* tradere videtur, ubi primùm gemmas per ſulphur calcinari, ac poſtea in radicato aceto diſſolvi, putrefieri, ac dein eſſentiam in ſpiritu vini ſeparari vult. Poterit etiam *gemmarum eſſentia* hunc in modum parari ſecundum *Fabri deſcriptionem lib.* 3. *Myrothecij ſpagyrici cap.* 18.

℞. Gemmarum fruſtula, & ter, vel quater cum pari quantitate ſulphuris, & ſalis petræ in tigillo ignies, & calcinabis, repetitis ignitionibus, ſeu calcinationibus, donec pulvis albiſſimus ſit: tunc lavabis hunc pulverem aquâ tepidâ, & à ſale

vindicabis : & deſiccatum ignies per ij. dies, ac deinde ita candentem, ſi fieri poteſt, injice in vitrum ſpiritu ſalis rectificato plenum, pedetentim injiciendo, nè nimis ebulliendo ſalis ſpiritus effundatur: ceſſata ebullitione, injice ambo in matracium, & clauſo orificio vaſis in B. bulliente digere per xv. dies; donec ſolvatur pulvis, qui ſi in primâ digeſtione totus non ſolvatur, effuſo per inclinationem primo ſpiritu, affunde novum ſalis ſpiritum, & digere, ut priùs, toties, quoties omnis pulvis ſolutus fuerit. Has omnes ſolutiones vitro claude, & dig re in B. tepenti per menſem, ut meliùs ſolvatur, & in aquam tranſeat quidquid tempore breviori ſolui non potuit. Deinde per retortam deſtillanda eſt aqua ſpirituoſa ſalis: ultimò augendo ignem, mutato vaſe recipiente, colligenda eſt gemmæ tinctura, quæ ſi ex ſmaragdo fuerit, erit viridis, ſi ex rubino rubicundiſſima, &c. quæ ſi tota non aſcendit, ſed maneat aliquid in fundo retortæ, quod habeat aliquid conſiſtentiæ, iterùm id omne diſſolvendum eſt cum egreſſo ſpiritu ſalis, & per aliquot dies digerendum, & deſtillandum per retortam, donec tota ſubſtantia gemmæ aſcendat, quæ ſi opt. non colorata erit eſſentia, connectenda erit, & digerenda cum novis gemmis ejuſdem ſpeciei, & ſervanda ad magnos uſus Medicos.

Eſt nàmque hujuſmodi tinctura ſummè confortans, medicamentum cardiacum, ideò tanquam arcanum magnum in omnibus ferè morbis, renum, veſicæ, & calculis, nec non ulcerum, & vulnerum ferè omnium balſamum exteriùs appoſitum erit.

Doſis eſt ℈j. ad ʒj. quacumque hora ſecundum morbi conditionem, ſi autem tempus eligi poterit; exhiberi debet mane jejuno ſtomacho, in aquis confortantibus, &c. Exteriùs verò cum goſſipio applicatur.

Atque ex his conjicere poteritis cæterorum lapidum, tàm prætioſorum, quàm quorumcumque aliorum præparationes. Hic autem non moror in adducendis aliorum lapidum virtutibus, ac peculiaribus præparationibus, tùm quia illæ poſſunt videri apud varios authores, tùm quia per tempus non licet, niſi in magis neceſſariis, & utilibus commorari; ideò ſit

---

Cap. III.

De Sulphuris, Antimonij, Mercurij, & ſimilium hujuſmodi foſſilium præparationibus.

NOn minorem occupant locum in ſpagyricâ facultate hujuſmodi mineralia; nam nobiliora parant ex his medicamina, quàm ex perfectis quibuſcumque metallis, & nobiliſſimis mineralibus ſpagyrici, ut infra patebit. Imò omnium Chymicorum opera magis in his perficiendis, ac præparandis, quàm tota verſatur. Circa horum igitur anatomen, & nos omni quo poterimus ſtudio, laborabimus; Sit igitur

Art. Primus.

De Sulphure.

SUlphur reſinoſum, ac pingue minerale mirandis virtutibus, & energiis in operando ita præditum eſt, ut ejus activitatem nihil remoretur, tellus repentino concutiatur-

fra-

fragore, ſubterraneique Orbis tenet ſceptra. Eſt nàmque veluti terræ pinguedo quædam combuſtibilis jugi fermentatione in terræ viſceribus gliſcens, in flavam, & ſubviridem veluti formam concreſcens; ex cujus quandoque æſtubus ſubterraneus producitur ignis, ac portentoſo naturæ prodigio æſtuans, impatienſque æthera petens, prodigioſos Orbis tremores patrat, montiumque hiatus; unde innumera oppida, & civitates, nè dicam regiones, hujus Vulcani eruptione ſubverſæ, abolitæ, & quaſi telluris barathro ad univerſitatis centrum hiante, abſortæ, in favillas, & cineres redactæ in fumum abiere. Fumum eructant etiamnùm funeſti Ætnæ in Trinacriâ, fori Vulcani in Puteolano, ac flammivomi Veſevi in Campaniâ, montana cacumina, ſubjectiſque accolis climactericos minitantur annos, periodicas eruptiones, ſulphureoſque torrentes latè omnia devaſtantes. Undè, etſi natura ignitis terriculamentis ſubjectas in Urbes incendia minitari videtur, ſuos tamen terrores in languentium ſolamen, & medelam contorquet, dum thermæ ſulphureæ, quæ omnes pro maxima ſui parte, ex ſulphure ſubterraneo accenſo conſtant, & ortum ducunt, vel calentibus antris, vel mineralibus aquis in morborum perniciem, montium viſcera pandunt, & languentes gratioſè admittunt, fovent, & ſanant.

Duplex autem ſulphur à ſpagyricis aſſignatur, aliud tanquam vitæ principium in rerum omnium compoſitione, utque cauſa conſtitutiva ingreditur, quòd à quàmplurimis ſpagyricis ſulphuris nomine inſignitur cum *Paracelſo*. Sic omnia metalla ex mercurio, ſale, & ſulphure, velut ex conſtitutivis principiis componi, & in eadem reſolvi aſſerunt; Aliud vero ſulphur minerale dicitur.

Rurſus minerale hoc ſulphur duplex eſt, unum, quod quia ignem non adhuc expertum eſt, ſed ſpontè in minerâ naſcitur, dicitur hoc ſulphur vivum, quia nitedulæ adinſtar lucidum eſt; alterum verò ſulphur ignem expertum flavi, vel ſubviridis coloris eſt, probaturque quia pingue admodum ſpectatur.

Minerale igitur hoc ſulphur multipliciter ab arte ſpagyricâ præparatum multa nobis exhibet remedia, crudum namque ſecundum *Paracelſi* ſententiam in *lib. de natural. reb. cap. 7.* minimè uſurpari debet, ſed tantùm à ſuis fæcibus liberatum; diverſimodè igitur per ignem excruciatum, diverſa præbet medicamina, ut flores, balſamum, tincturam, lac, butyrum, acidum liquorem, vulgò ſulphuris oleum dictum, & ſimilia.

Et quidem primò per ſublimationem ſæpiùs repetitam aliqui *ſulphuris flores*, parant vulgari chymicorum more, nihil cum ipſo ſulphure admiſcendo, ut ipſum ſulphur purius, & ſubtilius reddant, purgando illud à terreſtribus ſuis recrementis, quæ in ſublimatione non aſcendunt. Alij admiſcent eidem talia, quæ ejus liquefactionem impediunt. Inter quæ aliqui colchotar, ſeu caput mortuum vitrioli adjungunt. Totus ſublimationis cardo in eo conſiſtit, ut tale, quid ſulphuri commiſceamus, pro ejus ſublimatione, quod illi de virtutibus ſuis, ne quidquam detrahere,

re, vel ex parte deſtruere valeat: Nec etiam tale ſubjectum in quod ſulphur ipſum ſuo ſpiritu acido agere, adeoque vi adjecti diſſipari vel in aliud transmutari poſſit. Hoc colchotar, ſeu vitriolum calcinatum facit, ubi ſulphur in ſublimatione ſuo ſpiritu acido agit in illa metalla calcinata, & mineralia, quæ occultè in colchotare adhuc latent, pro ut ſulphur accenſum quædam metalla diſſolvere, ſolet, & *in agendo patitur, & patiendo debilitatur*, & *ex parte deſtruitur*. Igitur ea ſulphuri admiſceri debent, in quæ ſulphur non agere, nec admiſtorum reactione pati, nè majori ex parte diſſipari, & deſtrui poſſit. Talia erunt ſal communis, vel gemmæ decrepitatus, item alumen opt. calcinatum, quorum ſalium admiſtione plus duplo florum ſulphuris adipiſcemur. Sal decrepitatus, vel alumen calcinatum igitur in florum ſulphuris præparatione admiſceatur, à cujus ſpiritibus ſulphur ipſum in ſuis virtutibus magis intenditur, ideò

℞. *Sulph. lib. j. ſalis decrepitati lib. ij. pulverizentur, & miſceantur, & imponantur cucurbitæ vitreæ, cui ſuperponatur alembicus altus, & capax, cui vas recipiens adapta. Collocetur cucurbita in cinerib. vel arenâ, dando lentum nimis ignem, nam poſt 2. vel 3. horas phlegmatis aliquid deſtillabit, & durabit per 4. vel 5. horas. Auge ſenſim ignem, ac tandem ultimum carbonum gradum, ut tigill. in quo eſt arena, rubeat, nec tantus ſit ita excedens ignis, quia non flavo ſed nigro aſcendent colore flores, ſed ſit tantus, ut detineatur ipſum in fluxu in cucurbitâ. Flores elevatos exime à capitello, & ſi ſublimatio non adhuc fuerit completa, & cucurbita adhuc calens erit, citò orificium ejus tege, ne ſulphur ab aëre aperto accendatur* (*ut ſæpe eventus me docuit*). *Amotis floribus, iterùm citò repone capitellum, & ignem continua ad 10. horas, refrigeratis, poſt abſolutam ſublimationem, vaſis, & omnibus collectis floribus, caput mortuum remanet friabile, & poroſum, ac prunis aſperſum non ampliùs ardet, quod eſt ſignum privationis omnis ſubſtantiæ ſulphureæ. Rurſus hos flores miſce cum novo ſale com. decrepitato, ſublima, & habebis ſulphuris flores tenuiſſimos, & puriſſimos, & pro qualibet lib. ſulph. ℥iij. circiter florum.*

Vires, & hujuſmodi florum uſus ſulphuris plures ſunt, & primò ſunt multorum morborum prophilacticon, ſeu præſervativum, quàm curativum medicamen, præſervant namque à peſte, febribus, &c. & curare valent omnem tuſſim, ſive ea recens ſit, ſive antiqua, pro quâ ſic ex eis ſolent tabellas conficere.

℞. *Flor. ſulph.* ʒj. *pulv. ireos* ʒij. *ſacch. alb. in aq. roſ. ſolut.* ℥iij. *f. tabellulæ, vel rotulæ, ut artis eſt.*

Quarum uſus eſt in tuſſi, & ſimilibus etiam pectoris affectibus, eas in die frequenter in ore habendo.

Similiter poterit in omnibus ferè pectoris, & pulmonum affectibus tanquam ſpecificum medicamentum propinari, ut aſthamate, phthiſi, tuſſi, pectoralibuſque omnibus catarrhis, &c.

Eſt etiam diaphoreticum, ſi cum convenienti vehiculo exhibeantur, unde cum ſit noſtri corporis impuritatum correctivum, ac abſterſivum, poterit ſummo cum juvamine exhiberi in omnibus illis morbis, qui (ut vulgò ajunt) exſiccatione indigent.

Doſis

Doſis à ℈ß. ad j. habitâ ratione ætatis, & virium in curatione, in præſervatione autem gr. viij. vel x.

Paracelſ. verò hanc eandem operationem etiam perficit elevando ſulphur ab aloë epaticâ, & myrrhâ ſecundâ, vel tertiâ vice, ut ſupra diximus, quo modo præſervativum ſummum eſt in peſte, pleuritide, omnibus apoſtematibus, & putredinibus corporis, ſi ſumatur manè jejuno ſtomacho, conficitque flores hujuſmodi ſuphuris ſequenti modo.

℞. *Sulph. purgati, ſeu flor. ſulph. ita præparat.* ℥x. *Myrrh. rubr.* ℥iß. *Aloës epat.* ℥j. *Croci Orient.* ʒß. *M. f. pulvis.*

Doſis poterit exhiberi ſimiliter à ℈ß. ad ℈j. in aquâ cinnam. caryophyll. &c.

Secundò paratur ex ſulphure aliud magiſterium, quod dicitur *lac, cremor,* ſive *butyrum ſulphuris*, ſequenti modo.

℞. *Flor. ſulph.* ℥j. *ſalis tart.* ℥iij. *m. & ſurperfunde aquæ communis lib.* IV. *digere in arenâ per diem naturalem, ità ut ſub finem aqua ferè bulliat, & ſulph. penè omne ſolutum fuerit, poſtea filtra calidè per chartam emporeticam, & ſuperaffunde aceti deſtillati q. ſ. ſic cremor lacteus ſulphuris paulatim præcipitabitur. Separa diſſolvens per inclinationem, & iteratis ablutionibus, materiam edulcora. Ultimò digere cum ſpiritu vini, & exſicca, & ſic habebis lac, ſeu butyrum, vel cremorem ſulphuris albiſſimum.*

Uſus hujus magiſterij eſt in confortando vitæ ſpiritum, ſeu vires naturales: ſanguinem purificat, morbos pectoris, & pulmonum, ut tuſſim, aſthma, deſtillationes, phthiſim curat. In exſiccandis catarrhis, ventoſitatibus ſtomachi, &c. Eſt etiam peſtis, phthiſis, iſchiadis, podagræ, & ſimilium morborum præſervativum.

Doſis ejus eſt, quantum ad vehiculum albo colore tingendum ſufficit, exhibetur mane, & veſperi cochlear. j. miſcetur cum aquâ cinnam. caryophyll. ſpiritu vini, &c.

Tertiò, paratur ex *ſulph. oleum, ſeu liquor*, non ſecus ac vitrioli ſpiritus aceſcens.

℞. *Sulph. triti lib.* j. *vel etiam plus, pone in vaſe terreo ſub campanâ vitreâ, & adaptetur vas terreum ſub campanâ, ita ut dum accenditur ſulphur, fumi egredientes flammam non ſuffocent, ſed ut liberè in illam evecti in liquorem denſentur, qui in vaſa ſuppoſito deſtillet, ac dein accenſa, ac combuſta priori portione ſulphuris, alia apponatur, & ſimili modo accendatur, & habebis ol. ſulph. acidiſſimum, ita ut ſi benè operatus fueris, ex lib.* j. *ſulph. habebis* ℥j. *olei.*

Uſus hujus liquoris eſt ferè idem, ac vitrioli ol. commiſceri namque poteſt cum ſyrup. aquis, &c. ad febrium immoderatam ſitim tollendam, &c. ut de vitrioli ſpiritu ſupra diximus, eadem doſi.

Sulphuris ſpiritus, ut diximus, peculiarem modum deſtillandi expetit diverſum ab omnibus aliis, nempè per campanam vitream, unde licet artificioſè operatus fueris, tamen ex ſulphuris ℔. j. vix ℥ß. aut j. excipies, reſtantibus paucis, & exiguis recrementis, è quibus, ſi in magnâ copiâ colligantur, parum ſalis ſulphuris elixiviatur. Reliquæ ſulphuris partes integrantes & ſubſtantificæ in auras evanuerunt, quas poſſe revocare, & coartare impoſſibile eſt. Quidam Chymici alios modos ejuſdem ſpiritum deſtillandi ten-

tentârunt, ne omnes ſulphuris ſpiritus ſubtiliores, qui in deſtillatione per campanam maxima ex parte in auras abeunt, ſtrictiùs conſervarent; verùm oleum, & operam perdiderunt. Requiritur igitur ad ſulphuris oleum eliciendum per communem deſtillationem, aliquod, quod ſulphuri per minima immiſtum ſit veluti vinculum, quod ſulphur à ſublimatione impediat, (neſcio tamen an ſublimet in igne ſuppreſſionis) ſed liquatum permaneat, & ejus acidos ſpiritus edere ſinat. Quod nam ſit hoc, Chymicis ingenij ſagacioribus adinveniendum relinquo.

Quartò ex ſulphure *balſamum* ſequenti modo cum Terebinthinæ ſpiritu conficitur, ut

℞. Flor. ſulph. ℥ij. ſpiritus terebinth. ℥iv. m. & vitrum in arena colloca, ut ſpatio 8. hor. lentè bulliat, & inſtar ſanguinis coloretur. Deinde ſpiritum tinctum decanta, & alium rurſum affunde, & eodem modo procede toties, quoties ſpiritus ab his tinctus prodierit. Spiritum hunc tinctum deinde deſtilla, & per deſtillationem ſpiritum prolicies, remanente tincturâ in fundo alembici in formam extracti, quam tincturam, ut priorem reddas, iterùm per vini ſpiritum extrahe, poteris & coagulare.

Quod magiſterium appellatur, & ab aliquibus *rubinus ſulphuris*, cujus uſus eſt contra phthiſim, quippè valet ad ulcera pulmonum conſolidanda, præſervat à peſte, aliiſque morbis contagioſis. Hoc balſamum utiliſſimum eſt ad ulcera ſananda, etſi maligna, & peſſimi moris. Valet etiam veſicæ excoriationi, & urinæ ſuppreſſioni ſuccurrere.

Ejus etiam tinctura cum ſpiritu vini extracta valet ad tuſſim, alioſque pectoris affectus curandos.

Paratur etiam alio modo *balſamum* per deſtillationem hoc pacto, quod ad extrinſecos uſus optimum eſt.

℞. Flor. ſulph. lib. ß. olei lini, vel etiam com. lib. jß. coquantur parùm ſimul in vaſe terreo vitreato, ſpatulâ ferreâ ſemper movendo, igne leni, ad mellis ſpiſſitudinem coque. Poſt ſuper marmor affundatur, ut refrigeſcat, quo in tenues partes ſciſſo, per retortam deſtilla, & habebis ol. ſubnigrum, fœtidum, & gravè olens. Si verò volueris graveolentiam corrigere, poteris per aliquot vices ſupra caput mortuum cohobare.

Plures ſunt hujuſmodi ol. uſus, præſertim in nervorum convulſionibus, aliiſque affectibus, ut doloribus, frigidis tumoribus, &c. Valet ad vulnera, vel ſe ſolo, vel etiam in aliis unguentis adhibitum.

Parant denique *tincturam ſulphuris tartarizatam*, pro quâ primò *hepar ſulphuris* paratur, ut

℞. Sulphuris crudi, aut ejuſdem florum, & ſalis tartari puri partes æquales, leniter ſimul liquando in patellâ terreâ, cavendo tamen nè flammam ſulphur concipiat. Ex hoc hepate, vel maſſâ, in pulverem redacta, extrahatur, beneficio ſpiritus vini rectificati, repetitis vicibus, affuſi ſulphuris rubedo, & eſſentia, quæ peracta extractione à copiâ ſpiritus vini per abſtractionem in MB. liberanda, & uſui Medico aſſervanda eſt.

Præſtat in morbis contagioſis, ac peſte ipsâ, à qua præſervat: obſtructiones viſcerum naturalium reſerat, ac morbis etiam pectoris medetur.

Atque hæc de ſulphuris præparationibus breviter ſatis ſint dicta. Aliæ ſi forſan ſunt apud alios authores

res eæ cum explicatis à nobis coincidunt. Nunc verò ſit

Art. Secundus.

De Antimonio.

Illius quidem mineralis examen aggredimur, quod tantoperè garrula, & inexperta vulgarium medicorum caterva, tanquàm deteſtabile, & exitiale venenum blaterant, allatrant, divulgant, quibus imperita, & ſtolida plæbeculæ pars adulatur; Chymicoſque deteſtantes, eò quia hoc minerale tractant, eo errore perculſi, ac ſi mortiferum aliquod monſtrum tale minerale eſſet. Non Antimonium, ſed *Anti*, & *Dæmonium* i. æquale Dæmonio appellitant. Relegent, proſcribant, contemnantque antimonium, & cum reliquis venenis repudient hi, quorum rerum naturalium ſcientia ſcrutinium obiter, & ſaltim tumultuariè comprehendit; at non mirum, ſi extra limites non proſiliunt, cum eorum judicium ſit limitatum. Hos excuſo blaterones, qui ab antimonio abhorrent, illudque pro deleterio dijudicant, & hortor, nè ignito pharmaco ſe concredant, cujus virtus, & energia adhuc deſideratur. Qui hujus mineralis indolem, dotes, & vires intimè non penetravit, potiùs fuga ſibi conſulat, quàm ut temerè illud aliis conſulat. Eſt enim antimonium dextrè à ſpagyricis paratum tàm auxiliare medicamen, ut chronicos deploratoſque morbos profliget; at non ritè præparatum, tanquàm culter in puſionis manu, aut tanquàm enſis bifidus in ſtulti dextrâ. Verumenimverò proſcriptionis, & quærelarum ſuper antimonium cauſa, eſt vulgarium Medicorum temeritas, & audacia, qui ſine diſcrimine, & cognitione, tùm ægri, & morbi, tùm remedij, interno deſtinant uſui, undè non pauci funeſti, & tragici caſus ſubſequuntur. Nonnè Carocciolorum inclyta familia adhuc obortis lacrymis *D. Ottavium* per antimonij regulum acerbo funere extinctum lugent? Alios omitto, quos impunè cum magna fortunarum, & æris jactura ad Acherontis Cymbam in dies demittunt. Hujus mineralis principia, qualitates, vires, multiplices præparationes, uſum, & doſim diſcant priùs, & vituperent, infament, deſpiciant, & à Medica ſupellectili poſtea proſcribant, ſi deleterium, noxium, infeſtum, reum agnoſcent, & ſic non ex acceptæ injuriæ præſumptione, ſed ex judicio damnare viderentur; ſi alexipharmacum, innocens, ſalutare, cum famæ reſtitutione palinodiam canere tenerentur. Aſt iſti Pſyttachi quod neſciunt, damnant, & forſan quod nunquàm aſpexere. Hujus veritatis comprobationem expertus ſum elapſis annis cum eſſem in illius ingenui viri *Nicolai Salſano* officinâ aromatariâ, in loco ubi vulgò dicitur *la Loggia*, ut ad magiſterium concinnadum pyritem emerem: Quidam venerabilis ſenex, Medicus Galeniſta, benè Barbatus, vulgò *Barbagiano* illuc adventavit, qui contortis luminibus in pyritem illicò exclamare cæpit: Hoc eſt antimonium, & ac ſi humani generis hoſtis rictum aſpexiſſet, ſe crucis ſigno munivit, fugamque arripuit;

puit; At illius boni viri *Nicolai* magno conatu, & blandis precibus, jurejurando teſtantis non antimonium, ſed pyritem eſſe, rediit, & aversâ facie acriter obſtinatus antimonium eſſe contendebat. Hinc conjectari licet Pſyttacorum, more conviciari. Sinite vos hoſce ſtolidiuſculos phormiones ſuâ dicacitate latrare, ac circa incognita delirare; & interim tanti mineralis per ignem inquirite dotes, quas in proximorum charitatem dirigite, ad eas quidem præſentaneas graviſſimorum morborum medelas, & ſalutares effectus, tanquam à divina auxiliatrici manu promanaſſet, quos loquax iſta Medicorum grex tanquàm incurabiles deſirit, ut confundantur, & ſileant.

Antimonium tàm à piſcis, quàm à recenſioribus Chymicis variis condecoratur nominibus. Latinè dicitur *Stibium*, græcè Στίμμις. Ænigmaticè, *Lupus* à devorando, quòd cuncta metalla devoret, præter aurum. *Proteus*, quòd in varias figuras, & colores diverſos ſe tranſmutari ſinat Vulcani beneficio. *Radix metallorum*, quia omnibus metallis adjacet, vel quia à nonnullis metallorum minera ſtatuatur. *Saturnus Philoſophorum*, & *Magneſia ſaturnina*, à devorando, tùm quòd ſaturni i. plumbi naturam redoleat; tùm quoque quòd lapidem indè parare ſomnient. *Idolum Chymicorum*, quia inde ad operis majoris perfectionem pervenire exoptant. *Auri balneum*, quia poëtæ in iſto lavacro Vulcanum laviſſe Phœbum, & ab omnibus ſordibus, imperfectionibuſque repurgaſſe fabulantur. *Aries*, quòd ſicut Sol cœleſtis in ariete conſtitutus fulgentiſſimis radiis noſtrum clima ferit, ità etiam aurum, quod ſolem cœleſtem nuncupant, ab antimonio purgatum fulgentiſſimo colore, & ab omni ſorditie purgatum ſplendet. Tandèm *Paracelſ. Leonem rubrum*, & *Baſilius Orientalem leonem* appellitare ſolebant.

Antimonium eſt corpus ſemi-minerale, metallis cognatum, & proximè adnaſcens, eò quia ex iiſdem principiis, quibus, & metalla in terræ viſceribus, conflatum eſt. Conſtat ex ſulphure, mercurio, & ſale. Sulphure pro majori ſui parte puriſſimo, ſolari, partim inflammabili, & partim fixo, impuro, & fætido, non aliter, ac commune ſulphur; Mercurio metallico, ſulphure minus copioſo, Saturni naturam participante, indigeſto, attamen coagulato, magiſque coacto, quàm ipſe mercurius; Et ſale pro minimâ ſui parte cum aliquâ terreſtreitate, vitriolatam indolem participante.

Quod ad antimonij delectum ſpectat: Illud eſt expetendum, quod ex auri, argentique fodinis eruitur, adeoque Hungaricum, & Tranſylvanum omnibus palmam præripit, ex eo quia principiis purioribus, ſulphure, & mercurio, à ſpiritu, & ſemine auri, & argenti, imprægnatis, imbutum eſt. Striis id ſplendentibus, ſcintillantibus, & longioribus, obſcuraque rubedine (quæ ejus bonitatem arguit ob ſulphuris abundantiam) præditum eſt, & hoc quando igne fuſum, & in conicam maſſam effuſum eſt. Hujus *Paracel.* ſub nomine rubentis leonis, & *Baſilius* Monachus ſub titulo Orientalis leonis meminit.

An-

Antimonij uſus vetuſtiſſimus fuit ad venuſtatem mulieribus conciliandam, præſertim ſecundum oculos; aufert enim ex eis ſordes, & ſupercilia denigrat, ut habet in *Sacris lib.4. Reg. cap.9. Porrò Iezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, &c.* Jerem. 4. *Cum veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili tuo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, &c.* Ezech. cap.23. *quibus te laviſti, & circumliniſti ſtibio oculos tuos, &c.*

Vires autem, & proprietates planè variæ, & præſtantes ſunt, non tantùm in uſu Medico, ac etiam multis artibus inſeruit mechanicis, unde artifices, qui campanas conflant, aiunt, has edere ſonitum magis concinnum, magiſque auribus gratum, ac ſonorum, ſi ſtibij non nihil cœteris admiſceatur metallis, dum unà in fornace liquantur. Iis etiam expetitur, qui vaſa è ſtamno conficiunt. Item iis, qui metalla faciunt, & poliunt ſpecula. Iis præterea qui calchographis characteres, & typos effingunt. Stibium cum quolibet metallo, ſive ferrum ſit, ſive chalybs, in fictili fuſorio permiſtum ea celeriùs liquandi præbet materiam. Quam ob cauſam, qui ferreos, ſphericoſque globos bombardis immittendos è fuſo ferro conformant, niſi ſtibium admiſcerent, nunquam ſanè (ut pro certo affirmant) id fluxum facerent. In auro purgando ab aliorum metallorum admiſtione adhibetur.

In uſu Medico non modò cognovit *Gal. qui lib. 9. ſimpl. medic.* ſic inquit: *Stimmi ad facultatem deſiccantem adjunctam habet hoc medicamen adſtrictionem: quamobrem, & ocularibus medicinis commiſcetur, & illis ſcilicet, quæ conformantur in collyria, quæ vocant, & ſiccis, quæ utique ſicca collyria cognominant.* Verùm etiam *Dioſcorid.* & multi alij antiquiores. Crudum intra corpus ad gr.iij. iv. vel v. exhiberi poteſt, ut videre eſt apud *Matthiolum*, ſed magis tutum eſt præparatum propinari.

Ex Antimonio crudo paramus *aquam Anti-Veneream*, ità

℞. *Salſ. parillæ minutim inciſ.* ℥ iv. *ligni viſci querc. raſuræ c.c. an.* ℥j. *raſuræ eboris* ℥ß. *Antimonij crudi minutim inciſ. petræ pumicis an. lib. ß. hæc duo ligentur in petia linea, & ſimul cum rebus in lib.* xx. *aq. font. per* 24. *hor. ſtent in infuſ. demum bull. lento igne ad conſumptionem medietatis, in fine adde cinnam.* ℥ß. *cola, & ad uſum ſervetur.*

Bibitur pro potu ordinario. Uſus ejus eſt in doloribus ex morbo Gallico, quos ſtatim poſt 12. dies ſedat, debet continuari per 40. dies. Bubones tàm legitimos, quàm ſpurios reſolvit, ſic quoque gummata. Cibus debet eſſe ex carne aſſata, & vitentur cruda. Corpus debet eſſe purgatum. Operatur per diapheresim, & ſudores, per ſeceſſum leniter, & urinam.

Hac aquâ plures curavi languentes deſperatos, & deploratos, quos vulgares poſt decocta, ſuffumigia, & extremam hydrargiri inunctionem, omni ſanitatis ſpe deſtitutos deſeruerant.

Poſt *Baſilium Valentinum Paracelſ.* poſt quem innumeri ferè recentiores authores ſpagyricè præparatum in medicinam internè aſſumendum introduxêre antimonium, cujus præcipua medicamina nos adducemus.

Et quidem 1. Ex eo paratur magiſterium dictum *Hepar antimonij* ob ſimilitudinem coloris hepatis, quem refert. Dicitur etiam *Crocus metallorũ*, quia etiam croci colorem quoquo pacto repræſentat, fit ſequenti modo.

℞. Antimonij crudi, & ſalis petræ an. lib. j. m. & opt. trita, impone in crucibulo, vel alio vaſe. Deinde adhibito carbone vivo hunc pulverem accende, & mutua conflagratione figetur antimonium, & arſenicali ſuo ſulphure ſpoliabitur, & inſtar croci redigitur. Edulcora aqua calida, & ad uſus ſerva.

Si aquæ, in quâ crocus metallorum edulcoratus fuerit, acetum inſtillabis, præcipitem dabis crocum ſubtiliorem, ſeu ut aliis placet, *ſulphur auratum*.

Ex aquâ, edulcorationibus illis impraegnata, ſi aliquantulum evaporaveris, cryſtallos nitri, vel lapidem prunellæ antimonialem colligere potes, cujus uſus idem, qui prunellæ dicti: exhibet itidem inſigne cauſticum.

Martinus Rulandus ad ſydera extollit *crocum metallorum*, ſed quis nam ſit, & quomodò conficiatur, variè agitatur; *Quercetanus* enim opinatur illum crocum *Rulandi* non eſſe diverſum à croco metall. vulgari: *Hartmanus* ab hoc non niſi levi deſcrimine diſtat, quod in præparatione ſitum eſt, nempè nitro fluenti, & ab igne remoto, ſine inflammatione admiſcet antimonium, ſpatulâ ferreâ continuò agitando, donec omnia probè ſint miſta, quæ tandem accendit. Verùmenimverò ſequens præparatio eſt *crocus metallorum Martini Rulandi*, quo deſperatos profligavit morbos, ut-

℞. Antimonij electi, ſalis communis, nitri ana p. æ. minutiſſimè trita, & miſta in catino, luto probe munito, foramine tamen parvulo in medio ſuperficiei ſpirituum arſenicalium exhalandorum gratia relicto, in furnum anemium collocentur, igne follium adhibito, donec omnia ſufficienter fluant, tamdiù hoc continuando, quandiù fumus per foramen illud perrumpere non deſinit. Quando verò deſinit, ignem probè ad horæ quadrantem adauge, deinde exime, ubi vaſe infrigidato, antimonium in fundo à ſalibus ſupereminentibus inſtar reguli à ſcoriis ſequeſtratum ſe ſuper malleum detruncandum, atque in pulverem terendum facilè dabit. Tritus pulvis inſtar cinnabaris rubicundiſſimus erit.

Croci metallorum uſus eſt in vomitu ciendo efficaciſſimus, unde cum omnia ventriculi excrementa exturbet, multis morbis inde prodeuntibus confert, Et 1. In capitis doloribus, qui ut plurimum ventriculi impuritatibus foventur, ſicut, & vertigine ſummo cum juvamine datur, imò etiam ſolâ ejus exhibitione quandoque radicitùs hi, & ſimiles affectus curantur. 2. In melancholiâ hypochondriacâ, & omnibus ventriculi affectibus propinatur. 3. In pleuritide, tàm nothâ, quàm exquiſitâ, tuſſi tàm recenti, quàm inveteratâ, & omnibus ferè affectibus pectoris. 3. In omnibus febribus, ac etiam in peſte, ubi præſertim ab initio vomitus eſt conſulendus. In febribus ex aëris mutatione eſt veluti alexipharmacum. 5. In præſervatione ab arthritide, &c.

Doſis gr. xv. ad xx. obſervata tamen ægri temperie, ætate, & viribus. Poterit in debilioribus, & non tamen adhùc vomitiva medicamen-

ta expertis (in multis obſervavi tantùm ſedes moviſſe, & non vomitiones) exhiberi tantùm infuſio, quæ fieri ſolet in vino albo optimo, citrà reſidentiam pulveris. Exhibetur etiam in dolore colico (ſed timendum eſt nè per clyſterem affectus degeneret in ileum), vel etiam iſchiado in clyſteribus ſummo cum juvamine, ſi nimirùm dicti croci ʒß. vel j. maceretur, vel ebulliat in vino, & colatura deinde juri, vel decocto pro clyſtere parato indatur.

Paratur etiam ex croco *aqua ophthalmica à Quercetano*, hoc modo.

♃. *Croci metall.* ʒj. *infunde in aq. euphrag. fœnic. vel aliâ ſimili ad pondus lib. ß. & digere per 2. dies agitando vas, filtra, & ſerva.*

Uſus ejus eſt in viſus imbecillitate, ac etiam in cataractâ oculorum, ac ferè omnibus oculorum affectibus, ſi gutt. j. manè in oculo ſtilletur. Quo modo applicata etiam alvum ſolvere, inquit, idem *Quercet.* ex quo conjicere poteritis quantæ efficaciæ ſit hujuſmodi aqua in detergendis oculi maculis, aliiſque defectibus.

Hujus croci etiam beneficio paratur *aqua benedicta Rulandi* tantopere ab eo decantata in ſuis centuriis Medicis, quæ ita fit:

♃. *Croci metall.* ℥j. *pulveriza, & in lib. iij. vini infunde, & vitro opt. clauſo, ut nihil prorſus expiret, tamdiù ad ſolem, vel ad ſimilem mediocrem calorem retine, donec vinum citrinum colorem acquirat, poſtea filtra, & in vitro benè clauſo aſſervetur.*

Doſis eſt ℥ß. ad ij. ut videbitur, valet ad eoſdem uſus, ut ſupra diximus de croco.

Hinc illud de hoc medicamine, & aliis ex antimonio parabilibus notandum, quod eadem doſis valet pluribus infuſionibus æqualiter virtutem emeticam communicare abſque ſuæ ſubſtantiæ deperditione; unde conſtat medicaminum virtutes potiſſimum in ſpirituoſâ eorum parte latere, ut ſupra diximus.

Hartman. etiam conficit *ſyrup.* ex dictâ aquâ benedictâ *emeticum*, ut

♃. *Aq. benedict.* ℥vj. *aq. roſ. odorat.* ℥ß. *pulv. cinnam.* ʒij. *digere per hor. 24. in loco calido, poſtea cola, & in colat. diſſ. ſacch. albiſſ.* ℥viij. *coque ad ſyrup. mediocrem conſiſtentiam.*

Doſis, & uſus, ut de aquâ benedictâ diximus.

Secundò parant *antimonium Diaphoreticum*, ità.

♃. *Antimonij, & ſalis petræ an. lib. j. pulveriza, ſimul m. & pone in crucibulum, vel tigillum inter accenſas prunas, ut candeat, tùm injice* ℥ij. *aut circiter hujus mixtionis, & ſtatim detonabit. Poſtea novos pulveres injice ita ad finem continuando. Vaſe refrigerato, materiam exime, ablue, & rurſum tere, miſcendo ut ſupra cum ana ſalis petræ, eodem modo calcinando, & elaborando, tertiâ etiam vice ſimiliter peragendo. Tandem da ignem liquefactionis modicæ, ad horæ ſpatium. Ultimò totum illud, quod remanſit tritum coquatur in aq. font. per aliquot h. poſtea calens decoctum per filtrum tranſmittatur, & loco frigido relinquitur: Sic nimirùm per ebullitionem id quod ſubtilius in aqua ſolvitur, & tandem præcipitatur in pulverem admodum albicantem, & tenuem, ſæpiùs abluendum, & exſiccandum. Quod ſi acetum deſtillatum immittatur in idem decoctum filtratum faciliùs, & celeriùs pulvis iſte cadet majorum virtutum.*

Uſus, & vires hujus antimonij

diaphoretici ſunt, quòd reſiſtit putredini, mundificat ſanguinem, conducit adverſus omnes obſtructiones, licet inveteratas, hepatis, lienis, meſenterij, aliarumque partium internarum, adverſus retentionem menſium, cachexiam virginum, hydropem, melanchol. hypocondriacam, luem Veneream, ulcera tàm interna, quàm externa, ſcabiem: præſertim confert in tertianâ, quartanâ, & febribus malignis, exanthematibus, variolis, & pleuritide, rumpit interna apoſtemata, ſine ullâ moleſtiâ ſudorem movet, &c.

Doſis à gr. x. ad xx. in conveniente vehiculo.

Marcus Cornacchinus Medicus Piſanus antimonij pulverem deſcribit ſub Comitis de Warvick nomine, compoſitum ex *antimonio, cremore tart. & Scammonio ſulphurato*, quorum trium ratione *Cerberum* appellavit, ità.

♃. *Antimonij* ℥j. *ſalis nitri* ℥ij. *ſimul negligenter triturantur: mox in vaſe teſtaceo ſupra carbones ignitos collocato, ad comburendum, ſeu ut dicunt, ad calcinandum. Sed notandum, ne talis calcinatio fiat igne admodùm vehementi. Hoc facto iterùm tantundem ſalis nitri ponitur, & denuò comburuntur. Tertiò denique rurſus tantundem ſalis nitri ſuperadditur, & comburuntur. Quoniam verò ſecunda, ac tertia vice difficulter admodum calcinatio ſequitur; ea propter, ut vis ignis quoquò verſus penetrare poſſit, ferro, ſeu carbone ignito continuò res ductæ ſunt verſandæ, donec ex æquo undequaque penitùs combuſtæ ſint.*

Scammonium ſulphuratum ità paratur.

Accipitur ſcammonij electiſſimi certa quædam quantitas, eaque craſſiuſculè trita; ſuper chartam exugentem appellatam, extenditur: mox ſulphure ſuper ignitas prunas injecto, ſuper fumum, qui ex ſulphure attollitur, charta jam dicta eò uſque detinetur, quouſque ſcammonium liquari, & chartæ adhærere incipiat.

Cremoris tart. præparatio eſt eadem, quàm nos deſcripſimus *art. de Tartaro.*

Vires. Tantum pulveri huic attribuit author, ut peculiarem de eo conſcripſerit librum, commendatque ad omnes ferè morbos, qui purgatione opus habent.

Doſis ſcammonij à gr. vi. ad xvi. Antimonij gr. iv. xii. ad xx. Cremoris tartari ad antimonij proportionem.

Advertendum 1. quòd ſemper ſcammonium ſulphuratum, ſeu diagridium in pulvere Cornacchino ſuperare debet duo reliqua ingredientia in pondere, adeòque etiam in virtute operandi, ut omnes ejuſdem operatioees diagridio, nequaquàm verò antimonio adſcribendæ, aut tartaro; Antimonium enim ad pulverem paratum non differt ab antimonio diaphoretico: Sufficient ergò duæ detonationes.

Advertendum 2. quòd antimonium diaphoreticum, & ad pulverem paratum, non eſt diù aſſervandum; nam per repetitam nitri admiſtionem, antimonij ſulphur crudum, & emeticum violentum pro majori parte figitur, redit tamen hoc antimonium ad genium, ac feroces magis induit qualitates, ubi aëri expoſitum fuerit, ac diù aſſervatum, & parvâ doſi exhibitum cor potiùs afficiat, cardialgias, vomitus exceſſivos, ac immites accerſit, præ-

ſertim

ſertim in malignis febribus, quorum non paucæ extant tragædiæ.

Tertiò *ex antimonio* paratur *Regulus* ſine additione, ſive ſimplex hoc pacto.

℞. *Antimonij Hungarici lib.* j. *contunde particulatim, quæ crucibulo immiſſa, ſupra pulverem carbonum, ad* IV. *vel* V. *digitorum craſſitiem, tegatur, & igni fuſorio forti, ad dimidiam horam, vel ultra tradatur. Poſtea remove ab igne, ut frigeſiant omnia, & fracto crucibulo, in medio ſcoriarum regulus comparebit, qui à ſcoriis ſeparandus. Scoriæ verò relictæ, & eodem modo, quo ſupra, crucibulo novo injectæ, tectaque carbonum pulvere ad horæ quadrantem, igne forti fundendæ ſunt. Quibus iterùm frigefactis, regulus qui apparebit, ſeparandus. Scoriæ porrò tertiâ, & quartâ vice, eademque viâ, quâ ſupra, pulvere carbonum ſuperaſperſo, fundendæ ſunt, & regulus ſemper ſeparandus.*

Ex antimonij lib. j. tres ferè partes (ſi benè operatus fueris) reguli puri habebis, qui poſthac ſimul in unam maſſam fundendus.

Parant alij *antimonij regulum compoſitum* hac methodo.

℞. *Antim. nitri, & tart. an. lib.* j. *tere, & miſce. Deinde colloca crucibulum inter prunas accenſas, & cum canduerit, injice in ipſum cochlear.* j. *pulverum, & ſtatim cooperi crucibulum, donec fumus ceſſet. Tunc amove cooperculum, & novos injice pulveres, & iterùm claude, operationem reitera uſque ad totalem pulverum conſumptionem. Urge ultimò ignem ad fuſionem uſque crucibulum move, ut regulus fundum petat. Crucibulo frigefacto, regulum à fæcibus ſepara, & ſerva.*

Formatur ex regulo vas, qui dicitur *calix Chymicus*, in quo ſi vinum ad ℥iv. infundatur, & per noctem relinquatur, præbet vinum ſuaviſſimum per ſuperiora, & inferiora ſuaviter purgans.

Ex fæcibus reguli paratur aliud magiſterium, quod dicitur *ſulphur auratum diaphoreticum.*

℞. *Fæces reguli, ut ſupra præparati, eaſque per digeſtionem, & ebullitionem reduc in lixivium. Lixivium calidum per chartam emporeticam trajice, cui frigefacto adde parum aceti deſtillati, & paulatim fundum petet ſulphur. Lixivium per inclinationem ſepara, & croceum ſulphur multis ablutionibus edulcoratum, & ſiccatum ſeorſim collige, & ſerva.*

Uſus. Inſigne eſt ſudorificum, & ſanguinis mundificativum. Unde omnibus morbis ex humorum mala qualitate oriundis aptiſſimum erit remedium, præſertim epidemiis.

Doſis à ℈ß. ad j. in convenienti vehiculo.

Valet etiam lixivium à fæcibus reguli, vel etiam fæces ipſæ reguli, ſi ſupra accenſas prunas ponantur, ſuo vapore menſtruas purgationes, & lochia retenta promovere, ſi per infundibulum in utero vapor excipiatur. Inquit namque *Beguinus: Sæpe enim fit, ut ab ejus uſu, antequam hora effluat dimidia, menſes proritari.* Curat etiam herpetes, & ulcera ſerpentia, ſi eo inungantur,

Ex Antimonij regulo *Faber in Chirurgia ſpagyrica cap.* 17. de cancro, *antimonium ſudorificum* parat ſequenti methodo.

℞. *Reguli antimonij q. v. reduc in pulv. & m. cum pari quant. ſalis petræ, & calcina ambo in tigillo forti per* 3. *horas in mediocri igne. Deinde iterùm reduc in pulv. & iterùm permiſce novæ quantitati ſalis petræ & calcina iterùm, & hoc itera*

donec

donec regulus antimonij in pulv. albiſſimum convertatur, quem ablue aqua dulci tepida, donec tota ſalis ſubſtantia pereat, & habeas pulv. albiſſimum, quem igne deſiccabis, & ad uſus miros conſervabis.

Doſis ejus erit ℈ß. aut j. cum aquâ cardui benedicti, aut ulmariæ.

Conficiunt alij *Regulum Martis ſtellatum*, cujus uſus eſt in medicinâ, & alchymiâ; Alij verò *regulum Solarem, Lunarem, Iovialem*, quos apud varios authores videre poteritis.

Quartò parant ex antimonio *Vitrum*, hoc modo *Hyacinthinum.*

℞. Antimonij q. v. tere, & calcinetur in vaſe figulino amplo, & lato, non vitreato ſupra ignem lentum, ut incipiat fumigare, continuò materiam movendo (cave à radiculâ ferreâ, ferreum enim antimonium devorat, ſicut & cætera metalla), nè concreſcat, quòd ſi evenerit, denuò pulverizare oportet, & ad ignem denuò colloca, procedendo ut priùs, donec fumum ſulphureum (à quo cave) non ampliùs evomat, nec in nodos concreſcat, ſed maneat in formâ pulveris gryſei, qui tamen non diù, poſt peractam calcinationem, aſſervandus eſt, nè ab aëre attracto alteretur, ac ægrè poſtea diaphaneitatem nanciſcatur. Propterea illicò abſoluta calcinatione, legitima crucibulo immiſſus igni fuſorio tradendus eſt: Sic ſpatio quadrantis, aut dimidiæ horæ perſpicuitatem (quam immiſſo ſtylo ferreo, non autem diù intus relinquendo experiri licet) mutuabit; quâ apparente, ſtatim effundatur in tabulam lapideam, vel pulvim æneam, ut in vitrum pulcherrimum repræſentans rubinum, abeat. Vitrum ſi adhuc opacum fuerit, reiteranda eſt fuſio donec hyacinthinum colorem nanciſcatur. Aliqui dùm eſt in fuſione nonnihil ſulph. com. fruſtulatim injiciunt, quod illicò antimonium depurabit. Matthiolus aliquid antimonij crudi admiſcet, ſed depravat pelluciditatem.

Matthiolus antimonij ut ſuprà calcinati ad lib. j. addit Boracis ℥ß. & crucibulo fundendum tradit, efficitque vitrum, quod colore, & nitore chryſopatios, atque etiam nonnunquam granatos refert.

Uſus vitri antimonij eſt humores craſſos, viſcidoſque ejicere, in ventriculo, viciniſque locis ſuperfluos, idque per vomitum, ac per aluum. Reſiſtit venenis, in peſte præcipuè, ſi cum aceto propinetur, quippè hac ratione, & ſudorem ciet: utile quoque eſt in febribus putridis ac malignis, hydrope, &c.

Doſis à gr. ij. ad iv. In infuſ. à gr. iij. ad vj. in vini ℥ij. vel iij.

Solent nonnulli ex hoc vitro pocula conficere, in quibus vinum per aliquot horas infuſum ſteterit, ac poſtmodùm potetur, potenter operari deprehenditur.

Quintò paratur, ex antimonio aliud magiſterium emeticum, ſed elegantius, & perfectius croco metall. regulo, & vitro, quod appellatur à *Beguino mercurius vitæ*, ſive *pulvis emeticus*, à *Crollio* dicitur *flos butyri antimonij*, ab aliis *pulvis Angelicus*. Quo præſertim utebatur tanquàm peculiari arcano in multis profligandis morbis *Victorius Algorethus* Medicus Veronenſis, qui per totam ferè Italiam illud venale mittebat, magnas ſibi comparavit opes, vnde nomen deſumpſit pulvis Algorethi, vulgò dictus *Algoreth.* Appellatur, & ab aliis *Aquila alba*, paratur ſequenti modo.

℞. Antimonij Hungarici, & mercurij ſubli-

ſublimati an. lib. j. ſubtiliter pulverizentur, invicem miſceantur opt. in mortario vitreo, ac in aëre, vel aprico aliquandiù relinquantur, quoad ab aëre attracto nonnihil humectentur, indantur poſtmodum retortæ vitreæ lutatæ, cui recipiens adapta, vel ex arenâ, vel potiùs igne ap rto (ut ultimò urgentiori igne cinnabaris ſublimatio promoveatur) per gradus deſtillentur, prodeunte ol. craſſo butyri inſtar, quod ſi forſan concreſcit in collo retortæ, ut ſæpè fieri ſolet, tunc admoto carbone candente externe ad collum retortæ, fac ut liqueſcat, ne obſtructo collo, impediatur deſtillatio. Auge parumper ignem per gradus donec totus liquor deſtillet, intende deinde, finita liquoris deſtillatione, ignem ultimò per unam, atque alteram horam, ut retorta candeat: & ſublimabitur ad collum retortæ (quod largum ſit) cinnabaris rubicunda, firmiter illi adhærens, unà cum mercurio vivo. Cinnabaris, fracta retorta, ſeparatim colligatur. Iſte liquor eſt valdè corroſivus, dicitur antimonij butyrum, ſeù oleum, liquor gummoſus, ſeu ſpuma venenata duorum Draconum.

Si oleum magis clarum, ut & cinnabaris magis pura deſideratur, loco crudi antimonij regulus ejus, pro eorum deſtillatione eſt ſubſtituendus. Præterea & oleum, ſeu butyrum, ſemel deſtillatum, denuò vel per ſe, ut purius, vel etiam addita cinnabari propria, ut rubicundius, & præſtantius à ſulphure antimonij reddatur, rectificari poteſt.

Hujuſmodi verò butyrum, ſeu ol. uſus eſt tantùm externus in gangrænâ, & ſphacelo; nam tanquàm cauſticum medicamentum putridam deſtruit carnem uſque ad ſanam, hanc deinde ab ulteriori putredine præſervat ſolâ, & iteratâ hujuſmodi liquoris illinctione tantùm ſupra partem putridam, quæ fieri debet, donec omnis putredo deſtruatur. Sic etiam circa carbunculum peſtilentialem, hoc oleo circulus fiat, vel carbunculum etiam parumper dicto madefacias oleo, paulatim emoriendo excutitur, ac deinceps convenientibus balſamicis emplaſtris ſanabitur. In apoplexiâ liquor duorum draconum linguæ aſperſus prodeſſe poterit.

Ut autem dictum *emeticum pulverem*, ex hoc liquore gummoſo facias.

℞. Ol. ſeu butyri prædicti antimonij corroſivi q. v. cui aq. ſimpl. ſuff. quant. & quidem largiter, ſuperaffuſa, præcipitatur pulvis albicans; Qui ab aquâ acidâ per filtrum, & decantationem ſeparandus, ac repetitâ effuſione aquæ, probè edulcorandus eſt, ſiccandus, & ſervandus.

Pulvis hic *mercurius Vitæ* dicitur, & iiſdem ferè virtutibus cum antimonii floribus præditus eſt, quemadmodùm ex ſolo antimonio, non verò ex mercurio, ut vulgi opinio eſt, ortum ducit: Quod ipſa mechanica, & experientia probari poteſt. Etenim ſi is ſimpliciter igni fuſorio in crucibulo committatur, illicò in *Vitrum albeſcens* abit; Evidentiſſimo ſigno ab antimonio ejus eſſe originem.

Hujus emetici pulveris uſus plerique ſunt, omnes febres intermittentes domat, peſtem, luem veneream, lepram, hydropem. Valet etiam ad omnes illos effectus quos de croco, regulo, & vitro ſupra diximus, ſed efficaciùs. Quapropter cautè cum hoc mercurio vitæ, non dum cor-

recto procedendum, iſque non, niſi natura robuſtioribus, propinandus; ne mercurius vitæ mortis evadat.

Doſis eſt à gr. iij. uſque ad vi. Si autem ejus exhibitio erit per infuſ. infundere poteris ad pondus gr. vi. uſque ad viii. & per horas 12. in vino albo generoſo digere, & infuſionem tantùm citrà pulverem propina.

Valet autem idem pulvis pluries vinum emeticâ virtute tingere, & ratio eſt: quia ſumma eſt cognatio ſulphuris interni rerum omnium, & mineralis, & unum ſulphur alterius ſulphuris ſubſtantiam ſequitur, & vi quaſi magnetica invicem trahuntur; Hinc eſt quòd dum ſubſtantia volatilis ſulphuris vini ingreditur, & penetrat ſubſtantiam ſulphuris mineralis antimonii, invicem uniuntur, & in unum permiſcentur: Attamen vegetabile, & volatile vini ſulphur agens ſupra ſulphur fixum, fixatur, & ipſum, eadem actione, qua agit, indolemque emeticam acquirit, idque toties quoties infuſio repetitur. Hoc in aquâ; ex eo quia ſulphure caret, non accidit.

Poteſt à dicto pulvere adimi vis emetica, & fieri ut paulò mitiùs per inferiora tantùm operetur, ſequentibus modis.

Et quidem 1. ſi in vitro igne arenæ foveatur, donec rubere parumper incipiat, & poſtea abſtrahatur, parumper priùs digerendo per iv. vel v. vices ſpiritu vini alkoholizato, tunc enim per alvum tantùm purgabit.

Secundò, ſi cum ſale communi toſto pro dupla quantitate diù, multumque ſuper porphyrite teratur, & lævigetur; ſal verò aquâ ſimplici ſæpiùs affuſâ totaliter abluatur, & pulvis remanens probè edulcoratus, exſiccetur.

Tertiò, fundendo ſalis nitri ℥ iij. in crucibulo, in igne aperto, ſed moderato, & pedetentim addendo mercurii vitæ ℥ ij. & agitando, ac parum in igne detineantur, refrigegerato crucibulo, eum in fundo reguli adinſtar invenies: hinc elixiviato ſale nitri per repetitam aquæ ſimplicis affuſionem, probè edulcoratus, & exſiccatus, aſſervatur, diciturque *mercurius vitæ correctus*, qui ad gr. iij. iv. vel v. tantùm per ſeceſſum operabitur.

Ut autem diaphoreticus dictus pulvis fiat, adempta vi emeticâ, & catharticâ: extrahe ab eo acetum deſtillatum per aliquot vices; poſteà ad pondus gr. ij. vel iij. ſudores tantùm movet. Idem etiam præſtabit ſpiritus ſalis, aut nitri, vel aq. fortis communis, ſi ſupra dictum pulverem ponatur, & deinde bis, vel ter cohobetur; nàm eum penè fixando, tàm emeticam, quàm catharticam etiam tollendo, virtutem diaphoreticam tantùm reddet, ſi deinde poſt omnimodam ſolventis aquæ deſtillationem, pulvis iterata aquæ communis ablutione, à corroſivis aquæ fortis ſalibus, liberabitur.

Aqua, quâ Butyrum antimonij edulcoraſti, quoniam ſecum rapuit vim corroſivam ſalium vitriolatorum mercurij ſublimati, ſi leni evaporatione ad aciditatis uſque deſtillationem per retortam pellatur, tranſit in vitrioli ſpiritum elegantem, qui *ſpiritus vitrioli Philoſophicus* dicitur, & egregias non ſolùm virtutes

tes in medicinâ obtinet, utpotè in epilepſiâ infantium, & puerorum curanda, obſtructionibus hypochondriorum reſerandis, & febribus ardentibus extinguendis, à guttis IV. ad X. in convenienti vehiculo; verùm etiam ad alios labores, tanquam menſtruum ſingulare, utiliter uſurpari poteſt.

Cinnabarim antimonij à collo retortæ collectas unâ, & alterâ ſublimatione purificare poteris. Medicamentum eſt diaphoreticum in lue Venereâ, leprâ, elephantiaſi, aliiſque ſimilibus contumacioribus morbis. Eſt ſpecificum in epilepſiâ cum æquali pondere magiſterij perlarum, corall. & cranij humani.

Doſis à gr. x. ad xv. in liquore idoneo. Externè adhiberi poteſt ad luis Venereæ ſanationem in ſuffumigiis.

Quidam medicus in ſuffumigiis ad luem veneream ſanandam cinnabare antimonij tanquàm arcano utitur, doſim gr. iiij. cum pulv. maſtiches præſcribens, ad 30. dies, & ulteriùs uſque ad luis curationem, quotidie ægrum ſuffumigando. Gloriatur iſte hoc ſuffumigium ptyaliſmum, ſudoreſque non promovere nec diarrhœam, dyſenteriam, & urinam provocare, ſed inſenſibiliter operari. Putat iſte cinnabarim antimonij diverſam eſſe à factitiâ officinarum, quia factitia illa ſupra enarrata ſymptomata excitat, antimonialis verò non. Sed hallucinatur; Nam cinnabaris duplex eſt, una naturalis, ſeu nativa, altera artificialis, ſive factitia. Naturalis eſt terra mineralis, lapideſcens, rubicunda, conſtans ex ſulphure, & mercurio vivo cum terreſtri materia inſtar lapidis compactis. Artificialis paratur ex mercurio vivo, & ſulphure communi, ac puro liquando nimirùm ſulph. ℥iv. & immiſcendo illi mercurij ℥viij. & ex hac miſtura beneficio repetitæ ſublimationis habetur cinnabaris artificialis officinarum. Cinnabaris antimonialis, quæ & artificialis eſt, conſtat ex ſulphure antimonij, & mercurio, partim ex antimonio, & partim ex mercurio ſublimato: Igitur utraque cinnabaris iiſdem conſtare principiis compoſitione, & reſolutione patet. Quòd antimonialis non excitet ſymptomata ſupra enarrata, hoc ex parva doſi ortum habet; excitaret enim ea, ſi in illa doſi in ſuffumigiis adhiberetur, ac adhibemus vulgarem officinarum. Si artificiali in parva doſi, & diu uteremur, utique nulla ſymptomata enarrata promoveret.

Sextò *flores* per ſublimationem *ex antimonio* eliciuntur, ut

♃. *Antimonij ſubtiliter pulverizati q. v. pone in cucurbitam fictilem, cucurbite adapta alembicum cæcum, vel roſtratum cum excipulo, aut ſi mavis, connecte ollas quinque vel ſex, ità ut ſe ſe invicem gradatim excipiantur, ollæ ſint perforatæ, excepta ultima, & prima: Ignem gradatim admove, nec ſi nimiùm fortis, nec debilis nimis. Si enim fortior ſit, funditur antimonium, nec ſublimatur. Sin verò debilior, non aſcendunt flores. Si rectè ignem rexeris, colliges triplices flores, albos, flavos, & rubros.*

Humidi ſpiritus in excipulo excepti ad gutt. iij. vel v. valent lumbricos expellere.

Verùm horum florum antimonij

in medicinâ nullus eſt ferè uſus; quapropter ſolent artifices illos corrigere longâ nimis, & operoſâ operatione, in quâ deſcribendâ non moror, tùm quia facilè alia antimonialia medicamina tutiora, florum loco ſubſtitui poterunt: tùm quia, ſi florum hanc correctionem quis deſiderat, illam apud authores legere poterit.

Septimò, elicitur *ex antimonio tinctura*, quæ præſtantiſſimum eſt medicamentum diaphoreticum, cujus deſcriptiones variæ ſunt apud diverſos authores, nos verò ſequentibus duabus tanquam magis probatis cõtenti erimus, & quibus primò ſequenti modo fit per ſtibii calcinationem.

℞. Stibij electi q. v. pone in vaſe terreo lato plani fundi ſuper fornacem reverberij, agitetur ſpatulâ ferreâ continuò movendo, donec fumus ceſſet; & ſtibium fiet album, vel ſubflavum (in qua operatione cavendum à liquefactione, & à fumo noxio ſtibij), tere deinde, & pone in aludele in reverberij igne, per menſis Phyſici ſpatium, benè occluſo aludele, nam antimonium rubeum acquiret colorem, ex quo deinde extrahe tincturam cum ſpiritu vini ſæpius affuſo, donec rubini ad inſtar tingatur. Omni deinde extractâ tincturâ, vini ſpiritum deſtilla, & tincturam ſerva ad magnos uſus; Nam erit veluti ſummum omnium arcanum morborum, cauſas è corpore per ſudorem exturbando abſque ullo vitæ incommodo, imò vitæ ſpiritum reſtaurando perficit.

Doſis eſt gr. ij. iij. uſque ad viij. cum aquâ cinnam. caryophyll. &c. manè jejuno ſtomacho, ſi id morbi conditio permittet, ſin minus quacunque hora.

Alii ita *antimonij tincturam* eliciunt.

℞. Antimonij mineram, fundatur in crucibulo, igne forti; & in acetum ſpiritu nitri acutum infundendo, extinguatur: acetum ſit in illâ ſatis largâ operculo ſuperiùs clauſa, foramine tamen pervio, per quod antimonium infundi poſſit. Atque hæc antimonij fuſio, & extinctio in aceto ſæpiùs repetatur, quouſque acetum rubicundiſſimo colore tinctum ſit. Hoc peracto, abſtrahatur illud in alembico vitreo leniter deſtillando per cineres, donec ferè totum acetum tranſierit ad mellaginem. Huic maſſæ relictæ ſpiritu veneris, vel vini tincturam extrahe, ut artis eſt.

Parant octavò ex *antimonio ol.* hoc pacto.

℞. Antim. crudi, ſacch. candi an. ℥iv. alum. calcinati ℥j. ſimul tere, & m. deſtillaque per retortam, igne valdè moderato. Sic accipies ol. rubicundum.

Valet ad fiſtulas, ulcera maligna, gagrænam, & ſphacelum, ad ſeparandam carnem mortuam à vivâ.

Paratur etiam alio modo *antimonij ol.* ex croco metall. ut

℞. Croci metall. & ſacch. albiſſ. an. q. v. tere, & irrora opt. ſpiritu vini. digere per aliquot dies. Leniſſimo igne deſtilla, (alioquin vas, propter nitrum, & ſaccharum diſſilit) donec omnis aquoſitas evocetur. Poſtea aucto igne ol. deſtillabit. Ex hoc oleo tincturam elicere poteris ſi l. a. operatus fueris cum ſpiritu aceti, & vini.

Laudatur tanquam Panacæa ad omnes morbos, nam parùmper ſedem movere circa veſperam, vel ſequenti die, fortè unam, vel alteram, ac blandè etiam per diaphoreſim pravos humores expellere fertur.

Doſis eſt iv. uſque ad viij. gut. in convenienti liquore, vel conſervâ.

Nono

Nonò, ex *antimonio* elicitur *ſal*.

℞. Maſſam, quæ à deſtillatione butyri antimonij in retortâ reſiduâ remanſit, reduc in pulv. Bis, vel ter calcinetur cum ſulph. admiſcendo qualibet vice maſſæ antim. lib. j. ſulph. ℥ß. Hinc abſtrahe aceto deſtillato, poſt extractionem ſalis, remanet materia ſalina ſubflava, quæ cum aquâ ſimplici denuò ſoluta, & filtrata, ad cuticulam iterùm ſolutione abſtracta, concreſcant in loco frigido, cryſtalli ſalini, qui diligenter aſſerventur.

Uſus. Mundificat ſanguinem, expurgat corpus ab omnibus impuritatibus, curat luem Veneream, & hydropem, prodeſt in podagrâ, rumpit apoſtemata, fugat febres. Extrinſecùs mundificat ulcera maligna. Doſis gr. iv.

Parant, decimò *ex antim. ſulph.* multis modis, & primò, ex cinnabare, ut

℞. Cinnabaris antim. q. v. reduc. in pulv. coque cum lixivio forti, ex tartaro calcinato, & calce vivâ, in ſartagine ferreâ, horis iij. quouſque lixivium rubicundo colore tingatur: tinctum decanta, aliudque ſuperaffundatur, & coquatur; quòd tamdiù continuandum, quouſque lixivium non ampliùs rubro colore tingatur. Tincturas omnes calentes filtra, & in loco frigido relinque, donec pulvis rubicundus (qui eſt verum ſulphur antimonij) fundum petierit, quod ſegregata aquoſitate, vel lixivio per decantationem, & filtrum, ſæpiuſque aquâ recenti affuſâ: quouſque omnis ſalſedo, ablata ſit, ſulphur aſſervetur. Mercurius vivus, qui in ſartagine conſpicietur, partim ex mercurio antimonij, partim ex mercurio ſublimato originem trahens ſeorſim cuſtodiendus eſt.

Ex hoc genuino ſulph. paratur *Panacæa antimonij*, ita.

℞. Sulph. jam deſcripti, reguli antim. an. ℥j. ol. ſulph. per campanam, vel ol. vitrioli rectificati ℥ iij. digere per 8. dies in loco calido, dein deſtilla ex arenâ per retortam vitream, ter cohobando, urge poſtremò ignem quarti gradus horis 12. & erit totaliter fixum, quod exime, & cum aq. roſ. lava, & exſicca. deinde ℞. Hujus pulv ℥j. Mag ſt. vel ſalis corall. ℥ij. m. exacte.

Uſus. Eſt inſtar panacææ, habet in ſe vim diaphoreticam, ac ſanguinem mundificandi, ideòque quibuslibet morbis per ſudorem ſanabilibus inſervire poteſt, præcipuè lui Venereæ, fœditatique cutis. Repetenda eſt doſis ſæpiùs in quibuslibet morbis, præſertim verò in epidemiis, & malignitatem ſecum vehentibus. Doſis à gr. x. ad xv. & xx.

Secundò alij ità *ſulphur antimonij* parant.

℞. Antim. crudi, tere minutiſſimè, & ſuperaffunde lixivium forte, digere per dies 7. ut fiat extractio, extractionem filtra, & leniter ebulliendo, reduc in pul. rub.

Inſervit extrahendæ tincturæ, purgat per ſuperiora, & inferiora. Doſis à gr. ij. ad. v.

Alij verò ità parant.

℞. Antim. pulv. q. v. coque in lixivio forti, & præcipita aq. pluv. impregnata aceto deſtill. hinc edulcora.

Uſus. Tutiùs agit per vomitum, quàm crocus metall. doſis à gr. iij. ad v.

Tandèm ex *antim. mercurius* elicitur tali pacto.

℞. Aq. pluviæ deſtillata cum ſale armoniaco, affunde antimonio pulverizato, digere per dies 8. hinc decanta, & evapora, habebis pulv. albicantem dulcem,

qui ad ignem fuſus Saturnum exhibet nobiliſſimum, nihilque aliud eſt, quàm mercurius antimonij.

Alii antimonium macerant aliquandiù in ſpiritu tartari impraegnato ſal. armon. hinc ſublimant, ſublimatumque in ſartagine agitant ad acquirendum mercurium.

Pro hujus art. coronide libet hic annectere antimonii vitrum flavum, ſuccinum repraeſentans, quod paratur.

♃. *Antim. ſtriis ſplendentibus, ſcintillantibus & longioribus, obſcuráque rubedine præditi q. v. pulveriza ſubtiliter, pone in vaſe terreo, non vitreato, amplo, plani, & lati fundi, calcinetur ſupra lentum ignem, quouſque gryſeum acquirat colorem, ſemp r verſando materiam, nè concreſcat, quòd ſi accidat, denuò pulverizetur, & collocetur ad ignem, procedendo, ut priùs, donec ſulphureum non eructet fumum (à quo cave,) & cum gryſeum acquiſierit colorem, tunc cum ana ſalis petræ, & tart. opt. pulv. & mixt. m. cum ſapone molli, ut f. paſta, ex quâ formentur pilulæ, & f. regulus s. a. in cujus confectione optimum tempus eligi debet, ſole, & luna Piſcis, & Aquarij ſignum percurrente; quem injice in crucibulum opt. ignitum, poſt cujus fuſionem pedetentim pro qualibet libra, Boracis* ℥ v. *immitte, & amotum ab igne calcinabis, ut antea, quouſque fumus ceſſet. Poſtea in ignito crucibulo immitte calcinatum regulum, in quo injice boracem (quæ ſit in paucâ doſi, aliter vitrum album efficies), & ſulphur flavum maneatque in fuſione per horæ quadrantem, tunc experiri quandoque poteris, an verſum ſit in vitrum pellucidum, & flavum, ſtylo ferreo, in parva doſi, quòd ſi non eveniat, injice parum ſulphuris flavi pluribus vicibus, quoad depuretur, & reddatur diaphanum, & flavum; tunc ſupra marmor projice, & habebis antim. Vitrum flavum.*

Adverte tamen 1. quod peractâ calcinatione, & fumigatione, extemplò fundendus eſt in crucibulo, aliter per aliquod temporis aſſervatus ab aëre attracto alteratur, redditque vitrum opacum. 2. Ne crucibulum, in quo funditur, ex ferri miſturâ ſit conflatum, quia vitrum redderetur obſcurum. Idem accideret, ſi calcinaretur in vaſe ferreo, vel ferreo inſtrumento verſaretur.

Ex hoc vitro poſſunt efformari calices Chymici emetica virtute vinum tingentes, cujus vires, uſus, & doſis ſunt, ut ſuprà diximus.

Ecce quomodò ab eodem ſtibio habes diverſa medicamina juxta diverſam ejus præparationem; unde conjicies ſimilium medicamentorum virtutes, potiùs ex diverſa præparatione, quàm ex innatâ proprietate habere.

Atque hæc adduxiſſe ſufficiant de antimonij operationibus, tanquàm ſelectiorib. & principalioribus, alias, ſi quæ ſunt præparationes, ſi quis vult, legat apud varios authores.

ART. TERTIUS.

De Marchaſita, Arſenici, & Auripigmenti operationibus.

LApidem, quem Πυρίτην græci appellant, Mauritani Marchaſitam dicunt, & licet pyritæ propriè dicantur lapides, à quibus chalybe excutitur ignis, tamen quia marchaſita cœteris magis ſcintillat chalybe,

lybe, aut ferro repercuſſa, per antonomaſiam ipſa ſola pyrites appellatur, tanquam cœteris præſtantior. Foditur hæc in omnium metallorum ferè fodinis, genere, & colore diverſa, ut plurimùm aureis, vel argenteis ſcintillis reſperſa. Undè marchaſitarum omnes ſpecies, nihil aliud ſunt, quàm corpora mineralia, & diverſitatem ex metallorum diverſitate ſortiuntur juxta eorum participationem. Aliæ enim dicuntur marchaſitæ auri, aliæ argenti, ferri, plumbi, cupri, &c. omnes autem ex una, eademque materia ſunt compoſitæ, differunt tamen in gradu coctionis: per quam coctionem mercurii illorum, & ſulphura infecta, indigeſta, ac corrupta, recipiunt aliquam differentiam, unde colores varii apparent, faciuntque flavos, albos, nigros, plumbeos, &c. componuntur ex plurimo ſulphure albo, aut rubeo infecto, & corrupto, plurimo ſale, & pauco mercurio. Reperiuntur ferè ſemper in montium cacuminibus, ubi auri, & argenti, minera in profundo deliteſcit; Ex mineris ſulphur indigeſtum, impurum, ac corruptum, miſtum plurimo ſale, & pauco mercurio in telluris ſuperficiem vi centralis caloris exhalat, & marchaſita conflatur; quod ſi fuerit flavum, erit marchaſita auri, ſi album, argenti, &c. Invenitur quandoque quæ aurum, argentum, vel æs intra ſe continet.

Plurimæ marchaſitis ſunt virtutes, quas Medicorum vulgus ignorat, dum dijudicant, ſub iſtis duris cautibus metallicis nihil naturam collocâſſe, præter ſimplex eſſe; adhibentque tamen exteriùs in formam empl. ad duros concoquendos, diſcutiendoſque tumores: tamen falluntur, ſi videant, quomodò in omnibus marchaſitis, quæcumque tandem fuerint, lateant, potentiſſimæ virtutes purgandi, æquè fortes uti in antimonio, unde

Si ʒ j. marchaſitæ infundatur in ℥ iv. aut v. vini albi, purgabit magna efficacia hydropicum, & prudens uſus iſtius eum certiſſimè ſanabit; Sic enim evacuantur potenter omnes ſeroſitates, aperiuntur omnes meatus interiores corporis, & prætere fortificatur hepar.

Aliqui *marchaſitæ extractum* ità parant.

℞. Marchaſitas auri, pulveriza, & impone teſtæ vitreatæ, calcina vi ignis, & inde materiam rudicula ferrea agitando, donec non fumet ampliùs, & ejus ſulphur impurum omninò combuſtum ſit, tùm per ſecerniculum agatur, & inde tincturam cum aceto deſtillato, aut ſucco limonum prolice, evapora menſtruum ad extracti conſiſtentiam.

Uſus hujus extracti eſt in febribus intermittentibus corpus purgare, & potenter omnia humorum genera; Serum potentiſſimè educere, ideòque hydropicos ad miraculum juvare.

Nonnuli ex marchaſitâ conficiunt oleum, ſal, flores, vitrum, præcipuè verò aquam, quam perhibent auri animam extrahere, relicto corpore albo.

Unum extat *marchaſitæ* tantoperè à noſtratibus mulieribus exoptatum *magiſterium*, quod ita paratur.

℞. Marchaſitæ argenti q. v. contunde in pulverem, ejus nigredinem ſæpè eluendo, auferes, donec aqua limpida, & clara, inde,

inde fluat: poſtea ſicca illam, & diſſ. in aquâ forti facta ex ſale nitro, & alumine, cui vini ſpiritum affunde, & momento præcipitabitur in alkohol inſtar nivis candidiſſimum, quod ab omni acrimoniâ ſalium aquæ fortis ſæpiùs abluendo aqua pura, & exſiccando, liberari debet.

Poteſt loco ſpiritus vini cum oleo tartari per deliquium facto, vel aqua marina præcipitari. Deinde rurſus cum ſale præparato per dimidiam horam teri, & lavari poteſt, & in umbrâ exſiccari debet ſuper papyro.

Uſus ejus eſt ad vitia cutis auferenda, lychenes ſcilicèt, impetigines, ſcabritiem manuum, & ſimilia tollenda. Valet etiam ad fucum inducendum.

Arſenicum eſt fumus, ſeu fuligo metallorum, reperiturque in fodinis metallorum, ſcilicèt auri, argenti, ſtamni, plumbi, ferri, & cupri. Arſenicum ex terrâ, & aquâ compoſitum eſſe aliqui volunt; nonnulli ex ſulphuris naturâ; plerique ex mercurio, & ſulphure; Nos verò ex mercurio, ſulphure, & ſale conſtare dicimus: ex mercurio minimo inter principia; nimio ſulphure inflammabili: plurimo ſale cauſtico, & exurente. Iſta tria principia ſunt corrupta, & putrefacta, malè, & perperàm invicem unita; ſine ulla proportione reciproca nectunt, & ſine vinculo iſtam compoſitionem.

Dicitur & *auripigmentum.* Græcè Ἀρσενικὸν, ejus genera tria recenſentur album, arſenicum in ſpecie ſic dictum, ſeu *arſenicum cryſtallinum.* Citrinum ſeu flavum, *realgar, riſagallum, auripigmentum.* Et tertiò rubeum, *ſandaracha.*

Arſenicum cryſtallinum ideò dicitur, quòd cryſtalli modo pelluceat, non fit per ſe, nec ſpontè naſcitur in fodinis, ſed factitium eſt, *fitque ex auripigmenti ſcobe, & pari ſalis pondere miſtis, teruntur unà, & ſublimantur, donec creſcat in lapidem, idque toties repetitur, donec adeò purum efficiatur, & cryſtallum referat.* In medicinâ præſtantiſſimum eſt album, eligaturque cryſtallinum, ponderoſum, durum, benè purum, ad lacteum colorem tendens.

Auripigmentum, & ſandaracha nativa ſunt, nec inter ſe in alio differunt, quàm quod alterum magis, alterum verò minus excoctum fuerit in terræ viſceribus, ubi gignuntur. Unde colorum diverſitas in coctione ſecundum plus, minuſvè ſulphuris putrefacti, & corrupti, quod in compoſitione reperitur.

Nonnulli chemiſtæ icteritiâ ideſt auri cupiditate laborantes, in arſenico tincturam albam, & rubeam aſpicientes, credidêre in iſtis verum arcanum lapidis contineri, album argentum, rubeum aurum exiſtimaverunt, donec per examina oppoſitum experti fuêre. Nec eo contenti, ulteriùs ſe obſtinatiſſimè inſinuarunt, ut ad fixationem pervenirent, ac tantiſper, dum nulla domus, poſſeſſio nulla reliqua ſibi manſerit miſeris, in ſe tranſmutationem potiùs quam in metallis experti; & hoc quia nullâ præviâ mineralium, & metallorum cognitione hoc opus aggreſſi ſunt, quod, & hodiè maxima operantium pars, in hac arte facit. Aliqui in arſenico inſudantes, eorum ſententiam ad metallorum traſmutationem ex *Sybillinis verſibus* vetu-

vetuſtiſſimis ad hunc modum ſe habentibus, comprobare videntur.

Novem literas habeo, quatuor Syllabarum ſum intellige me.
Tres primæ duas literas habent ſingulæ,
Reliquæ reliquas, & ſunt mutæ quinque;
Totius verò numeri centuriæ ſunt duæ octo,
Et tres ter decades cum ſeptem. Intelligens autem
quis ſim,
Non rudis, vel ignarus eris ejus quæ in me eſt
Sapientiæ.

Hæc omnia conveniunt, in hac dictione græcâ græcè dinumerata Ἀρσενικὸν, quod ad albam tincturam attinet. Verum eſt tamen auripigmentum cum propria ſua natura aurum continere, quod per induſtriam nonnunquàm ſeparari poteſt in cæmento, vel projectione, vel aliàs in argentum, cuprum, vel plumbum attractione, non propterea ſequitur hoc per ſuas operationes, atque tincturas productum eſſe, ſed quod ante inerat, per ſeparationem dumtaxat, veluti ex ſua minera ſolet, ortum eſt. *Cajus* Princeps hujus excoqui juſſit ingens pondus, & poſt poſtremas purificationes, multum auri invenit omni ſpecillo probatiſſimum, ad pretium auripigmenti æquabile, non tamen ad operatorum labores. Eſt igitur auripigmentum auri vena, ſed inops, & indiga.

Album in medicinâ uſitatiſſimum eſt, fulvum, ſicut rubeum nullius pretij. Album vim Medicam in ſe continet, ita ut tutò ei fidatur in omnibus morbis, ad quos paratum eſt: fulvum minoris efficaciæ, leproſum in ſe continet virus: Rubeum quoque minorem in medicina virtutem habet, pejuſque venenum, cui nihil ſalutare.

Arſenici operatio in veneno conſiſtit, ideòque Medicum ſingulariter doctum, prudentem, peritum, diligentem, & expertum requirit.

Arſenicum inter venena haud infimum locum tenet, eſtque venenorum maximum, nec immeritò, nam præter ſummam acrimoniam urentem, cauſticamque facultatem, tantâ quoque malignitate vitæ noſtræ balſamo infeſtum eſt, ut non modò intùs aſſumptum, ſed etiam extrinſecùs adhibitum horrenda ſymptomata introducat, ut ſunt convulſiones, manuum, & pedum ſtupiditates, ſudores frigidi, palpitationes, deliquia cordis, ſpirandi difficultas, tuſſis, vomitiones, vehementiſſimi ventriculi, & inteſtinorum cruciatus, eroſiones, ſitis inexplebilis, æſtus, faucium, & gulæ aſperitas, urinæ ſuppreſſio, dyſenteria, &c. Et tamen quidam nefarij auſi fuêre arſenicum laxativis jungere, cujus venenoſitatem, ut corrigerent, ſpecies de gemmis adjecerunt.

Verumtamen facultates quoque habet utiles intrinſecùs in curandâ peſte, affectibuſque venenatis, ſed debito, & ſpagyrico modo paratum. Extrinſecùs utimur ad denudandam pilis quamvis partem, verùm ſi diutiùs adhæreat, nec cuti etiam ipſi parcet. Ad capitis pediculos enecandos cum lixivio. Aliquando cauteriis, & amuletis admiſcetur.

Auripigmenti, & ſandarachæ vires ferè eædem ſunt, niſi in arſenico cryſtallino paululùm ſunt mitiga-

tiores, & id ob ſal in ejus præparatione admiſtum.

Spagyrici variè ex arſenico parare nituntur medicamina, at præparationis ſcopus eò dirigendus eſt, ut acrimonia mitigata dulceſcat, & aura venenata, & volatilis ſeparetur, quæ omnia habentur per ſublimationem, fixationem, & liquationem.

Beguinus parat *rubinum diaphoreticum*, *Petrus Joannes Faber quintam eſſentiam deſcribit*, & alij quàmplures, quorum præparationes prædicant ad internos uſus noſtri corporis; Nos verò cum *Paracelſ. lib. 1. de reb. naturalib. cap. 1.* remur magiſteria ex arſenico parabilia, quæcumque illa ſint, minimè ad internos uſus eſſe adminiſtranda, ſed tantum externè, eò tamen, ut venenatam qualitatem mediâ præparatione deponat. Deponit verò venenum media fixatione, fixatur autem per calcinationem cum nitro, quo modo fit oleum ad magnos uſus externos.

Et quidem 1. per ſublimationem parant ex *arſenico rubinum diaphoreticum*, ita

℞. *Arſenici q. v. ſublima bis, vel ter in arenâ, ſemperque ſepara pulu. ſubtiliſſ. qui in aludele inſtar farinæ adhæret (eſt enim arſenici venenum,) partem cryſtallinam m. exactè cum flor. ſulph. an. & ſublima.*

Vires. Eſt ſpecificum in affectibus pulmonum ex craſſis catarrhis. Datur quoque ſudorem ciendum in morbis malignis, & venenatis.

Doſis à gr. iij. ad v. in convenienti vehiculo.

Eodem modo poteſt parari, & rubinus ex auripigmento æquali doſi ad ſimiles affectus adhibendus.

Secundò per fixationem, ſeu calcinationem *arſenici oleum* ita paratur à *Paracelſo*.

℞. *Arſenici, & nitri p. æ. tunde. Immitte in tigillum, pruniſque impone, ut evaporare, ac bullire incipiant tantiſper, donec fumus, ac bullitio ceſſaverit, hæcque ad imum fundi adipis inſtar in sartagine fluentis ſe demiſerint. Deinde per h. j. atque alteram (quò diutiùs, eò meliùs) ſepone, ut quieſcat, dehinc miſturam hanc marmori ſuper infunde, aureum acquiret colorem, & in loco humido ſi ponas, fluidum in adipem convertetur.*

Modò ſciendum hoc ol. ad leniendum poſſe cum vino ſublimato permiſceri, vel cum aliâ quadam aquâ convenienti. Poteſt etiam tart. calcinatum eodem modo ſolui, & redigi in ol. majoreſque acquiret virtutes.

Uſus ejus eſt in mali moris ulceribus percurandis. Puſtulas morbi gallici in naſo, vel ore, aliiſque in locis erumpentes curat ſola dicti ol. inunctio. Curat præterea ſerpigines, tineam, lupum, cancrum, carcinomata, fiſtulas, &c.

Tertiò per deſtillationem *ſpiritum*, & *butyrum arſenici* parant, ut

℞. *Arſenici p. j. & mercurij ſublimati p. ij. deſtilla per retortam, ut fieri ſolet in parando butyro antim. primò egreditur ſpiritus ſubtiliſſimus ſemper fumans, & ſub finem liquor craſſus, qui in aq. com. præcipitatur, vel in ſuo liquore ſervatur.*

Vires. Spiritus dicitur martem ſolvere radicaliter, tincturiſque ingreſſum præbere in corpora metallica. Butyrum verò eſt ſepticum violentum, cancrorum ulceratorum eradicativum; debet autem ei par quantitas opij ad ſenſum doloris obtundendum.

dendum

dendum permiſceri, & ex filo carpto circumcirca admoveri cum defenſivis convenientibus.

Verùm in his, & ſimilibus medicamentis Chymicis requiritur ſumma diligentia, & obſervatio artificis, tàm in præparatione, quàm in obſervatione, ut praxis clariùs docet, nunc ſit

ART. QUARTUS.

De Mercurio.

ABſolutis ſalibus, & ſulphuribus, ad mercurium gradum facimus, attamen hîc nos non loquimur de mercurio, qui unum eſt ex tribus principiis: nàm ſic mercurius eſt humidum radicale totius mundi, ex quo omnia fiunt, nutriuntur, foventur, & conſervantur; Sed de vulgi mercurio, quod dicitur *argentum vivum*, quia Lunæ inſtar eſt albus; vivum verò ratione mobilitatis, qua ſemper irrequietum agitatur, undè dicitur *animal currens ſine pedibus.* Dicitur Mercurius à notâ Mercurij cœleſtis velocitate, & inconſtantiâ, de quâ fabulati ſunt Poëtæ. Dicitur *Hydrargyrum*, quia aqueum videtur argentum, & reverà aquæformis eſt mercurius, non verò aqua madefaciens omne, quod tangit.

Conſtat argentum vivum, ut ſingula, ex ſulphure, ſale & mercurio. Sulphuris copiam habet, mercurium perquamoptimè miſtum cum ſale, ità ut mercurius ſuo ſale cohibeatur. Sulphur indè ità eſt anatizatum cum mercurio, & ſale, ut non faveat nec mercurio, nec ſali, ſed ambo æqualiter amet. Undè ob ſulphur perpetuò eſt fuſile, & currit in ſuperficie planâ abſque adhærentiâ ſuæ ſubſtantiæ; ob ejus copiam perpetuò eſt in motu, & non adhæret, & quia mercurius perquamoptimè miſtus eſt cum ſale, ità ut mercurius ſuo ſale cohibeatur, non madeſit, nec madefacit.

Antiquiores Græci admodùm tenuem de hydrargyro habuêre notitiam, ut colligitur ex *Dioſcoride lib. 5. cap. 7. ex Oribaſio lib. 13. ex Actuario lib. 5. cap. 12. & ex Avicennâ lib. 2. tract. 2. Gal. lib. 9. ſimpl. medicament.* temerè pronunciavit: *Argentum vivum ex ſpontè naſcentibus non eſſe, ſed ex iis, quæ parantur, velut ceruſſa, ærugo, pſoricum, lythargyros:* fateturque ſe nullum iſtius mineralis feciſſe periculum, an interimat, ſi devoretur, vel ubi foris fuerit admotum.

Poſterioribus vero ſæculis in communem ferè uſum adſcitus eſt mercurius, & in contumaciſſimorum morborum curationem, undè non paucæ circa illius facultates exortæ ſunt inter Medicos recentiores controverſiæ, quidam naturæ eſſe calidæ pronunciârunt, alij verò frigidæ, alij temperatæ, quidam veluti toxicum, ac perniciofiſſimum venenum à communi hominum uſu, atque commercio proſcribendum docuerunt. Demùm quidam adeò extulerunt, ac pro tàm admirabili remedio habuerunt, ut angelicum pronunciârint, cùm tàm admirabilis, & ſtupendæ naturæ ſit, ut quaſcumque formas, veluti novus Proteus ſibi induere videatur, & tamen propriam nunquàm amittit, nàm in altum in atomos elevatus, deorsùm præcipitatus, mortificatus, fixus, aut quomodo-

modocumque mutatus, naturam ſemper ſuam, & eſſentiam ſervat, ut ad priſtinam ſuam facillimè redigatur formam. *Fallopius* inquit eſſe imaginem & ſpeciem reſurrectionis, miraculum Soli Deo reſervatum, & hoc exemplo apud incredulos confirmare poſſumus, ut verbo Dei ex noſtro cinere reſurgamus, cùm pulvis præcipitatus iterùm in argentum vivum reviviſcat. Semper quippè ſuum retinet corpus, nec ullam ſubit corruptionem, aut alterationem, eo quod in ſui corporis conſiſtentiâ homogeneus ſit, nec partium alteritatem habet, quam homogeneitatem etiam auro ejus filio præſtat, ideòque inter utrumque magna illa familiaritas, & neceſſitudo, illudque præ cœteris avidè amplectitur, protinùs cum illo congreditur, amalgamatur, & amicabiliter unitur, tanquàm verum, & homogeneum auri menſtruum, & ſicut facilius eſt aurum conſtruere, quàm deſtruere, ità facilius eſt naturæ mercurium conſtruere, quàm deſtruere.

Quantùm ad qualitates *Avicennas* dicit eſſe frigidum, & humidum in ſecundo gradu, cui conſentit *Averroës*, ut refert *Pandectarius*. *Fernelius* de abditis rerum cauſis frigidum, & humidum in quarto gradu dicit hydrargyrum, quod confirmat *Matthiolus*. Alij ſuſtinent calidum eſſe & ſiccum intenſiſſimè; pro primâ opinione militat *Fallopius de metallis, & foſſilibus cap.* 37. pro ſecundâ adducunt *Galenum* 4. *de ſimpl. cap.* 18. dicentem *Hydrargyrum eſſe cauſticum*, talia ſunt in quarto gradu calida, quanquàm ſcilicèt de ſimpl. 19. aſſerat: *Eſſe à totâ ſubſtantiâ contrarium humanæ, naturæ*, & in fine ejuſdem fateatur *ſe neſcire hujus mineralis uſum*, ut ſuprà. Aliqui eſſe calidum, & humidum in quarto gradu, *Amatus Luſitanus* dicit eſſe frigidum, & ſiccum. *Matthias Unizerus de anatome ſpagyricâ mercurij* ait eſſe temperatum, compoſitum ex partibus calidis, & frigidis, præparatum verò eſſe calidiſſimùm. Idem ſentit *Saxonia de Lue Venereâ* miſtum eſſe imperfectum, à quo per calcinationem frigidum evolat, & remanet calidiſſimum. Hos damnat *Sennertus cap.* 21. *de Lue Venereâ* prohibetque eſſe calidum, & ſiccum, quorum rationes omnes adducere, & repudiare ſatis prolixum eſſet ſcribere, eò magis quia ad nauſeam uſque apud *Fallopium*, & *Sennertum* diſcuſſæ inveniuntur.

Recitatas nugas, & allata fabulamenta hactenùs de argento vivo protulêre, qui horrore quodam perculſi, illud neque extremis digitis tetigêre. Undè quid de hoc minerali docuerint, nunc videamus, qui à primis qualitatibus ejus virtutes non emendicârunt. Horum aliqui dixerunt argentum vivum eſſe venenum, aliqui verò id negârunt. *Matthias Untzerus* prolixè probat non eſſe venenum adducendo *Avicennam lib.* 4. *fen.* 6. dicentem: *Argentum vivum potum non lædere, ſed egredi per alvum.* Idem *Haly Abbas lib.* 1. *Pract. cap.* 43. *& Rhaſis in* 9. *ad Manſorem* de potu argenti vivi ſtatuunt. *Braſſavolus* ſine ullâ noxâ intra corpus aſſumi aſſerit, cùm Veterenarij brutis vermibus ſcantentibus, quod ex anhelitu cognoſcunt, avellanæ nucis putamen dimidiatum argento vivo repletum; & faucibus injectum, quatuor

tuor vicibus diglutiendum tribuant, nullo graviori morbo ſuccedente, curant. Et pueris in extremo conſtitutis periculo, quibus cœtera nihil profuerant, duorum granorum milij quantitate feliciſſimo cum eventû *Braſſavolus* exhibuiſſe teſtatur. Et nos abſque ullâ noxâ pluſquàm centies moribundis pueris mercurium vivum exhibuimus pondere unius ſcrupuli, & ab imminente morte fuerunt liberati, necatis illicò vermibus. In Galliâ verò propinatur pueris pro quotidiano remedio aqua mercurii hoc modo parata:

℞. *Mercurij vivi* ℥ j. *eam injice in aquæ ferventis lib.* 3. *Bulliat per ſpatium dimidij quadrantis, deindè aqua à mercurio decantetur, & ſumetur pro quotidiano uſu.* Nàm vermes non ſolùm illicò necat, ſed eorum generationem prohibet, corporis temperamentum ſervat, & contagia arcet. Id quod mirum eſt, eadem mercurij uncia quantumvis aquæ quantitatem eâ imbuit virtute, ut paulopòſt de hac veluti infinitâ mercurij virtute explicabimus.

Mulier cùm abortum tentaſſet diverſis remediis, ad eundem obtinendum libram integram argenti vivi eam ingurgitaſſe refert *Matthiolus*, & apud me conſtat pro eodem fine mulierem mediam libram mercurii ingeſſiſſe, ſed ut abortum non obtinuit, ità illæſa à mercurij aſſumptione remanſit. Verum eſt, quòd obſtretices laborioſè parientibus ſcrupulum unum mercurij exhibere ſolent pro partûs acceleratione, & non fruſtrà. Imò obſervatum eſt quoſdam ſitibundos noctu in tenebris vaſa argento vivo plena pro poculo arripuiſſe, & plenis faucibus argentum vivum magnâ quantitate exhauſiſſe, id tamen ſine damno per alvum rejeciſſe. Tentavêre adulteræ mulieres multoties argenti vivi exhibitione Zelotypos necare maritos, ſed argentum vivum uxoribus humanius ſcelus non complevit, undè extat apud *Auſonium* epigramma:

Toxica Zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſiquis, faciunt diſcreta venenum.
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergò inter ſeſe dùm noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinùs ut vacuos alvi petiere receſſus,
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quàm pia cura Deum, prodeſt crudelior uxor,
Et cùm fata volunt, bina venena juvant.

Servi in mineris argentum vivum colligentes, ut dominos fraudent, argenti vivi aliqua pondera ebibunt, illudque deindè per ſeceſſum ejiciunt, & ſecretò venumdant.

Citati omnes authores, & decantatæ experientiæ dilucidè concludunt argentum vivum purum, crudum, & nullâ præparatione antedatum, non ſolùm eſſe venenum, ſed innocuè intra corpus aſſumi poſſe.

Contrà non deſunt, cùm argentum vivum non ſolùm non tetigerint, ſed neque viderint, qui illud

lethiferum toxicum eſſe crediderunt, credulis profeſſoribus eorum ſcriptis eundem metum impreſſerint, hujus farinæ homines fuêre *Galenus, Aëtius, Conciliator, Cardanus, Fernelius*, & alij, qui ſine ullo fundamento argentum vivum ſtuporem, tremorem, convulſionem, paralyſim, epilepſiam, apoplexiam, lipothymiam excitare, & interdum mortem afferre inſinuant, ſed horum hominum de hoc minerali ignorantiam diffuſè demonſtrat *Quercetanus in Alexicaco, & in conſilio de Lue Venereâ*, & ab aliis plurimis præcipuè à *Sennerto, & Zacuto* controverſia deciſa eſt.

His de argento vivo traditis, quæ quicquid de eo vulgaria ingenia protulêre, continent, aliud ſupereſt examen faciendum, an ſcilicèt argentum vivum pro Luis Venereæ antidoto fuerit communiter receptum. Tale eſſe argentum vivum ſuſtinet *Quercetanus* cit. ſuprà locis, *Epiphanius Ferdinandus Hiſt.* 17. jurejurando affirmat 150. gallicos curaſſe ætatis, ſexûs, regionis, & temperamenti varios, & vario anni tempore; atque *Laurentium* memorat pluſquàm 1000. ſine recidivâ curaſſe, & hanc mercurij alexipharmacam vim ab occultis qualitatibus pendere, & à proprietate ſpecificâ diſputat *Felix Platerus.* Qui argentum vivum Luis Venereæ antidotum eſſe negant, ij ſunt, qui ex ignorantiâ illud venenum eſſe exiſtimant; cœterùm paſſim experientia docet, & hactenùs docuit, eæ morbi Venerei ſpecies, quæ à vegetabilibus remediis, atque à provocatis ſudoribus evinci non poſſunt, ab applicatione mercurij abſque ullo periculo radicitùs curantur. Nunc noſtras obſervationes, & de argento vivo ſundamentalem doctrinam ingenuè communicabimus.

Sciendum itaque eſt primò, quòd argentum vivum eſt corpus metallicum, in cujus productione cauſa eſt naturæ induſtria, ut ſub lege omnium corporum miſtorum illud non poſuerit; quippè omnia corpora miſta corruptioni, alterationi, diviſioni, & tranſmutationi experiuntur obnoxia, tantùm argentum vivum hoc gaudet privilegio, ut incorruptibile, inalterabile, indiviſibile, & immutabile non ſolùm ab ordinariis naturæ, & naturalium agentium viribus, ſed etiam à vehementiſſimis liquoribus, aliiſque mediis, quæ humana induſtria hactenùs invenit, & imposterùm inveniet; ac propterea multùm à cognitione hujus mineralis abſunt ij, qui illi primas tribuunt qualitates vel in exceſſu, vel in remiſſo, nàm qualitas à toto miſto manat, ſuum corpus deſerit, & in aliud imprimitur; argentum verò vivum, cùm ſit corpus indiviſibile, & inalterabile, nil ſui alteri corpori conferre poteſt: nàm ſiquid ex ſuâ ſubſtantiâ deperderet, illud non eſſet, quod anteà erat, quod falſum eſt in hydrargyro innumeris experimentis.

Neque qui toxicum, & venenum argentum vivum eſſe credidêre, ob eandem rationem ſua indiviſibilitatis aliquid rationi conſentaneum retulêre, cùm id quod venenum eſt, aliquid à ſe, quod vitam adoriatur, & occidat, emittere neceſſe eſt, quod cùm in argento vivo impoſſibile

bile ſit, impoſſibile quoque eſt, ut venenoſum eſſe poſſit: Verum tamen eſt, quòd cùm argentum vivum neque venenum, neque cibus dici poſſit, medicamentum illud nobis ſuadere debemus; undè neque exteriùs applicandum, neque interiùs exhibendum eſſe præter neceſſitatem, & morbi urgentiam: quæ curare ſolet, exiſtimamus, more aliorum medicamentorum, nàm præter neceſſitatem aſſumptum, ſi uti venenum non lædit vel ratione admirabilis ſuæ penetrationis, vel ratione exceſsûs ponderis (quod graviſſimum præ omnibus metallis, excepto auro) lædere faciliter poteſt.

Secundò ſciendum eſt, quod argentum vivum conſtantiam, indiviſibilitatem, & inalterabilitatem, uti illud ſemper idem, in ſuo corpore conſervat, ità quicquid quod acutum ſalinum, vel ſulphureum eſt, quoties in argentum vivum agere conatur, ſupra illud emoritur, & in aliquid aliud à priſtino omninò deſtinatum, tranſmutatur, argento vivo ſemper eodem perſeverante, licèt illud aliquâ larvâ mutatum appareat. Hinc diſcite, quàm ſit innocens, & omnis venenoſitatis expers, dùm ſimplex, parum, & nulli alii corpori commiſtum erat argentum vivum: cùm deindè liquoribus acutis, ſalſis, ſulphureiſque, commiſcetur, tantam venenoſitatem acquirere poteſt, ut infra quadrantis horæ ſpatium hominem perimere poſſit, ut de ejus ſublimato experimur.

Ubi eſt advertendum, quòd non eſt argentum vivum; quod in venenum convertitur, ſed ſunt ſalia acuta liquorum acrium, quæ dùm impenetrabile mercurij corpus ſtrenuè adoriuntur, illudque corrodere præſumunt, quia debilia ſunt ad tantam hujus corporis evincendam conſtantiam, ipſa ſuper mercurij corpus tranſmutantur, exaltantur, & corroſivi veneni proprietates, acquirunt; itàque venena non ex mercurio, ſed ſupra mercurij corpus producuntur, & coagulantur: nàm mercurij corpus poſt calcinationem venenoſam, ſi à ſalibus calcinationis ſeparetur, idem remanet mercurius, qui ante calcinationem erat, quod evenire non poſſet, ſi aliqua mercurij pars in venenum abiiſſet, nàm *de privatione ad habitum facilis non eſt regreſſus*. Dupliciter ergò argentum vivum adjuncta ſibi in venenum tranſmutat, vel per ſublimationem, vel per præcipitationem.

Primò per ſublimationem ſal vitrioli volatile in corroſivam, ac veluti igneam naturam mercurius convertit, nam vi ignis illud ſecum rapit, & ſuis partibus commiſtum illam acutiem ſollicitat: fit autem argentum vivum ſublimatum hoc modo.

℞. Mercurij purgati, vitrioli rubificati, ſalis præparati ana lib. j. ſalis nitri ℥ iv. Terantur, & miſceantur ſimul in mortario lapideo cum modico aceti tamdiù, donec mercurius nullo pacto appareat vivus. Quæ omnia benè miſta pone in cucurbitâ luto munitâ, cui ſuperimpone alembicum roſtratum: Da ignem per gradus ſ. a. per viij. *vel* x. *horas, & excipe aquam fortem, quæ per alembici roſtrum deſtillabit, & habebis mercurium ſublimatum ad inſtar nivis album. Operam ut meliùs perficias, poteris iterùm ſublimare, addendo pro qualibet librâ mercurij ſublimati aliam libram ſalis*

præ-

præparati, & vitrioli uncias, quatuor, ac tertiò cum ſale tantum ſublimabis.

Aſſerimus mercurium ſublimatum potentiſſimum eſſe, corroſivumque venenum, ſequenti artificio omnem ejus corroſivam activitatem auferetis, & in ſuave medicamen transmutabitis, qui *Mercurius dulcis*, & ab aliquibus *Drago mitigatus* appellatur.

♃. *Merc. ſublimati, & merc. vivi currentis an. lib. ß. ponantur ambo in mortario lapideo, & eò ſimul piſtillo miſceantur, ut vivi merc. nullum granulum appareat, ſed in maſſam nigricantem ambo redigantur. Pone in aludele, & igne arenæ adminiſtrato per* v. *vel* vi. *hor. ſublimabitur merc. Scinde deinde vas ferro ignito, & merc. dulcem recipies, remanentibus in fundo fæcibus, quas unà cum nigricante materia collo vaſis adhærente rejice.*

Nota quòd eadem ſalia corroſiva, quæ cum ſublimato perſeverant novi vivi mercurij adjunctione, & actione mediâ iteratâ ſublimatione dulcia fiant, nec adeo corroſivam vim retineant. In mercurio dulci conficiendo ſufficiet una tantùm ſublimatio, ſi purum, inſipidumque obtinueris; iteratis n. ſublimationibus infringitur vis purgatrix. Si verò ſexies ſublimabis, efficies *Calomelanos Turqueti*, inſigne contra lumbricos medicamen, ſi diagridio immiſceas.

Uſus hujus magiſterii eſt in lue gallicâ, gonorrhœâ recenti, &c. Bubones etiam incipientes reſolvit per ſeceſſum evacuando, diſſipat, expellitque omnis luis venereæ infectionem; priuſquàm dolores, gummata, aliæque ſpecies his graviores non apparuerint, nam in his aliquod affert levamen, minimè quidem integram ſanationem. Felici eventu ego utor in puerorum lumbricis enecandis. Icteritiam gallicam curat, & calculum renum expellit. Adminiſtratur à Quercet. in multis aliis morbis tanquam Panacæa.

Doſis eſt gr. xv. ad xxx. pro conditione perſonarum. Commiſceri poteſt cum pil. ſolutivis, conſervis catharticis, confectione hyacinth. & alkermes, aliiſque ſimilibus pro Medici cupidine, & infirmi exigentia.

Secundò per ſublimationem paratur merc. ſublimatus rubeus non corroſivus, *Arcanum corallinum* dictum, ità

♃. *Merc. opt. purgati lib.* j. *ſalis petræ opt. purificati, vitrioli ad rubedinem calcinat. an. lib.* ij. *Pulverizentur, & miſceantur opt. ſubinde irrorando, & incorporando cum aceto deſtillato acerrimo, donec diſpareat penitus merc. Hinc ſublima ex arenâ in cucurbitâ lutatâ cum capitello, & exit primùm phlegma, dein auctiori igne per 24. hor. continuato, ſublimabitur ſublimatum proximè à materiâ rubeum, paulò altiùs flavum. Utrumque rubeum, ac flavum cum ſalis petræ lib.* j. *& alum. calcinati lib.* j. *m. impaſtaque cum phlegmate prioris aceti deſtillati, ſublimaque denuò ut priùs hor. 12. & aſcendet iterum ſublimatum rubicundum, ac flavum, collige ſingula ſeorſim, rubicundum elue aquis cordialibus, ac ab eo efflagrare ſine ſpiritum vini; flavum calcina igne mediocri, ut rubeſcat, hinc elue ſimiliter, ac corrige cum ſpiritu vini deſuper accenſo. Faces nigricantes cum merc. in capitellum aſcendentes abjiciantur in ſingulis ſublimationibus.*

Uſus eſt in hydrope, morbo gallico, podagrâ, ſcabie, ulceribus, cancro, &c. Doſis à gr. iij. ad v. cum

theriacâ,

theriacâ, ſucc. roſ. pilulis catholicis. Purgat per inferiora præcipuè, eſt magnum Arcanum in deploratis morbis.

Mercurius non æquè bonus exiſtit, ſed variat. 1. Ratione matricis, ſeu loci naturalis, undè naturali loco cenſetur optimus, qui eruitur è mineris vicinis auro, vel argento, & hinc optimus cenſetur Hiſpanicus, & Hungaricus. 2. Ratione inquinamentorum, quibus nonnunquam per ſe in terra conſpurcatus eſt; undè ut plurimùm ſcatet commiſtione arſenicali, antimoniali, ſaturnina cadmioſa, quibus nonnunquam in terræ cuniculis venenoſus redditur. 3. Nonnunquàm à malevolis adulteratus venditur; adeò enim exactè eum, adulterare norunt beneficio plumbi, ut quoque ſimul per corium tranſire queant, adeoque difficile ſit fucum cognoſcere. Quapropter nequis incautus decipiatur, non à re erit hæc bonitatis ſigna obſervare. Primò bonus cenſetur qui per retortam propulſus nihil recrementi relinquit. 2. Qui in cochleare argenteo evaporationi ſuper prunis impoſitus maculam relinquit flavam, aut albicantem; qui nigram, aut fuſcam relinquit purgari debet. 1. Expreſſione per corium, quâ fæcibus craſſis in corio remanentibus, mercurius tranſit, ſed hic modus non eſt tutus, ut diximus. 2. Lotione, lavetur autem vel per acetum ſimpliciter, aut cum ſale miſtus, vel per lixivium calcis vivæ, & cinerum clavellatorum, vel etiam per lixivium ſaponariorum, ſæpiùs nimirum cum his agitando, & viciſſim à ſordibus eluendo. Purgatur quoque agitatione forti cum ſpiritu vini in vitro obturato, ſeparatur enim nigredo ad latera. 3. Deſtillatione, deſtillatur nimirum in arenâ per retortam igne ſat forti, idque per ſe, ſine additione, vel addito ſale tartari, calce vivâ, & ſimilibus. Opt. verò purgatur amalgamando cum metallis perfectis, ac poſtmodùm per retortam, à corpore admiſto ſeparando. Opt. purgatus cenſetur mercurius ille redivivus, qui ex ſublimato, præcipitato, & cinnabare elicitur, ut diximus.

Parant alii ex *merc. præcipitatum album*, quem nonnulli *mercurium coſmeticum* appellant, quo mulieres in perpoliendâ facie utuntur, more aliorum, & ſimilium pulverem albicantium, qui fucata quadam albedine eandem imbuunt. Aſt ſi frequenter adhibeatur, vereor ne poris ſe inſinuet, & temporis tractu dentibus, aliiſve partibus non leve damnum inferat, idcircò ejus uſus inter coſmetica improbatur, proſtant longè præſtantiora coſmetica, quibus innocenter uti poſſumus.

℞. *Merc.* ℥ iv. *diſſ. in aq. fortis ſuff. quantit. & affunde aquam ſalſam, præcipitabitur in pulv. alb. diſſolvens per inclinationem effunde, & præcipitatum multis ablutionibus omni ſalſedine, & acrimoniâ priva. Tandem exſicca, aq. roſ. ablue, & iterum exſicca.*

Uſus ejus eſt in morbis venereis, cujus doſis à gr. viij. ad x. xv. & xx. cum maſſa pilul.

Præcipitatur mercurius hoc alio modo.

℞. *Merc. ſublimati q. v. coque in aq. font. ebulliendo ad ignem lentum, deinde in hanc ſolutionem claram, & puram guttatim*

tim inſtilla ol. tart. per d. facti, & ſtatim præcipitabitur merc. inſtar pulv. lutei coloris. Decanta aquam, & pulv. aq. pura toties elue, donec aqua, quæ egreditur, nihil ſaporis acris retineat. Poſtmodum pulv. lento igne exſicca, & ſerva.

Hujuſmodi præcipitatus merc. dicitur ab aliquibus. *Præcipitatus Luteus*, cujus gr. v. vel vi. in theriaca vel ſimili alio vehiculo exhibentur jejuno ſtomacho bis in hedomada, quo modo ſoluit quoſcumque morbos chronicos, ut obſtructiones, febres erraticas, icterum, &c. & ſecundum *Hartmanni* ſententiam eſt etiam contra ipſa venena validius.

Simili modo præcipitatur *merc. ad ulcera* curanda aptus, ſequenti modo.

♃. *Calcis vivæ lib.* iij. *& extingue in lib.* xxiv. *aq. com. quam filtratione redde limpidam. Dein lib. ejus* iv. *adde ſublimati com. ſubtiliſſ. pulv. ſcrup.* ij. *& brevi temporis ſpatio, is ſe præcipitabit in pulv. citrinum, ulceribus malignis curandis appropriatum. Aqua inſervire poteſt carnis luxuriantis conſumptioni.*

Hic à *Lazaro Riverio* tàm decantatum in ſuis centuriis *febrifugum* detegamus, cum præcipitati ſpecies ſit, cujus ipſe ſuboſcuram, & tenui velo obvolutam, fidelem tamen, & omni fraude vacuam deſcriptionem proponit, inquiens: *Componitur ergò pretioſum hoc medicamentum ex triplici Hercule* xij. *laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tandem quartus athleta additur operis complimentum efficiens.* Fit ex Sole, antim. & merc. 13. deſtillationibus. Quartus athleta, ideſt ſpiritus vini additur ad operis complementum. Clariùs ità paratur.

♃. *Auri purgati* ℥ß. *ſolve in aquâ Regiâ, item in eâdem aquâ regiâ ſolve* ℥ß. *vitri antim. ſeorſim, in aq. fort. autem ſolve merc. vivi purg.* ℥ iij. *ſolutiones omnes limpidiſſimas conjunge, & omnem humorem abinde deſtilla, quem iterùm affunde, & rurſus abſtrahe ad* xij. *uſque cohobationem, tunc iſti pulv. præcipitato vini ſpiritum affunde, quem ſexies renovatum ab eo abſtrahe, tandèm fixus, & inſipidus pulvis ſub tegula igniatur*, quem *Bovius* ſuum Herculem appellavit, omniumque aliorum catharticorum ſpeciebus anteponendum judicavit tanquam domitorem luis venereæ, febrium petechialium, peſtilentialium, vermium, & aliorum morborum incurabilium.

Notandum verò prædictam aq. regiam non eſſe conficiendam mediante ſale armoniaco, quia nimiùm volatizat, & in ſublimationem adducit merc. & vitrum antim. ſed ſale marino, vel gemmæ, quamvis & ejuſmodi aq. regis valdè volatizet, & proinde ſingularis induſtria requiratur, ſiquis hujus Herculis familiaritatem exoptet.

Deſcribuntur ulteriùs innumeratæ mercurij præcipitationes à variis authoribus, quæ non abſimili à ſupra deſcriptis fiunt; ideò ſiquis eas deſiderat apud eos videre poterit.

Nobiliora verò, & potentiora arcana, quæ ex mercurio parari poſſunt, ulteriori ejus fixione fieri, ac per dicta ſolventia vulgaria fiunt, certum eſt: Nàm *Paracelſ. & Helmont.* per liquorem immortalem *alkaheſt* dictum, corallatum, vel diaphoreticum parant mercurium, quæ ſunt duo ex ſummis artis ſpagyricæ arcana, quorum ſingula valent ad omnes morbos curandos; tamen etiam deficiente liquore alkaheſt parari

poteſt

poteſt arcanum ex mercurio, media iterata ejus ſolutione in com. aq. forti, quod dicitur *mercurius diaphoreticus*. Sic *Paracelſ. lib. de morte rerum* ejus deſcriptionem tradit inquiens: *Ut autem in præcipitatum redigatur merc. non alio modo procedendum eſt, quàm ut in opt. aq. forti calcinetur, poſtea graduata aq. fortis ab eo abſtrahatur quinquies, plus, minusvè, donec præcipitatus pulchrum colorem rubeum acquirat. Hunc præcipitatum dulcifica quantum potes: ultimò quoque rectificatum vinum ardens ab eo deſtilla ſepties, vel novies, vel toties, donec in igne candeſcat, & non aufugiat: tunc habes merc. præcipitatum diaphoreticum.*

Helmont. mercurij diaphoretici tract. de febribus cap. 14. ſequenti modo deſcriptionem tradit.

℞. Pul. Joan. de Vigo propriâ manu paratum, nam alioquin admiſto minio, eſt adulteratus, prout qualecumque medicamen Chymicum, quod venale extat, fraude plenum eſt. Hic pulvis, affuſo elemento ignis de vitriolo veneris extracti cum aqua regia cohobandus eſt quinquies, ſub finem augendo ignem: nàm fixatur planè. Et eſt pulvis valdè corroſivus. Qui dein cohobetur decies cum aq. vitæ opt. dephlegmata, & vicibus ſingulis renovata, donec omnem corroſionem ſecum abſtulerit. Et tùm iſte pulvis, inſtar ſacchari, dulcis eſt.

Verùm hæc *Helmont.* mercurij diaphoretici deſcriptio non ità facilis erit, ut non erit, ut non requirat peritum artis ſpagyricæ, optimum artificem, exactumque Philoſophum, qui nè dum rectè noſcere ſciat, verùm etiam ſeparare eſſentias ex metallis, ſeu ſulphur eſſentiale, elementum ignis ab *Helmont.* appellatum. Quod idem advertit idem *Helmont.* cit. loco, dum inquit: *In præparationem ejus ingentis operæ eſſe, nec ſolius putantis, ſed verè ſcientis, eſt ſulphuris veneris, ſeu elementi ignis, ejus præparatio, ex quo ſumma diaphoretici mercurij perfectio pendet.*

Verumenimverò licèt *Helmont.* qui dùm margaritas porcis ſubtrahit, velum ante oculos adhuc perſpicaciſſimis ponat; nos tamen ingenuè aperiamus quid ſit elementum ignis ex vitriolo veneris.

Ignis iſte, ſive *ſulphur veneris* aliud non eſt, niſi ea pars cupri, quæ per acrium contactum virideſcit: pars hæc à cupro eſt ignis induſtria ſeparanda, ita ut remaneat metallum album, quod Anonymum dicunt, & non ſit ampliùs cuprum; major in hoc arcano comparando difficultas in ſeparatione hujus ignis veneris, qui ſine totali cupri deſtructione haberi non poteſt, conſiſtit. Fit eâdem methodo, quâ quinta eſſentia ex metallis extrahitur, cujus deſcriptionem *Paracelſ. lib.* 4. *Archidox.* de extractione quintæ eſſentiæ ex metallis tradit ſequenti modo.

Metallum in aquam ſolvatur, poſtmodùm hoc ſolutum per B. deſtilletur, & abſtrahatur, putrificeturque tamdiù, donec in oleum reducatur, quod è phialis parvis, aut cucurbitulis per alembicum deſtilletur, & pars una metalli manebit in fundo hoc iterùm in oleum ut priùs reducatur, ac deſtilletur tamdiù, donec omne metallum aſcenderit: poſtea putrificetur iterum per menſem: lento demum igne rurſus deſtilletur, & vapores primùm aſcendent, atque defluent in receptaculum, quos amovebis. Tandèm aſcendent obſcuri duo colores, unus albus, alter verò juxta metalli naturam, & conditionem. Et cum aſcenderint, omninò ſeparantur in recipiente, ſic ut eſſentia

quinta maneat in fundo, color autem albus corporis natet ſuperiùs. Hæc duo ſeparato per tritorium, ac phialâ aliâ excipe quintam eſſentiam, cui vinum ardens affunde purificatum, & maneat cum ea tamdiu, donec prorſus acuatur, poſtea coletur, vel ſeparetur ab eſſentiâ quintâ, & recens iterum affundatur: hoc toties feceris, donec acuitatem nullam percipias amplius. Tandèm aquam bis deſtillatam affundas, quæ quidem abluatur, & ad ſuam dulcedinem perducatur; ità aſſervato. Hac viâ præparatur eſſentia quinta metallorum. Album verò ſi reduxeris, habebis inde malleabile corpus album, & metallicum, quod cognoſci nequit, ſub quâ ſpecie contineatur. Plures aliæ viæ reperiuntur ad extractionem eſſentiæ quintæ, quas quidem ſubticemus, quod à nobis extractiones veræ quintarum eſſentiarum non exiſtimentur, ſed tantum tranſmutationes, in quibus extractio nulla fit; nec venit in uſum.

Ignis, ſive ſulphur veneris dum dicto præcipitato affunditur, ſulphuri mercurij extraverſo inſeparabili thoro conjungitur, efficitque ut nunquàm amplius in mercurij centrum ſe recipiat, luduntque tunc in pulveris ſuperficie ambo ſulphura, alterum mercurij, quod ſummum eſt reſolutivum, & alterum Veneris, quod ſummum eſt anodynum, ex quorum reciproca virium conſertione, in curando tot prodigia emergunt.

Hujus arcani energia, ſive hoc medicamen præſcripto jam inſtituto conflatum, ſive aliud ex aliis mineralibus, alioque artificio confectum, dummodò diaphoreticam attigerit indolem, omnibus curandis morbis, qui curationem admittunt, erit efficacia præditum, eritque in arte medendi Catholicum, quo complebitur quidquid Phyſicus, & Chirurgus optare poſſunt ſanando.

Hinc aliqui ſtante ſulphuris veneris imperitia, adhuc abſque eo *diaphoreticum mercurium* parare nituntur, qui non adeò perfectus, tamen omnia alia vulgaria mercurialia medicamenta ſua activitate ſuperat, ejus deſcriptio talis eſt.

℞. Pulv. Joan. de Vigo, qui fit ter præcipitando merc. per opt. aq. fort. & ad ſummam rubedinem redactum, adhibito igne forti in fine deſtillationis, coboba, deinde quinquies cum opt. aq. regis, in fine cujuſcumque deſtillationis augendo ignem, & erit pulvis valdè corroſivus, tunc coboba decies cum ſpiritu vini opt. alkoholizato, vel toties donec dulcis f. ut ſaccharum.

Uſus ejus eſt in lue venereâ hydrope, febribus, ulceribus, omnibus ferè aliis morbis, qui ex materiali aliqua cauſa producuntur, ac foventur; nàm corpus humanum quantùmvis ſordidum purgat, ac abſtergit, ſi prudenter tamen exhibeatur.

Doſis eſt gr. ij. iij. uſque ad iv. in formâ pil. In febribus autem exhibetur ante paroxiſmum cum aliquo ſedativo, ut Nepent. pil. de cynogloſsâ. In lue autem gallicâ, ulceribus, aliiſque affectibus poterit exhiberi cum pil. vel confect. ſolut. Theriacâ, &c. Vel mane jejuno ſtomacho, vel etiam quandoque veſperi ante cænam, ut videbitur.

Summa mercurij homogeneitas, non patitur propriæ eſſentiæ ſeparationem, ſed aquæ elementaris adinſtar ad ignem vel totus evolat, vel diù impermutatus in ſuâ eſſentiâ perſeverat. Nàm ſi in vapores cogitur, ac ſubtiliatur, non mutatur

tur in ſe, ſed à frigore repercuſſus, in priſtinum redit mercurium, non ſecus ac communis aqua, dum in vapores cogitur, non tranſmutatur ſubſtantialiter, ſed tantùm accidentaliter, ideoque ſub vaporum laruâ, impermutata perſeverat aqua, non ſecus ac erat priùs. Patitur verò mercurius ſeminales impreſſiones ſub ſeminum fermentali activitate, ac ſecundum ſe totum hoc, vel illud faceſſit metallum, vel ſemiminerale &c. Sicut & aqua, quæ etiam ſuâ homogeneitate ſummè gaudens, tantùm à ſeminibus ſubacta, non patitur propriæ eſſentiæ ſeparationem à ſe ipſa, ſed tota ſub corporum geneſi accretione materialiter perſeverat.

Hæc verò non animadvertentes aliqui varia dum conati ſunt è mercurio, ſicut & ex aliis mineralibus, extrahere magiſteria, ut ſalem, ſpiritum, oleum, &c. undè fruſtra tempus, operamque conſumpſêre, ac ſi aliquid ſpiritus, vel ſalis è mercurio extraxiſſe jactent aliqui, præſertim Alchymiæ, & Cryſopopæiæ operam dantes, vel in errore verſantur, vel alios decipere conantur. Niſi velimus dicere, quòd ſi ſpiritus, vel ſales hujuſmodi mediis corroſivis, dum è mercurio extrahere forſan tentarunt, ij nil aliud ſunt, niſi fortium ſpirituum ſales volatiles eadem activitate, qua ſolvunt, vel fixati, vel adhuc volatiles permanentes, non autem mercurij, undè.

Aliqui *ſpiritum mercurij album diaphoreticum* ità parant.

℞. Merc. ſublim. tenuiter pulverizati p. j. argillæ rub. p. iij. m. & fac cum aq. com globulos in umbrâ exſiccandos, deſtilla dein ex retortâ vitreâ per arenam igne ſuppreſſionis (gradatim tamen) horis 2. adhibito, prodit elegans ſpiritus, quem ſerva. Si quid mercurij ſublimetur, cum recenti argilla m. & procede, ut antea. Doſis gr. j. ij. iij.

Spiritum verò mercurii rubrum hoc modo.

℞. Merc. ſublim. tenuiter pulverizati, limaturæ martis an. m. & reſolve per deliquium in ol. flavum, quod diligenter collige. Reſiduo (quod non ſolutum) affunde aq. com. ac extrahe ſal: ſal purificatum, & coagulatum denuò ol. conjunge, fietque aurei, vel crocei coloris. Deſtilla in arenâ ex cucurbitâ humili per alembicum brevis roſtri, primò exibit phlegma, quod ſeorſim colligatur, auctiori deinde igne aſcendit rubedo, quæ partim in excipulum (quod mutatum ſit) deſtillabit, partim in alembico, & roſtro, butyri inſtar, adhæreſcet: urge ignem, donec nihil ampliùs aſcendat, tunc ceſſa. Phlegma deſtillatum unà cum rubedine ad ſpondilia cucurbitæ elevata, redde capiti ſuo mortuo, reitera; deſtillationem per alembicum eundem vix incaleſcente alembico, liqueſcet rubedo in alembico adhærens, exſtillabitque rubicundiſſimè in excipulum: poſtquàm rubedo hæc extillaverit, mutato excipulo, ſuſcipe phlegma ſubſequens, ac poſtea rubedinem aliquam igne auctiori, ut antea collige, idque repete tot vicibus, quot opus fuerit.

Uſus utriuſque hujus ſpiritus magnus eſt, in primis verò rubri: expellunt per ſudorem quodcumque in corpore noxium fuerit, aliiſque medicamentis difficulter cedit. In lue gallicâ puſtulæ hujus uſu ſponte cadunt, tubercula minuuntur, dolores ſopiuntur, ulcera fœtida manantia exſiccantur, & conſolidantur. Doſis g. j. ij. &c. in aq. theriacali,

miſturâ ſimpl. ſpiritu guajaci, decocto, & ſimilibus.

Oleum mercurij diaphoreticum dulce ità paratur.

℞. Merc. ſublim. q. v. ſolve in aceto deſtillato, digere, & abſtrahe acetum deſtillatum ad ſiccitatem, reſiduum in retorta digere cum ſpiritu vini rectificatiſſimi, donec fiat craſſus liquor. Hinc deſtilla ex arenâ igne forti, & prodibit liquor inſtar lactis. Lacteum hunc liquorem reaffunde materiæ in fundo relictæ, & deſtilla denuò. Sic exſtillat oleum album, ac fragans ſine corroſione.

Curat ulcera maligna, canceroſa, præſertim renum, & veſicæ. Vſus tàm internus, quam externus.

Aliqui ex *mercurio* ità *ſulphur* extrahunt.

℞. Merc. ſublim. q. v. affunde acetum deſtillat. ſtent per ſeptimanas aliquot, ut extrahatur flavedo s. a. Decantatos liquores deſtilla ad ſiccitatem, & habebis pulv. rubeum, qui eſt verum mercurij ſulphur.

Vires. *Paracelſ.* maxima huic attribuit præconia, in curandâ podagrâ, epilepſiâ, morbo gallico, &c. quorum radicem per ſudorem expellit. Doſis gr. iij. iv.

CAP. IV.

De Metallorum Præparationibus.

EXplicatis jàm in ſuperioribus aliorum mineralium magiſteriis, nunc ad ea enucleanda aggredimur, quæ ex metallis educuntur, ſingula in ſingulis articulis expendentes, circa quorum anatomen more noſtro, quæ detegenda occurrunt, breviter aperiemus, initium facientes, ab auro, tanquam omnium perfectiſſimo.

ART. PRIMUS.

De Auro.

AUrum *Sol* appellatur à Chymicis, quia Soli, tùm macrocoſmico, ſeu cœleſti, tùm microcoſmico ideſt cordi ſympatheticè reſpondere creditur. Appellatur quoque *Rex metallorum*, quòd principatum inter metalla ſibi vendicat. Græcè dicitur χρυσός. Eſt aurum corpus metallicum nobiliſſimum, ſolidiſſimum omnibus metallis natura, & perfectione ſuperius, fixiſſimum, & incorruptibile.

Compactum eſt in terræ viſceribus ex principiis perfectis, ſulphure, mercurio, & ſale ſummè coctis, digeſtis, & maturatis. Ex ſulphure quod eſt ad ſummum à naturâ ſublimatum, & ab omnibus fæcibus, nigredinibus, & ſpurcitiis depuratum, ut nullum uſpiam ex omnibus metallis eſſe poſſit. Ex mercurio, qui ſecundum naturam metallicam ad ſummum ſeparatus, ac ab omnibus terreſtreitatibus, & accidentibus liber in purum mercuriale corpus ad ſummam perſpicuitatem transmutatus eſt. Ex ſale, quod eſt ad ſummum cryſtallizatum, tamque ſubtiliter ſequeſtratum, & depuratum ab omnibus ſuis acrimoniis, acerbitatibus, aluminoſitatibus, & vitriolitatibus, &c. ut nihil adhærens jàm habeat, ſed exquiſitè in ſe ipſo ad ſummum elucidatum, & ad diaphaneitatem evectum ſit. Ex ſulphure citri-

citrinum obtinet colorem; ex mercurio compacto pondus reliqua metalla excedens, & conſtantiam; ex ſale ſolidiſſimum, fixiſſimum, & incorruptibile corpus habet. Malleo maximè dilatatur, cum mercurio vulgi facillimè præ reliquis metallis unitur.

Hæc tria principia puriſſima ità inſeparabili thoro, & indiſſolubili nexu uniuntur, ut permanentia, & indiſſolubilia fiant, & *facilius eſt ex non auro aurum conſtruere, quàm ipſum deſtruere*. Hoc ob ingentem unitatem, & optimam miſtionem, adeò fixam nanciſcitur naturam, quod non modò communem ſequitur permanſionem, verùm etiam incorruptibilem ferè temperiem. Hinc eſt quod quanquàm longioribus ſæculis aurum in terrâ, vel in aquâ ſepultum maneat, nunquàm rubiginem contrahit: Sicuti in igne diutiſſimè permanens, non modò aliqua ex parte comburitur, aut evolat, ſed & depuratius, & ſplendidius efficitur. Ad hæc ob optimam ſui unitatem, nullo phlegmate, nulloque pingui redundat, ità ut perpetuò fulgeat, ſplendidiſſimumque perduret. Quin etiam tractantium manus nullo colore tingit, nempè croceo, aut nigro, quemadmodùm cœtera faciunt metalla. Neque etiam aliquo odore, aut ſapore guſtantium, aut olfacentium, tùm nares, tùm palatum inficit.

Nullum habebat olim uſum in medicinâ, Arabes primi tanti metalli vires experti ſunt, atque ſuis compoſitionibus immiſcuerunt, limatum, aut in foliola redactum, quam quidem craſſam, rudemque ejus præparationem noſtri pharmacopolæ adhuc retinent, à vulgaribus Medicis perſuaſi, qui aurum lima comminutum, aut foliatum languentibus propinant, quaſi verò ſtruthionum ſtomachos, ferrum digerentes habeant. Medicorum vulgus magnâ ſimplicitate aureas catenas, nummos, & his ſimilia in liquore extinguit, vel cocturam facere molitur, & quidem aquâ ſimplici, in turbidâ quadam potione, in melle, in jure aliquo, aut vino ad confortationem ſpirituum, ac membrorum principalium. Nonnulli in confect. elect. multiſque aliis medicamentis, miſcent ut in *Diathamaro* ſecundum deſcriptionem *Nicolai*, elect. de gemmis, elect. lætitiæ *Gal.* confect. cardiacis, aureiſque Alexandrinis. Aliqui in aureis vaſis, & edere, & bibere delectantur. Verùm impoſſibile eſt, aurum fixiſſimum metallorum à debili calore, & fermento ventriculi inſito digeri, & actuari poſſe, quod igne vehementiſſimo, reliqua metalla vincente, lapideſque conſumente, non uritur, ſed purius, ac perfectius redditur: donec ad ſummum ſuæ perfectionis gradum devenerit, tunc in igne tanquam Salamandra jubilat. Non aurea majorum ſæcula ad nos refluxerunt, quibus theſauri adeò vileſcunt, ut ipſa ægrorum inteſtina, œſophagus, & labia, mentum, & barbæ obryzo incruſtentur auro. Taceremus hanc inſaniam, & prodigalitatem, niſi ægri quoque magno incommodo indè tentarentur, dùm ſcilicèt actio chylificationis, ſuctio, & tranſitus chyli per lacteas ex inteſtinis,

„ teſtinis, ejuſmodi aureis corpuſcu-
„ lis intervenientibus, turbetur.
„ Nàm quædam venarum oſculis, in
„ meſenterio, & inteſtinis ſitis, ſe
„ inſinuarent; quædam citra altera-
„ tionem, ut ingeſta, per alvum cum
„ excrementis inauratis deſcende-
„ rent; reliqua verò corporis Œco-
„ nomiam turbarent. Aurum limâ
„ comminutum, aut foliatum medi-
„ camentorum compoſitionibus ad-
„ miſtum, nullum alium uſum habet,
„ niſi ut vulgi oculos paſcat, & ſatu-
„ ret. Verùm dùm fallaci hoc auri
„ fulgore plebis oculos demulcere
„ volumus, ſaltem ea ratione id præ-
„ ſtemus, ne ſumptuum, & crumenæ
„ pauperum immemores, illis fortu-
„ nas ſimul, & ſanitatem inſania hac
„ noſtrâ prodigalitate eripiamus.

Auri vires roborando cordi, ſpiritibus vitalibus, & ſanguini mundificando dicatas eſſe tradunt propter mutua cordis, & auri effluvia ſympathica, & magnetiſmum inter aurum, & cor, quod alienum à veritate eſſe ſupra allatæ rationes convincunt; applicari quidem poſſet extrinſecùs majori in copiâ, atque dubio procul majori cum utilitate, vel nullo diſpendio. Hoc unum ſcio, aurum in crumena geſtatum, corroborando, & lætificando cor, præſtans eſſe contra melancholiam remedium.

Ut ab auro eſſentiam ſuis machinamentis melioris notæ ſpagyrici ſepararent, diù inſudârunt; tandèm nunquàm mediis ſuis diſſoluentibus auri eſſentiam cum ejus deſtructibilitate, ſicut & in aliis contingit metallis, extraxêre: varij enim variis ſolventibus licet id tentavêre, tamen omnes operam, oleumque perdentes, remanſêre deluſi, etſi forſan aliqui ſunt, qui aurum potabile, quintam auri eſſentiam, ſulphur auri, & ſimilia arcana adepti fuiſſe jactent, ij vel decepti decipiunt, vel alios decipere conantur. Etſi magiſteria ex auro ad magnos uſus conſervant, ea nil aliud ſunt, niſi eſſenſificati ſpiritus, vel aquæ fortes ſupra auri corpus; vel ſi auri aliquid comminutum in ſe ipſis retinent, illud intranſmutatum perſeverat, & facilè à perfecto ſpagyrico in priſtinum aurum reduci poteſt.

Neque verò omnis virtutis auri expertes fuiſſe remur præparationes à *Paracelſ. in Archidox. lib. de Vitâ longâ* aliis in locis deſcriptas, ex eo quia *Paracelſ.* cum Circulato majori aurum dùm tractavit, facilis fuit virtutis ejus aliqualis extractio. *Helmont.* etiam impoſſibile exiſtimat ab auro eſſentiæ ſeparationem, ob ſummam ejus homogeneitatem, ut in *Progymnaſm. meteori §. 6. & tract. cui tit. pharmac. ac diſp. modernum §. 55.* aliiſque in locis fusè demonſtrat. Quapropter fruſtrà labore videntur omnes, qui conantur ex auro magiſteria elicere, niſi priùs aurum in primam ſui materiam reſolverint.

Vulgares verò varii ſpagyrici, tanquàm ſummum arcanorum arcanum ſummè jactant *aurum potabile*, quod multis modis per auri comminutionem per diverſa ſolventia factam efficere conantur; præcipuum verò modum placet hic adducere.

℞. Auri q. v. ſolve in aq. Regiâ, ſolutum per ol. tart. per d. facti ſenſim præcipita in pulv. tenuiſſ. quem edulcora

multis

multis lotionibus per aquam puram factis, donec tota acrimonia aq. regis evaneſcat. Deinde exſicca leviſſimo calore ſolis (adverte ne exſicces igne, quia magno cum fragore accenditur, diciturque ideò aurum fulminans, Græcè Κεραυνο-χρυσον, *tùm demùm hunc pulv. fulminantem diſſ. in ſpiritu ſalis eſſenſificato, & diſſolutionem fove in B. tepenti per dies* xv. *vel in ol. ſeu eſſentia vitrioli, vel in ſale tart. volatili, & ſerva ad uſum.*

Circumfertur eſſe omnium membrorum curativum, & præſervativum hoc arcanum, ac omnia alia artis ſpagyricæ arcana in virtute ſuperare.

Doſis eſt à ℈ß. ad j. in aquis cinnam. caryophyll. &c. quacumque horâ diei.

Sunt etiam penè innumeræ aliæ auri potabilis deſcriptiones authorum, ſed nullius forſan energiæ, ſi quis eas deſideret, penes eos legere poterit. In deſcriptâ autem auri potabilis præparatione aliquid virtutis in eſſe temur, idque potiùs ex ſpiritu ſalis eſſenſificato, aut ſpiritu vitrioli, vel ſale tart. volatili prodire, quàm ex ipſo auro cenſemus ob prædictas rationes.

Aurum fulminans, fertur eſſe inſigne ſudorificum, & Bezoarticum, cujus doſis eſt à gr. iij. ad iv.

Aurum fulminans compluritma, quæ priùs uti portenta in Philoſophiâ ſuſpiciebantur clariſſimè demonſtravit, nec amplius tot, tantiſque verborum nugis rerum naturalium effectus ſub obſcuro deliteſcunt. Tonat tale aurum tanto cum impetu, ut nec Bombarda, vel aliud quidpiam ita vehementius explodendo aërem impetat. Flammam tamen, & ſcintillas non concipit, nec ut multi credidere deorſum fertur tantâ vi, ut duriſſima quæquæ ſubjecta, etſi ferrea perforet, neque vel levi calore agitatum tonat; Siquidem ſæpiùs periculum fecimus, nec horum quidquam, quæ vulgò circumferuntur vidimus, quinimò duabus, vel tribus pilulis ſuper ferrea lamina, alia lamella ſuperinducta poſitis, multo, jugique calore experti fuimus aurum tonaſſe, & lamellam ad ſuperiora magno impetu enixam. Hujus impetuoſæ eruptionis tanto cum ſonitu emiſſæ cauſam explorare dignum videtur. Non ab aliâ exoriri exiſtimo, quàm à ſale armoniaco, & tartari oleo pedetentim infuſo, quæ in ſolis corpus ſtrictim adhærent. Etenim aurum, ut fuſiùs ſuprà explicuimus ex perfectiſſimâ depuratorum principiorum miſtione præcipuè ſalis defæcati valdè fixum evadit. Sal verò armoniacum eſt admodùm volatile, ideoque facilè ſublimat, undè nè totum ſimul ſublimet cum ſpiritus ex eo elicitur madida argilla cohibetur, tùm quia argilloſæ particulæ nonnihil ſuo motui reſiſtunt, tùm quia per ammoniaci corpus intermiſtæ illud ſeparant, nè totum ſimul junctis viribus ſublimet, quippè mercuriali natura præditum ſulphure abundat; Proindeque ſal, & aquila cœleſtis, ſal mercurialis, &c. vocârunt.

Particulæ igitur ſalis armoniaci, utpotè volatiles minus impuræ ſunt, magiſque de ætheræâ ſubſtantiâ participantes ſoli maximè cognatæ ſunt (non enim agerent in aurum, niſi uniri peterent, ſedemquę ſibi aptam quæ-

quærerent) ubi in auri particulas incidunt, facilè per cavitates, quas reperiunt, ſe intrudunt, illas ſolvunt, ſedemque tàm aptam ſibi extruunt, ut ab omni motu deſiſtentes arctiſſimè perſtringantur, ſal verò tartari paulatim inſtillatum (oleum enim nil aliud eſt, niſi ſal ſolutum, ut diximus) magis ſtringit priùs unitas particulas. Etenim aliquas, licèt exiguas inter illas particulas inveniens aptiorem quærit locum, unde ille motus excitatur quem poſteaquam invenit intra ſuas ramoſas, ſeu craſſiuſculas particulas corpuſculis ſalis armoniaci in illis auri fixatis ſecum ſtrictim velut intra labyrinthum involutis ſiſtit, velut gluten inter illa implicitæ in compactiorem maſſam coguntur; ſi verò totum ſimul oleum immergatur magnum motum excitans priorem compagem auri cum ſale armoniaco exturbat, ità ut non poſſint priori ſedi reſtitui, vimque fulminantem aurum amictet. His ritè expenſis, facilis eſt ratio, undè magnus ſonitus naſcatur, quippè cum hæc compages à magno calore conetur exturbari (magnus debet eſſe calor, nam ſtricta unio reſiſtit) particulæ omnes ſimul vim rejiciunt; ſed à calore ſuperatæ (etenim facilè à ſuâ quiete jàm acquiſita ſal ammoniacum excitatur), ſunt ſalis ammoniaci particulæ utpotè volatiles, & ad ſublimandum aptiſſimæ concitantur, paulatim tamen propter auri particulas, & olei intermiſtionem cohibentes illud, non ſecus ac argilla, poſteà verò à diuturno calore nimis percitæ, magnumque ſpatium expoſcentes ad ſuos motus deſcribendos totius maſſæ vincula immoderato impetu diſrumpunt, quia auri particulæ, & olei duriſſimam compagem intexerunt. Undè omnes ſimul violenter diſſociatæ erumpunt, amplioremque locum expoſcentes, circumfuſum aërem, tàm ſubito, tantoque impetu propellunt, ut ingens ſonitus indè oriatur. Tantus impetus ideò omnes excedit, quia auri maſſa ex ſe aliis durior duriſſima fit iſtorum corporum cohæſione. Separatio particularum ex illo videbitur manifeſtè, nàm quod reliquum eſt, duarum ſpecierum formam exhibet, coloris purpurei nempè, & albicantis.

ART. SECUNDUS.

De Argento.

ARgentum à Chymicis luna dicitur, à græcis Αργυρὸς. Eſt metallum perfectum, auro tamen ignobilius, & imperfectius, conſtans mercurio penè fixo, ac ſulphure albo, etiam penè fixo, & ſale vitriolato, non ità puro, ſed poroſo, non minus perfectis, quàm puris, ſed non ità perfectè coctis, maturatis, & fixis ut in auro; non enim tàm grave, nec tàm fixum, ut aurum. Ideòque, etſi aliquo modo durat in igne, & in cineritio perſiſtat: non tamen durat in cæmento regali, antimonio, ſulphure. Dilatatur poſt aurum maximè. Ex ſulphure non perfectè cocto album ſumit colorem.

Eſt metallum proximè ad auri naturam accedens, eò ut aliqui aurum eſſe ſolo colore diſtinctum ab alio

auro

auro putent, ſed qui per ignis anatomen argenti naturam cognoverit, cognoſcet quoque ejus differentiam ab auro, nàm habet in ſe ſulphur quoddam ſeparabile à ſuo mercurio, & ſale, quod non habet aurum, quod ob ſummam ſui puritatem, omnem extranei ſulphuris admiſtionem à ſe excludit.

Primi argentum introduxêre in uſum Medicum Arabes, qui non ſecus ac aurum, etiam medicamentis cardiacis immiſcuêre; hinc adhuc viget in officinis foliati argenti uſus; quâ cum utilitate exhibeatur, patet ex ſupra dictis cum de auro ſuprà egimus: nàm ſicut ſub argenti formâ perſeverat, ita minimè medicamenti operationes perficere valere remur.

Deindè ſpagyrici argentum per ignis analyſim tractantes varia parare nituntur ex eo medicamina. Et quidèm primò per calcinationem vitriolum ex eo parant, à quo deindè eſſentiam, ſeu tincturam, oleum, vel liquorem ab aliis appellatum eliciunt.

Calcinatio verò multiplex inſtituitur, & præcipuè cum ſulphure fit, & cum aquis fortibus.

Et quidem cum ſulphure calcinatio argenti fit, argentum ſtratificando (priùs tamen cupellatum & in ſubtiliſſimas bratteolas redactum) in crucibulo cum duplo ſui ponderis ſulphuris triti, & reverberando, donec ſulphur totum flagret; & in auras abeat, quæ ambo adhuc ignita projicienda ſunt in aquam puram, limpidam, & rurſus quod remanet in fundo indiſſolutum, iterùm cum duplo ſulphuris triti calcinando, & eodem modo in aquam projiciendum eſt, idque toties repetendum, donec totum diſſolutum fuerit argentum, & cum ſale ſulphureo in aquam migraverit, aqua deindè evaporanda eſt, donec cuticulam contrahat, & tunc in frigido loco reponenda eſt, & vitriolum cæruleum pulcherrimum in fundo congelatum reperies. Aquam decanta, & iterùm evapora, donec cuticulam contrahat, & ſupra dicto modo fac, ut vitriolum reddat, idque toties repetendo, donec omnis aqua prorſus exhalaverit.

Per ſpiritus autem fortes *luna* ſic calcinari poteſt, ut *vitriolum* reddat.

℞. Lunæ cupellatæ, & in ſubtiliſſ. lamellas redactæ ℥ IV. pone in retortâ, & ſuperfunde ſpiritus nitri, vel aq. fortis q. ſuff. ad eam ſolvendam. Deindè per diem naturalem digere, & deſtilla calore B. omnem humiditatem; tunc vaſe refrigerato ſuperinfunde novum ſpiritum, digere, & deſtilla omne phlegma. Deindè aquâ purâ calidâ omne quod in maſſam cæruleam coagulatum eſt, diſſolve, & filtra, & tamdiù evapora, donec cuticulam contrahat, pone, ut diximus, in loco frigido ut vitriolum concreſcat, & dicto modo procede ad omnimodam vitrioli extractionem.

Alij ad lunæ vitriolum meliùs præparandum, ut dictum eſt, diſſolvendo lunam cum ſpiritu nitri bis, & probè evaporando humidum per deſtillationem, deinde quod in fundo remanet, ponunt in digeſtione per 40. dierum ſpatium, quo tempore luna redigitur in aquam viſcoſam albam, quæ in loco frigido concreſcet in vitriolum viride, & cæruleum.

Laudatur lunæ vitriolum ad plu-

res uſus, ut in morbis chronicis, apoplexiâ, epilepſiâ, obſtructionibus omnibus, &c.

Doſis eſt à gr. x. ad ℈iß. in convenienti vehiculo, mane jejuno ſtomacho.

Sic autem parato ex lunâ vitriolo, conficiunt Chymici *tincturam* tali modo.

℞. Lunam, diſſ. eam in aq. forti, & affuſione aq. ſalſæ præcipitatur ad fundum matracij in calcem candidam, quæ frequenti ablutione aq. communis edulcorari debet, & exſiccari. Hujus calcis ℞. ℥j. ſalis præpar. ℥ij. ſalis armoniaci ℥ij. hæc probè m. in mortario vitreo, & reverbera per octiduum, elicitur tinctura ſpiritu vini alkoholizato, & circulatur.

Confert maniæ, & aliis cerebri affectibus.

Sed not. quod ablato menſtruo remanet tinctura in formâ liquoris. Hæc eadem tinctura inſtar cærulei ultramarini coloratiſſimi extrahitur ex limaturâ lunæ cum ſpiritu vini, in quo aliquid ſalis armoniaci fuit ſolutum, quæ ulteriùs poſtea ablato hoc menſtruo, & tinctura, quæ remanet à ſalſedine liberata alkohole vini repetitis cohobiis, in oleum elaborari poteſt.

Tinctura lunæ eſt diaphoretica, & aliquantulum anodyna. Cerebri inflammationi, nervorum convulſioni, morbo attonito, inſaniæ, delirio, & melancholiæ maximè prodeſt. Ejus gutt. iij. vel iv. ad vi. in aq. beton. ſalu. vel meliſſ. Eſt ſingulare quoddam remedium hepatis, lienis, & menſtruorum obſtructionibus, datur in aq. cichor. centaurij min. ſcolopendr. Confortat omnia membra principalia, ſpiritusque animales mirificè exſuſcitat.

Multa alia ex lunâ parantur medicamina, quæ ſi vobis placet præparare, non abſimili methodo, ut ſupra dicta præparantur; undè nè tempus in luna teramus, ſit

ART. TERTIUS.

De Plumbo.

Plumbum, quod Saturno macrocoſmico Chymicè comparatur, etiam macrocoſmico ſaturno, lieni prodeſſe creditur, eſt metallum omnium ferè viliſſimum, ponderoſiſſimum, auro excepto, molle, lividi, ac nigricantis coloris. Conſtat ex mercurio copioſo, impuro, & naturam antimonialem æmulante; Sulphure pauco, itidem impuro, indigeſto, fætido, ac nigricante, & ſale impuro, liquabili, & aluminoſo.

In examine aliorum metallorum imperfectorum adhibitum, ea abſumit, & una in fumum abripit, aut in ſcorias convertit. Hinc ad perfecta, & nobiliora metalla purganda ab aliis metallis imperfectis adhibetur. Hæc operatio dicitur cupellatio, in quâ aurum, & argentum pura redduntur, evaneſcentibus imperfectis. Hæc Saturni proprietas vertendi metalla imperfecta in fumum, aut in ſcorias in examine, ſive cupellatione metallorum nobilium tribuitur copioſo ejus mercurio antimonialem naturam æmulanti.

Natura ſemper ad perfectionem, & puritatis culmen anhelat, & eatenus, quin metalla imperfecta, & impura ad perfectionem, & puritatem conducat, ſeparata imperfectione,

ctione, & impuritate; Undè præterquam quòd unumquodque metallum invicem tranſmutari poteſt, arte utente eadem materia ſupra terram, quâ ipsâ ſub terrâ, & in ſuis cavernis; tamen plumbum in ſtamnum, & argentum ope naturæ vertitur. Siquidem experientia nos docet, in mineris argenti reperiri communiter plumbum, & in nonnullis ambo ſimul permixta, ut argentum imperfectum videatur, fermè ob digeſtionis defectum: quapropter metallicarum periti rerum diligenter eaſdem claudunt, meatuſque omnes obfirmant, nè aër illuc penetret, & ſpiritus metallici egrediantur. Nàm eo modo minera plumbi mutabitur, & fiet minera argenti per ſucceſſionem temporis, quod tamen ſæculum integrum, vel circiter excurret.

Hinc ineptum clarè percipitur quorundam ſtupidorum opinamentum, qui exiſtimant plumbum, aut ſtamnum, domorum faſtigio impoſitum ſæculi unius lapſu in argentum tranſmutandum. Quippè nec ſolaris calor, nec confuſa variorum ſpirituum, ſaliumque per aërem excurſio, id perficere poteſt, quod proprij fermenti digeſtio in fodinis operatur, ut manifeſtum redditur ex rubigine continuò ſuccreſcente in illis laminis tecti, quæ denſiores fiunt temporis curſu, etenim variæ particulæ acres illas aſſiduè corrodunt, donec abſumant. Nec minus rationi, & experientiæ contrarium videtur, quod *Faber* dixit hanc nempè rubiginem cum metallicis ſpiritibus in loco optimè clauſo conditam in perfectum metallum verti. Quippè clarum eſt continuâ eroſione ſubtiliores, ſeu puriores metalli partes ſeparari, ideoque in ſuâ compage amplius cum perſeverare nequeat, craſſiores, & terreſtres derelinquuntur, ut quilibet experietur, ſi rubiginem igne reverberij in crucibulo imponat, quæ in plumbum haud fundetur.

Plumbum per corruptionem facilè reducitur in ſuum ſpiritum, ceruſſam, minium, lithargyrium, & poſtremò in vitrum, quæ ſunt medicamina ſimplicia; compoſita verò ſunt innumera, nàm nullum extat emplaſtrum, & unguentum, quod non habeat ceruſſam, vel minium, vel lithargyrium pro baſi.

Lithargyrium eſt excrementum ſpumoſum è depuratione argenti, aurique quæ fit fuſo argento, vel auro commiſcendo magnam plumbi quantitatem, igne follium per aliquod ſpatium adminiſtrato, reſiduum. Duo ejus ſunt genera, unum argenteum, quod albi coloris, alterum aureum, quod flavi coloris exiſtit. Verùm non niſi coctione differunt, aureum magis vim ignis paſſum eſt, quàm argenteum. Aureum præfertur argenteo.

Vires ſiccat, & refrigerat, moderatiſſimè adſtringit, reprimit, occludit, cava explet, extergit, ſarcoticum eſt.

Minium tali pacto paratur, Funditur plumbum in matulâ terreâ, vel ollâ ferreâ, purgaturque ſcoriis, deinde aucto igne, ut olla candeat, continuâ agitatione cum ſpatulâ ferreâ reducitur in calcem, quæ cribellata poſteà, & diutiùs verberata tranſit in minium.

Ceruſſa quoque ex plumbo extrahitur ità.

℞. *Laminas plumbi q. v. eas accomoda ſupra os vaſis terrei ampli corporis, & lati orificij, affunde aceti acerrimi q. s. tege os vaſis tela, ne quid expiret, relinque in loco calido, cum laminæ ſolutæ fuerint, præcipitant in fundum vaſis, tunc decanta aceti id quod clarum eſt, & quod remanet in fundo exſicca in ſole, læviga ſupra marmor, trahice per ſetam, & ſerva.*

Præter hæc ſimplicia medicamenta, quæ per calcinationem ex Saturno eliciuntur, alia majoris energiæ ad multas morborum curationes perficiendas in arte paratur, &

Primò paratur *ſaccharum*, ſive *ſal Saturni*, ità

℞. *Calcis Saturni, vel minij, vel ceruſſæ q. v. affunde acetum deſtillatum, ſtent aliquandiù, extrahaturque s. a. decantatos liquores filtra, humiditatemque abſtrahendo coagula: ſic habes ſal ſaturni, quod iteratis ſolutionibus, & coagulationibus, primò in aceto deſtillato, dein quoque in aquâ) purificari, & tandem ad cryſtallizandum poni poterit, rejectis in operatione fæcibus. Si ſal ſaturni cryſtallizatum in cellâ repoſuris, liqueſcit paulatim, atque hac ratione ol. ſaturni per deliquium acquiri poteſt. Si ſolutioni* ſaturni *inſtillabis ol. tart. p. j. præcipitabitur in* magiſterium.

Vires. Saccharum, ſive ſal, & magiſterium (utriuſque eadem eſt ratio) intra corpus ſumptum ſuâ frigiditate libidinem veneream extinguit: Qui in cælibatu vivere conſtituerunt, & illo uti volent, conſultiùs facient, ſi regionem ſaltem externam admiſto oleo inungant.

Doſis gr. IV. V. VI. in vehiculo convenienti.

Extrinſecùs arcet libidinem, ſi umbilicus, & priapus eo inungantur. (Nota ſi viciſſim mederi velis, utere Balneo Laconico, & inunge umbilico oleum nucis moſchatæ deſtillatum.) Mira quoque præſtat in ulceribus corroſivis, malignis, cancroſis, impetiginibus, ambuſtis, ac inflammationibus. Diſſolvit tumores duros, & ſcirrhoſos, applicatur commodè contuſionibus, confert inflammationibus, rubedinique oculorum, in aq. roſ. & euphragiæ.

Secundò paratur *ſpiritus ardens Saturni*, ut

℞. *Salis ſaturni, vel potiùs ol. ſaturni per deliquium q. v. deſtilla per retortam vitream lutatam, cui alligetur amplum recipiens, juncturis opt. clauſis, aliter non parvam portionem amittes, & fragrantiam ipſius ſpiritus, qua exſuperat omne vegetabile; procede deſtillando, ſervatis ignis gradibus, primò exibit fumus albus, poſtea ol. rubrum, ab oleo deſtillato primò ſeparabis oleum flavum ſuperēminens, & aliud ol. rubicundum, quod ſe ponit in fundo, & replicans deſtillationem, ſeparabitur phlegma à ſpiritu ardente.*

Hunc odoratiſſimum ſaturni ſpiritum ſervabis tanquam pretioſum Balſam. ad varios profligandos morbos, tàm internos, quàm externos.

Uſus. Sudorificus eſt, hinc prodeſt in peſte, melancholiâ hypochondriacâ, febribus ardentibus, morbo gallico, &c. Uſus internus hujus ſpiritus non eſt ità tutus, ex eo quia virilitatem deſtruit, & emaſculat, ideò illum præbere non debemus conjugatis.

Doſis à gutt. ij. ad iij. in vehiculis appropriatis.

Tertiò paratur *Butyrum ſaturni* tali pacto.

℞. Li-

℞. Lithargyrij, vel minij q. v. reduc in pollinem, cui affunde acetum deſtillatum ad ſupereminentiam duorum digitorum m. in vaſe vitreo, ſtent ſimul per 24. horas, ſed tertia quaque hora agita materiam, ut fundum petat, poſt reſidentiam acetum ſtillatitium clarum per inclinationem ſepara, & ſerva, dein ℞. hujus liquoris partes ij. *ol. amygdal. dulc. partem. j. m. guttatim ol. in vaſe plumbeo, vel aneo, ut f. Butyrum.*

Uſus Butyri ſaturni eſt ad omnia, quibus convenit unguentum roſaceum, & multò potentiùs agit. Præterea ambuſta omnia ſanat, & citiſſimè ad cicatricem conducit, dolores hæmorrhoidum mitigat, & demulcet. Ulcera maligna, & depaſcentia compeſcit, & temperat, nè ultra progrediantur, & dolores extinguit. Applicatur exteriùs cum petiis lineis aceto madidis, & expreſſis: ejus uſus frequenter iterandus, præſertim in inflammationibus, & ambuſtis, quia corpus ejus citò diſperditur ab inflammatione.

Quartò *tincturam ſaturni* parant alii hoc modo.

℞. Cryſtallor. ſaturni cum aceto deſtillato fact. & edulcurat. q. v. extrahe cum ſpiritu vini, filtra, digerendo defæca, (ſubſident enim fæces) abſtrahe tandem vini ſpiritum, & remanet tinctura rubra in fundo.

Præſtantiſſima eſt medicina in maniâ, melancholiâ, quartanâ, phthiſi, lienem aperit, in melancholiâ hypochondriacâ apprimè conveniens eſt. Doſis gutt. ij. iij.

Quintò ex ſaturno excellens coſmeticum paratur, dictum *lac virgineum*, quo virgines uti deberent, ut

℞. Alum. crudi ℥ iv. decoquantur ad tertias in aq. font. lib. ij. *Poſtea ℞. Lithargyrij lib. ß. aceti vini alb. lib. i ß. Decoquantur ad reſiduum lib. j. colentur, & commiſceantur ambæ aquæ, & ſpatula tamdiù agitentur, donec albeſcant.*

Coſmeticum eſt medicamentum, cuti perpoliendæ, ac manibus lævigandis accomodum, faciem tergit, lentigines delet, cutis infectiones adimit, nec non ſerpigines, lichenes, impetigineſque perſanat.

Johannes Schröderus lac virginis hoc modo deſcribit.

℞. Aq. ſolan. nymph. lactuc. aceti an. ℥ij. *diſſolvantur in his lithargyr.* ℥j. *ceruſ. candidæ* ʒ iij. *camphor.* ℈j. *ſtent aliquot horis, dum reſederint, quæ craſſa ſunt, tùm tranſcolentur per filtrum, aut cribrum ſetaceum.*

Uſus magnus lactis hujus eſt, non ſolùm in decorandis virginibus, acquirendoque nitore faciei, ſed & in ſcabie emendanda, ſanguineque ſiſtendo, tùm ad paſſam frontem explanandam, exporrigendamque.

Sextò parant alij *aquam ſaturninam*, ſive *Æſculapij* vomitoriam, ut

Deſtilla acetum fortiſſimum in alembico plumbeo magno, abjiciendo quartam partem aceti primò extillantis, tanquàm nimis debile, reliquum excipe ad ſiccitatem ferè totalem, cavendo tamen nè ab aceti mellagine tetrum acquirat odorem.

Dulce eſt guſtui, datur ad ℥j. ij. iij. uſque ad iv. in febribus intermittentibus pro vomitorio, & contra epilepſiam phlegmaticam à ventriculo ſuſcitatam.

Tandem *ex ſaturno* paratur, eliciturque *mercurius* tantopere ab Alchymiſtis expetitus ad metallorum tranſmutationem, qui tali methodo elicitur.

Fiat lixivium ex cineribus cavell. lib. j. *ciner. ſarment. vitis lib.* iv. *calcis vivæ lib.* j. *ſilic. uſt. lib.* ij. *cum aceto deſtillato. In hoc lixivio ſolve ſaturn. limat. & quando lixivium lacteſcit, injice Borac. (tertiam partem reſpectu ſaturni injecti) ut ſolvatur: dein deſtilla gradatim, & extillabit tandèm in receptaculum mercurius currens.*

ART. QUARTUS.

De Stamno.

STamnum à Chymicis dicitur Juppiter, quod Jovi macrocoſmico ſympathicè conveniat, & proinde Jovi microcoſmico ideſt epati. In veteri medicinâ ferè nullus ejuſdem erat uſus, at Neoterici Chymiam profitentes in medicinam introduxêre. Eſt metallum molle, minùs tamen ductile reliquis, & veluti aridum, frangibile ſub malleo, & incude: album, undè vocatur plumbum album, reſplendens cum lævore quodam, & argento ferè ſimile; Eſt naturæ amicum, ut quotidiano uſu comprobamus. Saturno, ſeu plumbo longè præſtantius, atque ejus materia à plumbi materia valdè nobilior, hinc ab eodem plumbo diſcrepat duritie, candore, & minori ponderoſitate. Permanet in igne, ſed in vehementi evaporat, & in auras convertitur. Facilè unitur plumbo, undè ſtamnarij, cum plumbum, aut ſtamnum durum reddere contendunt, commiſcent iſta duo, in unam maſſam, quæ multò durior evadit, quàm ſi iſta ſeparata eſſent.

Conſtat ex iiſdem, quibus cœtera metalla, principiis: mercurio puriore (in genere ignobilium) maxima ſui parte, molliore, & fugaciore, quàm metalla duriora, fixiore verò quàm plumbum; ſulphure albo, ſicco, impuro, & minus maturo; & ſale dulci metallico ſui generis.

Ex Jove non inferioris ordinis parantur medicamina pro languentium ſalute, licèt *Quercet.* exiſtimet ſtamni uſum in medicina eſſe nullum; nos verò contrà, ut experientiis notum eſt, ejus neceſſitatem, & uſum nunquam ſatis celebrare non poſſumus, &

Primò parant *ſal*, aut *Vitriolum Jovis* tali modo.

♃. *Jovis in Angliâ nati q. v. ſolve in aq. forti, facta ex alumine & nitro. Quieſcat ita ſolutio, & videbis calcem Jovis albam, inſtar nivis, ad fundum vaſis præcipitari, quam ſublimari oportet, ſicuti cum flores albi antim. parantur, & invenies pulv. albiſſ. inſtar pollinis, in capitello ſublimatorij, qui in aceto vini, ter deſtillato, ſolvendus, & integrum biduum digerendus, vas ſæpè agitando. Dein eo, quod ſolutum eſt, per inclinationem effuſo, aliud acetum vini reaffundendum ſuper id, quod adbuc diſſolvendum reſtat: & omnia menſtrua, uſque ad ſiccitatem per M. B. extillanda, bonuſque vini ſpiritus ſuper id, quod in fundo vaſis remanebit, fundendus, digerendus, decantandus, & alius ſpiritus ſubſtituendus, donec totum ſolvatur. Tunc oportet duas tertias ſpiritus per B. extillari, & reliquum in frigidum collocari, ut cryſtalli formentur, quæ ſeparatæ in liquorem reſolvuntur, Si in locum humidum, ſuper marmor, ponantur.*

Uſus. Gutt. iij. aut iv. in umbilico fæminæ hyſtericæ calidè confricatæ, uteri ſuffocationem ſtatim tollunt.

cunque humorum apparatus, nec diſpoſitio aliqua inflammatoria, nec etiam particula aliqua imbecilla, ut v. g. ventriculus, lien, hepar &c. nàm quamplures à gelidæ potione in his caſibus noxæ ſuccedunt: cùm igitur hæ, & aliæ circumſtantiæ ad hujuſmodi potum abſque noxâ uſurpandum requirantur, & illæ in pauciſſimis reperiantur hominibus, illas obſervare difficile ſit, & ex præpoſtero uſu tot immineant pericula, hoc frigidæ remedium hac noſtrâ tempeſtate declinavit ab uſu, quia *Galeni* doctrina declinare cœpit. Eapropter ſatius erit alijs remedijs ſanguinem & totum corpus refrigerantibus, ijſque tutioribus uti, ut ſyrupis, julepis, conſervarum expreſſionibus, emulſionibus, epithematibus, linimentis cum aquis ejuſdem pariter facultatis & victu omninò refrigerante.

Parant *julapia ex decocto hordei, acetoſæ, cichorei, vel ex aquis endiviæ, fumariæ, lactucæ, portulacæ, ſonchi &c.* Vel exhibent *ſyrupos de portulacâ, endiviâ, de ſucco cucurbitæ, lupulorum, fumariâ ſimplici, vel de ſoncho cum aquis refrigerantibus,* quibus addunt *diamargarit. frigid. cum modico diatriaſantali.* Vel parant emulſiones ex amygdalis dulcibus, & quatuor ſeminibus majoribus frigidis in aquâ, admiſcentque ſyrupum de papavere albo, quæ maximè proſunt, ſi vigiliæ adfuerint. Epithemata in formâ frigida cordi, & hepati applicant, & lumbis *unguentem roſaceum, vel refrigerans Galeni, vel ceratum ſantalinum* admovent. Potum præſcribunt ex decocto *hordei, vel ex aquâ panis,* quam itâ conficiunt: *Ponunt panem in aquâ frigidâ, donec probè molleſcat, deindè colant pro potu ordinario, & ſacchari momentum* addunt, cùm lubet.

Pro ſynochi curatione ſecundum noſtram ſententiam unica curandi methodus emergit, ut vehementiſſimus ſanguinis motus, ex quo nimia ejus efferveſcentia dependet, tranquilletur, quem tenui, & humido inſtituto, ac frigido potu, alijſque medicamentis compeſcimus. Multùm confert *tinctura violarum*, quam itâ parabis.

℞. *Conſ. violar.* ℥. iij.
aquæ fontis ℔. j.
ſpiritûs vitrioli ʒ. j. m.

maneant ſimul per ſex horas, fiat deindè colatura cum expreſſione, quæ frigida fiat, & infirmo circa veſperas exhibeatur, efficaciſſima eſt hæc tinctura ad compeſcenda omnia interincendia febrilia. Ejuſdem energiæ eſt *roſarum tinctura*, quam alibi ſic paravimus.

℞. *Flor. roſ. ſiccar. mundat. q. v. inde phialæ vitreæ, cui infunde olei ſulphuris per campanam factùm q. ſ. ad madorem roſarum omnium cum aquæ quantitate, ut ſenſibilis acoris olei ſulphuris ſit ſapor; phialam probè obturatam lento calori expone per aliquot dies, & per aliquot vices agitabis, ut aqua probè tingatur, tincturam ſeparabis, ac ſimili modo novum ſulphuris oleum, & aquam impone, digere, & decanta toties donec omnem roſarum tincturam elicies, quod fiet ternâ, vel quaternâ infuſione; nàm manebunt roſæ albæ omni rubro colore privatæ in fundo, extractam tincturam ſerva ab omni fæce reſiduâ liberam, ut optimè niteat, quam vitreo vaſi clauſo impones.* Doſis eſt ℥j. ad ij. in ſyrupis refrigerantibus,

quos in Galeniſtarum curatione recenſuimus.

Sequentem ſyrupum ad ſanguinis fervorem compeſcendum utiliter experti ſumus:

℞. *Syr. de ſucc. viol.* ℥. iij.
aquæ card. ſancti ℥. v.
ſpiritûs vitriol. q. ſ. ad gratiſſ. acidit. m.

Pro tennioris fortunæ hominibus ſequentem potionem præſcribere ſolemus:

℞. *Succ. limon.* ℥. ij.
aquæ fontis ℔. ß.
ſacchari ℥. ß.
m. f. frigida potio.

Ad ſanguinis efferveſcentiam, ejuſque citatiorem motum pacandum multùm valent emulſiones ſeminum vulgò frigidorum dictorum, ut

℞. *Semin. melon.* ℥. j.
aquæ portulacæ ℥. v.
f. emulſio, &
ſyr. de nymphæâ ℥. j. ß.
ſpiritûs ſalis dulcis gutt. xv. *m.*

Emulſio noſtra ſomnifera nunquàm ſatis laudari poteſt in ſanguinis æſtu, & vehementi motu ſiſtendo, præcipuè ſi laborioſæ fuerint vigiliæ, ut

℞. *Amygd. d. à cort. mund.* ℥. ß.
ſemin. melon. ℥. j.
papav. alb. ʒ. j.
lactucæ ℈. j.
f. emulſio in
aquæ lactucæ ℔. ß.
ſyr. de nymphæâ,
papav. alb. ana ℥. j.
anodyni mineralis ʒ. j
vel flor. nitri ℈. ij. *m.*

Sumatur frigida horâ ſomni à cœnâ. Verùm in ſynocho medicamentum opiatum quantùm prodeſt, credibile non eſt, nàm præterquamquòd ſomnum conciliat, ſiſtit etiam ſanguinis efferveſcentiam, ac poindè

℞. *Syr. de ſucco cucurbitæ* ℥. j.
nepenth. Quercetani gr. ij.
aquæ lactucæ ℥. iij. m.

& horâ ſomni poſt cœnam propina. Quàm ſit efficax *Aqua noſtra ſomnifera in Mantiſsâ* deſcripta ad ʒ. ß. experientia te docebit.

Aquæ potum in ſynocho in vulgarium curatione improbavimus, ſed eo modo, quo *Magiſter Galenus* eum præſcribit, attamen in hac admodùm neceſſarium intra convenientiæ limites cenſemus, porrò hanc febrem ſolo potu medicinali, ut ſyrupis, julepis, emulſionibus &c. refrigerantibus, & humectantibus expugnare poſſemus, cœterùm potus ſimplex, & naturalis remedium eſt à naturâ inſtitutum, quia aqua naturâ ſuâ eſt frigida, & humida, ideóque hujus potus non ſit nimis calidus, ne ſanguinem ad citatiorem motum concitet, & hac ratione vini potus, ipſiuſque ſpiritus, & omnes potus ſpirituoſi planè exulent, quatenùs ſanguinem nimis agitant, & in majorem efferveſcentiam adigunt; neque nimis frigidus, cùm corpus maximè calefactum ſit, undè enim hic morbus oritur, quia omnes pori ſubitò mutantur, & facilè tunc inſenſilis tranſpiratio impeditur, adeò hic morbus ſemper calidus eſt, & noſter calor nativus à duobus validis hoſtibus exſtingui ſolet, à frigore ſcilicèt exſtinguente, & calore diſſipante: ad ſanguinis igitur vehementem motum, & fervorem temperandum potus frigidus ità neceſſarius eſt, ut ad aquæ motum, & æſtum in lebere ſupra ignem poſito frigidæ aquæ injectio;

ctio; ſed ut abſque noxâ ſumatur, æger non unâ vice, ſed pluribus reiteratis parùm, & frequenter impunè bibet pro citatiori ſanguinis motu, & effervescentiâ tranquillando, & aqua optimas habeat notas, quas in noſtrâ *Trutinâ lib. 3. cap. 6. de ſiti intenſa* recenſuimus.

Alterum præſidium in ſynocho expugnandâ eſt ſanguinis miſſio, ſed antequàm hanc aggrediamur, leniendus eſt venter enematibus refrigerantibus, quibus uti etiam poſſumus in toto morbi decurſu, ubi neceſſitas urget, ut

℞. *Decocti comm. q. ſ.*
olei, &
mellis viol. ana ℥. iv.
caſſ. extract. ℥j. m.

& quolibet die ſecari poteſt brachiorum vena, ſanguinemque educere ab unc. iv. ad ℔ß. juvat in ſynocho ſimplici venæ ſectio potiùs ventilando, quàm evacuando; ſic enim particulæ calidæ nimis agglomeratæ, & incendio jàm proximæ ab invicem ſeparantur, & veluti cùm fænum exardeſcere aptum, ſi aperto exponatur aëri, ejus accenſio præcavetur: repetitis igitur vicibus ea ſanguinis quantitas educenda eſt, quæ ad ejus motum; & effervescentiam tranquillandam neceſſaria fuerit.

Corporis purgatio in hujuſmodi febre per ſe locum non habet, ut facilè ex dictis liquet; verùm inquiunt vulgares, quòd ſi ex præcedentibus erratis appareat in naturali viſcerum regione humoralis aliqua colluvies, de qua dubitare poſſunt, ne in putredinem abiens, febrem ad putridam tranſmutet, ac etiam augeat; laudant in hoc caſu, ut leni aliquo dejectorio pharmaco colluvies prædicta expurgetur, ut v. g. mannâ, caſſiâ, & ſimilibus.

Febris ardentis curationem ſub ſilentio involvit *Galenus* quia eam cum tertianæ continuæ curatione coincidere credit, attamen ſecundum ejus mancipiorum mentem eadem proponere ſatius erit, qua poſitâ, patebit etiam ſimplicis tertianę continuæ Galeniſtarum curatio, cùm non multùm inter ſe per ipſos differant. Cùm autem in cauſo duo ægrotos magis excrutient ſymptomata, calor ſcilicèt èxurentiſſimus, & ſitis inexplebilis, circa hæc duo totus curationis cardo volutatur in orbem, ut ambo tranquillentur. Exſtingunt incendium ſummè refrigerantibus, & humectantibus, eapropter in hac febre pluſquàm in quavis aliâ refrigerandum, & humectandum, nam dimicandum eſt adverſus Vulcanum. Aër itáque ſi naturâ non ſit frigidus, & humidus, talem arte parant, potiſſimùm ſi febris ardens fuerit exquiſita, & anni tempus æſtivum: parant autem excitatis circa cubile, & in angulis domûs ſalientibus fontibus, & herbas refrigerantes in pavimento ſternunt. Vitandæ inſuper ſunt hominum in febrientis cubiculo frequentia, & quævis alia, quæ aërem calfacere poſſunt. Victûs rationem pariter refrigerantem, & humectantem præſcribunt, quare abſtinendum ab omnibus ſalſis, acribus, pinguibus, frixiſque cibarijs, ab aromatum, vini &c. uſu. Alvum quotidiè ſollicitant injectis enematibus pariter refrigerandi vim habentibus, ut quæ ex oleo, & melle violaceo parantur, imò *Mercurialis ex Oribaſij*, & aliorum

veterùm ſententiâ in his febribus etiam enematum uſum ex aquâ frigidâ probat : Verùm frigidum inteſtinis inimicum, & tormina gignit, convenientiùs autem ex lacte, vel ſero, decocto hordei, ptiſanâ &c. parant.

Pro potu potiſſimùm aquâ hordei utuntur ; ſimplex námque aqua à *Mercuriali*, & nonnullis in hac febre ſuſpecta cenſetur, quia in biliosis bileſcit , quod credat Judæus apella. *Averroës* in ardentibus febribus ſummoperè uſum aquæ anguriæ probat , *Mercurialis* hujus vice aquis ſtillatitijs ex ſolano utitur: Cæterùm ſolanum hortenſe narcoſeos ſuſpectum eſt, ſicut & omnes ejus ſpecies. Verùm in hac febre ſummè refrigerandum, & humectandum putant, & inter hujuſmodi præſidia principem extra omne dubium tenet locum aqua frigida , præcipuè ſi nullum adſit , quod ipſam prohibere dicunt, idcircò liberaliter ægris permittenda , idoneo tamen tempore : ſed quia inter alias conditiones optat *Galenus* in urinis coctionem, videtur propterea , donec cruda fuerit affectio, ab aquæ potu abſtinendum. Huic tamen *Galeni* ſententiæ contradicere *Averroës* quinque rationibus videtur, & oſtendere conatur adverſus Galenum in ardentibus febribus, etiam coctione non apparente , frigidam propinandam eſſe, & primò quidèm, ob ardentis febris incendium, quod facilè corporis humiditates exhaurire , & ſic miſeros ægrotos ad maraſmum ducere poterit. Secundò , quia experientiâ ſæpè refert innotuiſſe aquam frigidam ante coctionem in ardentibus febribus exhibitam profuiſſe. Tertiò, nàm, inquit, bilis ardentes febres excitans cruda dicitur non caloris defectu , ſed potiùs exceſſu, quia ſcilicèt ſummè fervida, ac propterea ab aquæ frigore potiùs coquitur, quàm incrudatur ad temperiem redacta. Quartò, quia , inquit, ſi noxa attendatur , quæ in frigidæ potu hujuſmodi febribus inferri poteſt, alia eſſe non poterit, quàm febris ipſius productio , hæc autem multò levior extat reſpectu noxæ , quæ à febris incendio ægris ipſis inferri poteſt, quare major erit utilitas in ipſius uſu quàm detrimentum. Tandèm, nàm pluries refert ſe expertum fuiſſe loborantibus ardente febre ſervo, & domino, convaluiſſe dominum largiori aquæ frigidæ uſu , ſervum autem perijſſe ob ejuſdem gelidæ privationem.

Verùm *Galeni* procuratores rem altiùs trutinantes , cùm ex utrâque parte, niſi rectè procedatur, noxam contingere poſſe meditantes, reſpondent primò diſtinguendum eſſe de potu ; hìc enim vel ad ſatietatem uſque, & largè ſatis ad febris exſtinguendum ardorem exhiberi poteſt , vel in minimâ quantitate, & dumtaxat ad temperandum febris incendium ; ſi de primo ſit ſermo , hunc cum Galeno cenſent, non niſi coctione apparente, ægris fore propinandum, tunc enim nulla noxa inſignis exindè accidere poteſt , & hoc modo allatam Galeni doctrinam intelligendam eſſe putant : Secùs autem ſi , crudâ exiſtente ægritudine, exhibeatur, nulli dubium exindè eſt putridinem facilè poſſe adaugeri ; ſi de ſecundo ſit ſermo, de quo, ut atten-

den-

denti patet, concludunt ſuprà dictæ *Averrois* rationes, ijs poterit abſque dubio etiam coctionis non apparentibus indicijs ægris elargiri, eâ tamen conditione, ut quò magis ad coctionem emergit, eò magis potûs quantitas adaugeatur. Diſtinguunt ſecundò de febris acutie, & vehementiâ, de anni tempore, & ægrotantis naturâ, calido enim, & ſicco tempore, ac vehementi exiſtente febre, & bilioſa ſatis ægri naturâ largiores ſunt in potu propinando: ſecùs autem ſi frigidum fuerit anni tempus, febris non ità vehemens, nec bilioſum, ſed frigidum fuerit ægri corpus.

Alterum præſidium vehementer refrigerans ex ſuprà dictis putatur venæ ſectio, quare in hac febre ſummoperè phlebotomandum eſſe videtur, ut ſummè refrigerent, & hujus ſententiæ fuit *Galenus* 1. *aph. comm.* 23. ubi habet: *In ardentiſſimis febribus ſi uſque ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris exſtinguitur, & plurimis etiam alvus citatur, & ſudores emanant, & quidam eorum ex his ſanitati ſunt reſtituti. Alij adjuti plurimum vehementiam ægritudinis abſciderunt.* Sed hoc præſidij genus redditur ſuſpectum, & eſt noxæ, ac periculi plenum; hujuſmodi námque febris bilioſiſſima eſt, atque ut plurimùm tempore anni valdè æſtuoſo contingere ſolet, quo à venæ ſectione prohibemur, ut docet *Hip.* VI. *de morbis vulgaribus aph.* 44. *Impeditio in cruenta expuentibus tempus anni, lateralis morbus, bilis.* Quæ verba *Gal. comm.* 3. Sic exponit: *Prohibentur illi, qui cruenta reijciunt, à vena ſectione, ob anni tempus, quod adverſatur, aut propter affectum lateralem, vel propter redundantem humorem, ſi is bilioſus ſit.* Quod propter anni tempus patet, nàm calidioribus anni temporibus, quemadmodùm ſub exortu canis, à ſecandâ venâ abſtinemus, & pari etiam pacto, ſi homo valdè ſit bilioſus: periculum igitur in hac febre ne ſanguine evacuato, bilis poſteà, magis efferveſcat; ſanguinem námque demere nihil aliud eſt, niſi auferre frænum bili, juxta *Avicennæ, & Averrois* conſilium. Eapropter *Mercurialis* cum vulgaribus diſtinguit, vel enim in febre ardenti multa ſanguinis copia bili juncta eſt, vel pauca; ſi multa, ſanguinem mittere licet; ſi pauca, ab omni venæ ſectione prorsùs abſtinendum eſt, ne ſcilicèt ipſi bili frænum auferatur. Cognoſcitur autem multum ſanguinem bili eſſe conjunctum, & proptereà ſanguinem largè mittere licere, ſi urina ſit turbida, & craſſa, ex ægri temperie diſtinguitur, & febris ad continentis modum afflictione, quòd ſi urina ſit tenuior, ſi clara, ſi flava, ſignum eſt aut ſolam abundare bilem, aut exiguum ſanguinem ipſi aſſociari, & conſequenter nullam requiri ſanguinis miſſionem. Barda eſt hæc vulgarium de ſanguinis miſſione doctrina, & diſtinctio de ſolâ bilis âbundantiâ, vel de ſanguine cum paucâ bile, ac proptereà ejus exploſionem prætermittimus.

Maleferiati vulgares cùm de magnis loquuntur morbis, ſemper in ore habent: *Magnis morbis magna, & exquiſita remedia convenire*; & hæc ad duo magna præſidia tantùm reducunt, ad ſanguinis miſſionem, & me-

Sang. frænum biliſ

dicamentum purgans, tanquàm ad duas medicinæ baſes, quibus omnes morborum ſanationes ſuperſternunt, & omnes eorum ægroti per hæc duo magna præſidia cadunt. Hæc omnibus morbis tàm magnis, quàm parvis tanquàm medicamenta de communi morborum omnium applicant. Sunt veluti garruli hiſtriones, qui oleum, vel balſamum nacti omnibus morbis convenire, & mederi jurejurando aſſeverant. Magnum remedium fatemur eſſe illud, quod magnum curat morbum, & dicitur magnum reſpectu morbi, non ſui ipſius, eſtò vile, vel nullius ſit pretij. Sic aquæ frigidæ potus febrem curat ardentem; lac eſt magnum remedium contra hauſtas cantharides; citri, vel limonum ſuccus magnum medicamentum eſt pro aquâ Tuphaniâ, quæ ad paucas guttas lentam accendit febrem, contra quam adhibita phlebotomia neceſſariò enecat; imò nos experientia edocti ſumus, ſumptâ hac aquâ, inſcium patientem medici opem renuentem convaluiſſe, quia non phlebotomatus fuit, & hæc aqua vulgò vocatur aqua phlebotomiæ, nàm ſectâ venâ, etiam ut dicunt, ad ventilandum, ſpes ſupereſt nulla ſalutis.

Hiſce vulgaribus adhibitis remedijs, ſi adhuc febris perſiſtat, quia quatuor modis exquiſita ardens per vomitum, vel alvi fluxum, ſudorem, aut per ſanguinis evacuationem è naribus terminare ſolet, ſedulò naturæ motum, ad quemnàm ex his vergat, obſervant. Si ad vomitum inclinet, hunc uſu *ſyrupi acetoſi, oxyſacchari cum decocto hordei, raphani*, & conſimilium adjuvant. Si ad ſudorem vergat, hunc linteolis *oleo violaceo, roſaceo, amygdalarum dulcium &c.* imbutis, calidis tamen procurant. Si ad ſanguinis fluxum, ſcilicèt hæmorrhagiam, leviter nares impoſitis ſuum pilis perfricare ſolent, quinimmò nonnulli etiam hirudines naribus applicant. Si tandèm ad dejectionem propendeat, aut nulla ad excretionem prædictam appareat naturæ vergentia, primò noxios ſuccos præparant ſyrupis bilem præparantibus, ità ſunt *ſyrupi de ſucco endiviæ, cichorij, portulacæ* cum aquis prædictis; præparatos poſtmodùm aliquo leniente extrudunt pharmaco, ad quem uſum *Hippocrates*, *& Galenus 4. de acutis text.* 7. utebantur *aſinino lacte, vel etiam caprini lactis ſero*, ad cujus ſolutionem adjuvandam *ſyrupum ex roſis ſolutivis, vel julepum aureum* addunt, aut in ipſomet ſero diſſolvunt *mannam Calabrinam*. Addunt etiam alij *rhabarbari infuſionem*, prout magis expedire videbitur, quæ lenientia pharmaca ad plures exhibent vices, ut ſcilicèt ſimul, & ſemel alvùm molliant, & refrigerent, prout febris expoſcere videtur.

Et quoniam in hac febre potiſſimùm infeſtant vigiliæ, omni ſolertiâ ſomnum non ſolùm uſu ſyrupi de papavere, ſed etiam inunctionibus in plantis manuum, pedum, in temporibus, ac extremis naribus ex *unguento populeonis* procurant. Laudant etiam ad hunc uſum in capite *oxyrhodina*, abraſis priùs capillis, vel etiam *ſtillicidia ex decocto foliorum lactucæ, ſolani, hyoſcyami, capitum papaverum, roſarum incompletarum, malvarum, violarum*, & conſimilium, quæ præcipuè obſervant in exquiſitis arden-

ardentibus curandis febribus.

Hæc eſt vulgarium febris ardentis exquiſitæ curatio, in ſpuriâ, & nothâ, quam à pituitâ ſalsâ humoriſtæ fieri garriunt, gelidæ aquæ potum, & omnia frigorifica proſcribunt; calorificis verò, & tepidis potiùs utuntur, nec ſanguini mittendo indulgent: ſed potiſſimùm eorum curatio circa alvi ſubductionem mollioribus enematibus, & ſuccorum noxiorum præparatione, ac eorumdem expurgatione vel per vomitum, ſi ad hunc natura vergat, vel per alvi dejectionem medicamentis phlegmagogis verſatur. Et hæc pro curativâ ardentium tùm exquiſitarum, cùm illegitimarum febrium curatione ſecundum humoriſtas ſint ſatis, & quia per eos pura tertiana non differt ab ardente niſi loco, nàm hæc in venis cordi proximioribus, illa verò in remotioribus excitatur, liquet proindè eodem ferè pacto curari, ſolùm faciunt diſcrimen ſecundum magis, & minus, ſcilicèt non adeò in eâ refrigerant, & humectant, quemadmodùm in exquiſitâ ardente, quare leviora pro ipſius curatione remedia uſurpant.

Pro febris ardentis curatione juxta noſtra principia primò ſal volatile acre, & oleoſum æſtuans temperamus, & alteramus, deindè poſt ejus tranquillitatem ad naturæ vergentiam, in ſpecie per ſudorem ſubindè eliminamus, niſi criſis medicum præoccuper. Verum enim verò ut rectam moliamur methodum, ſedulum oportet eſſe medicum, ne pro febre ardente, aut aliâ continuâ malignæ medeatur; accidit enim quandóque, ut primis diebus febris maligna ardentis tantùm ſpeciem arguat, & interim inſidiosâ malignitate deliteſcat, & irrepat. Cùm itáque interdùm cauſus malignitati copulari ſoleat, tutius eſt ſimul in principio malignitatem oppugnantia adhibere. Undè propinentur in principio bezoartica, vel alexipharmaca, nec æger ad ſudorem cogendus eſt, quia tunc temporis cùm omnia ſint cruda, nec quicquam ſecretum, ſine uſufructu ſudor proritatur, imò ægrum debilitaret, malum intenderetur potiùs, quam indè utilitas exigeretur. Bezoarticis, aut diaphoreticis ſemper addimus præcipitantia, & ſanguinis diſcraſiam corrigentia, ut corpore ad diaphoreſim diſpoſito, ſuo tempore perfectus, & largus proliciatur ſudor.

Potus in cauſo liberalior concedendus eſt, & præſertim ſi ſitis ſit clamoſa, & æſtus exurentiſſimus; hinc peſſimo peccant conſilio medici febrientibus omnem interdicentes potum, equidèm ex denegato potu febris ardor ſanguinem deprædatur, ſolidarum partium alimenta abſumit, humiditates exhaurit, vires enervat, & viſcera exſucca, & arida, imò ſemiuſta reddit, ut multæ proſtant ex cadaverum anatome obſervationes: liberaliorem itáque ægris elargimur potum, ut hæc, & alia detrimento declinemus, & optatus defluat ſudor. Atqui præſtat, ut crebrò, & parciùs bibant, quàm unâ vice copioſiſſimum ad omnimodam ſatietatem hauſtum ingurgitent, prior bibendi modus ſucceſſivè alterat, (omnis ſubitanea mutatio periculum minatur) poſterior omnem ſtomachi œconomiam nimis evertit.

In

In cauſi principio ſi alvus ſtictica, vel ſaltem non ſatis libera ſit, clyſteribus blandis, & lenientibus ſollicitanda eſt, qui ſolùm lubricam ſervent: at ſi quotidiè ſuum deponat onus, nullatenùs ſtimulanda eſt.

Quandò ſanguinis miſſio neceſſaria videtur, primò injiciatur clyſma, deindè, quia pulſus maximus urget in febre ardenti, & periculum imminet, ne ex nimiâ ſanguinis ebullitione, & rarefactione vaſa diſtenta & nimis repleta liberiorem impediant motum, & ſuffocationis, vel ſaltem vaſorum ruptiones evenire, poſſint, phlebotomandum eſt. Itáque ubi venæ ſectio taliter eſt neceſſaria, ut aliter fieri non poſſit, (quia non ſemper eſt neceſſaria) in primo principio inſtituenda eſt, ſive præmiſſo, ſive neglecto clyſmate, ſive mane, ſive veſperi; multi námque ſanguinem mittendi tempus matutinum dijudicant, ſed ubi neceſſitas cògit, quodcumque tempus erit opportunum, quia periculum eſt in morâ, & malum creſcit eundo, qui tempus habet, tempus non expectet, nàm quandóque occaſio eſt præceps, & calva, nec tempus, quod præterijt, redire poteſt:

Sed propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non eſt hodiè, cras minus aptus erit.

Quandò igitur neceſſaria eſt, in primo principio celebretur phlebotomia ventilationis gratiâ, ſecundum enim, vel tertium expectare diem pro venæ inciſione periculoſum eſt, & præſertim ſi febris maligna eſt, in qua phlebotomia eſt ipſâ malignitate malignior.

Medicamentum purgans nullatenùs in principio, ſed in morbi declinatione expedit, concoctâ jàm materiâ, & tranquillatâ maximâ febris efferveſcentiâ ex parte; in morbi verò curſu prorsùs omittendum eſt, ſed tantùm alvus blanda ſervetur, & hoc præſertim ubi nulla malignitatis ſuſpicio adeſt; nàm in malignis cautiſſimi eſſe debemus in alvo aperiendâ, quia nunquàm malignitas per anum exturbatur.

Emetica nullo modo convenire arbitramur, attamen ſi in principio, & augmento nauſea ex bilis in ſtomachum regurgitatione ità urgeat, ut lipothymia, vel cardialgia immineat, vel præcordiorum anxietates exindè concitentur, conſentaneum erit in principio, vel incremento vomitorium; motis enim impedimentis, medicamina deindè faciliùs operantur.

Si malignitatis ſit metùs propinari poteſt *Tinctura diaphoretica ex tribus principiis ad* ℈. j *in Battimelli Auctuario deſcripta.* Vel *miſtura ſimplex*, quæ etiam vocatur *Diaphoreticum in peracutis Paracelſi, & conſtat ex tribus ſpiritibus, nempè ſpiritûs theriacalis quinque partibus, ſpiritûs tartari tribus partibus, & ſpiritûs vitrioli unâ parte miſtis invicèm*, & ſervatis in vitro optimè obturato, doſis ejus eſt à ʒ. ß. ad ℈. ij, Tyrones, & vulgares medicos admonitos volumus, ne in hujuſmodi febre medicamenta ſpirituoſa, & volatilia præbeant; hæc námque ſanguinem in maximum circulationis motum adigerent, febrile incendium, & veſanam concitarent ſitim, & malum pejorarent, ac febris ex ardente fieret ardentiſſima.

Opti-

Optima, & appropriata huic febri ſunt remedia, quæ ſal volatile nimis acrè mitigant, & temperant, ex ſeminibus oleoſis parata, cujuſmodi ſunt *emulſiones ex quatuor vulgò frigidis ſeminibus majoribus, aut minoribus, ſemine papaveris albi, lactucæ, amygdalis dulcibus, vel ex hordeo ad crepaturam cocto*, quibus ſalia nitrata addi poſſunt, ut

℞. *Sem. 4. frig. maj. ana* ℥. ij. ß.
papaveris albi ℥. ij.
lactucæ ℈. j.
f. emulſio in
aquæ ſedi majoris,
rutæ capraria ana ℥. iv.
nitri antimoniati ℨ. *ß.*
ſtibij diaphoretici gr. viii.
ſacch. alum. ex Battimelli d. ℈. *ß.*
edulcora cum ſacch. perlato q. *ſ.*

Hoc ſal volatile acre figunt nitrata, ut *nitrum fixum, ſive ſal prunellæ, flores nitri, nitrum antimoniatum, vel fixum cum ſulphure antimonij*, & hoc fit in præparatione antimonij diaphoretici, & ſali prunellæ præfertur cum ſulphure præparato, nàm adeſt ſubtiliſſima ſulphuris antimonij pars, cujus ratione corpus ad lenem diaphoreſim diſponit, & unà ſal vitioſum corrigit: cœtera nitrata nimij incendij vires abſumunt, ſalis oleoſitatem coërcent, & totum ad blandam diaphoreſim dirigunt, vel per diureſim deplent. Propinatur ad ℨ.j. in ſyrupis, & julepis cum aquâ ſedi majoris, ſonchi, portulacæ, lactucæ, vel in potu ordinario cum dictis aquis, vel decocto hordei aſſumi poteſt uncia dimidia per 24. horas, cùm ſit admodùm ſalutare. Aſſumitur etiam in formâ pulveris cum fixis antimonialibus, ut

℞. *Nitri depurati* gr. xv.
ſulphuris aurati diaphoretici,
vel antimonij diaphoretici. ℈.ß. m.
& in vehiculo idoneo propina.

Vel.

℞. *Nitri antimoniati* ℈. j.
antimonij diaph. ℈. ß.
C. C. ſpagyr. præp. ℨ. ß. m.

Hæc nitrata medicamenta tàm ſola, quàm maritata omnia acida mineralia ſuperant, quia nimiam ſalis oleoſi volatilitatem figunt, & per tranſporationem, vel per urinæ ſemitas exturbant, & nil magis calorem febrilem compeſcere, & domare poteſt, quàm ipſum nitrum.

Inter medicamenta, quæ ſal volatile oleoſum acre figunt, & temperant, & ubi oleoſius fuerit, ejus oleoſitatem nimis volatilem coërcent, obtundunt, concentrant, & ad naturalem traquillitatem, & diaphoreſim graduant, cæteris palmam præripiunt ſpiritus mineralium acidi, ut *ſpiritus ſulphuris, vitrioli, & ſalis, vitrioli philoſophici, ſpiritus nitri dulcificatus*, & ex his tincturæ paratæ, ut roſarum, violarum, florum bellidis &c. Permiſcemus hos ſpiritus acidos julepis, vel ſyrupis refrigerantibus dictis cum aquis ejuſdem qualitatis ad gratam aciditatem. Cœterùm his ſpiritibus præferuntur *ſpiritus dulcificati cum ſpiritu Vini*, ſic ſpiritus ſalis dulcis, & ſpiritus nitri dulcis fit, *ſi ſpiritui nitri, vel ſalis ſpiritûs vini ana commiſceas, & ter, vel quater ex retortâ vitreâ cum ſuo recipiente, juncturis optimè clauſis, deſtillabis*, uniuntur hi ſpiritus inſeparabiliter, & dulcificantur. Prædicti ſpiritus dulcificati pro uſu interno meliores ſunt alijs, qui crudi exhibentur.

Cauſo ex vegetabilibus appropriata ſunt remedia, quæ acido ſapore ſunt imbuta, & citrus primum obtinet locum, & pravitati adverſatur ſuccus ejus expreſſus, itèm ſuccus limonum, ribium, granatorum, berberum, & ſimilia acida, ex quibus variæ parantur potiones, quæ in morbi decurſu propinantur v. g.

℞. *Decoct. cornu cervi* ℔. j.
ſucci citri ℥. ij.
ſyr. de nymphæâ ℥. j.
ſpiritûs nitri dulcificati, vel
ſpiritûs ſalis dulcis q. ſ.
ad gratiſſ. aciditatem m.

Vel

℞. *Syr. papav. rhæad.* ℥. j. ß.
ſucci limonum ℥. j.
aquæ acetoſellæ ℔. ß.
ſpiritûs ſalis dulcis q. ſ.
ad gratiſſ. acid. m.

Tamarindi in aquâ communi decocti ob acidulum ſaporem, quo potiuntur, febris incendium reſtringunt, quia ſal volatile acre præcipitant, & inſuper alvum ſticticam leniter reſerant; præſtat tamen tamarindorum decoctum in lactis ſero, quod blandiùs nitroſi ratione abſtergit, & melioris notæ medicamentum evadet, ſi cum ſucco citri ad meliorem depurationem aciduletur, tunc enim maximoperè febrilem exſtinguit æſtum, & alvum blandè relaxat.

Optima remedia in cauſo ſunt *opiata*, verùm in eorum exhibitione obſervandæ ſunt illæ conditiones, quas in noſtræ *Trutinæ lib.* I. *cap.* I. *de capitis dolore* recenſuimus, & præter has legitimum explorandum eſt tempus, quod non eſt in principio, nec in ſtatu, quandò imminet criſis, ſed acceptabile tempus eſt in augmento; tunc enim non tantùm æſtuantem calorem febrilem inſigniter delinit, ſed ſomnum conciliando delirium præcavet, & humorum orgaſmum, ſeu immanem efferveſcentiam compeſcit, & ſopit. In cauſo furibundum motum ad meliorem componit frugem laudanũ opiatum, ſed eo non perverſè uti, ſed acceptabili tempore exhibere debemus, nec, quibus deſperata eſt ſalus, præbeamus oportet; nàm præſentiſſimo medicamini, & laudato, quod multis profuit, multoſque ſervavit, methodi imperitiâ plerique notam inurunt, & perpetuò ſuſpectum reddunt, ut de nepenthe vulgus Italicè fert: *Nepente, non mi pigliar, che ti ne penti.* Opiatis utendi modus eſt, nunquàm ſola exhibeantur, ſed ſemper alterantibus ſociata, vel alexipharmacis miſta, prout neceſſitas poſtulaverit, propinentur.

In linguæ, & faucium affectibus ea conducunt medicamenta, quæ de Anginâ in noſtrâ *Trutinâ* diximus.

Cauſus per madorem, quem natura quandóque digito demonſtrat, utplurimum judicari ſolet, tunc blanda ſudorifica propinanda ſunt, & vitentur, quæ febris ardorem intendunt, ut ſunt volatilia, & ſpirituoſa: ſolùm conferunt, quæ inſipida, ità ſunt omnia medicamenta ex *cornu cervi præparata*, & præcipuè *Gelatina, antimonium diaphoreticum, ſulphur auratum diaphoreticum*, omnia bezoartica, & præſertim *Joviale*, verùm hæc ſemper, præcipitantibus maritanda ſunt, ut *Lapide cancrorum anti-hectico Poterij, ſaccharo aluminis, ſaccharo perlato, manu chriſti perlatâ, diamarg. frigid. &c.* Hæc enim ſal vo-

volatile oleoſum acre, preterquamquòd temperant, diluunt, & per cutis poros unâ cum latice in guttas proſcribunt.

CAPUT XXXII.

De Curatione febrium, quæ à Sanguinis motu intercepto producuntur.

EGimûs de febrium curatione, quæ ad rapidum ſanguinis motum, & maximum ejus incendium in vaſis magnis ob loci capacitatem eveniunt, tempus nunc poſcit, ut de intercepto ſanguinis motu tractemus: per interceptum ejus motum intelligimus, cùm pauca portio in vaſis capillaribus ceſſat à motu; ſi enim tota ſanguinis maſſa vel in vaſis magnis à motu ceſſaret, extemplò moreretur animal, námque ceſſante ſanguinis motu, & vita neceſſariò ceſſat. Cùm itáque in vaſis capillaribus præcipuè arterioſis propter loci anguſtiam motus intercipiatur, ſanguis ſeipſum figit, & veluti grumeſcit, in hoc caſu continentia illum vaſa in furorem adiguntur, producuntque in illâ parte tumorem inflammatum cum vehementi dolore, partium internarum inflammatione, & febre, quæ eundum cum ſynochâ ſervat tenorem. Tumores iſti inflammati ex ſanguine coagulato procedentes vel in extimis corporis partibus, vel in viſceribus intùs concluſis fieri poſſunt. Qui in extimis corporis partibus eveniunt, ûſque dùm ſanguis in pus concoquitur, dolores, & febres concitant, facto pure, dolor, & febris ceſſat, & per puris abſterſionem, & ulceris cicatrizationem integra cura perficitur, & de his paſſim in noſtrâ Trutinâ Chirurgico-phyſicâ Tomo. I. ſatis egimus. Reſtat nunc de internis inflammationibus agamus, quæ variæ ſunt pro partium varietate, & prout occaſio poſtulat in unum redigimus caput, & ſigillatim alibi agemus.

Signa.

Quatuor inflammationis ſigna pathognomonica à Celſo ſupputantur, calor, rubor, tumor, & dolor, ſed hæc ſigna in parte externâ, & viſibili per ſe apparent, in parte verò internâ, & inviſibili alijs indiget adminiculis. Tumor propter partem affectam interiùs latentem videri nequit, ac proindè per alia ſigna rimemur oportet: exploratur tumor per tactum externum, ſub quo tenſio, renitentia, & quandóque tumor obſervatur, ſi pars oſſibus non tegatur, ſi verò oſſibus muniatur, ut thorax, dolor pungitivus, & acutus ſentitur, præcipuè in reſpirationis motu, qui in omnibus inflammationibus internis ſemper depravatur, accedit inanis tuſſicula. His ſignis proprium læſæ partis ſignum accedit, ſcilicèt læſa ipſius partis functio, quæ ſemper inflammationem ſecundum partis varietatem innuit. Sic ex. c. ſi in hypochondrio dextro ponderis ſenſus cum inſigni hujus regionis ardore percipiatur, pars ad tactum inſigniter calet, & ad renitentiam quandam tuberat, interiùs pulſationes admodùm moleſtæ ſentiuntur; accedit febris aucta cum difficili quadam reſpiratione, quæ eſt eadem, quam in ſynocho deſ-

deſcripſimus, cum tuſſi leviuſculâ, in qua omnis excreandi conatus eſt inanis, certo certius ex his ſignis conjunctis hepatis inflammationem vaticinaberis, ſic de aliarum internarum partium inflammationibus divinari licet; in meſenterij tamen inflammatione propter ſenſum obtuſum omnia ſymptomata minùs clara ſunt, undè ſæpiſſimè ægros, & medicos fallunt. Fit inflammatio in parte determinatâ, ac proindè non ſemper eadem profert accidentia morbus, ſed ea ex parte, in qua reſidet, venari oportet: ſic læſa diglutitio in anginâ, reſpiratio difficilis in pleuritide non oriuntur à morbo inflammationis, ſed à parte propter inflammationem læſâ. Tandèm tanquàm pathognomonicum internæ inflammationis ſignum febrem ſynocham ità adeſſe oportere fatemur, ut hac abſente, & nullo modo inflammatio dici debeat.

Cauſæ occaſionales.

Inflammationis cauſa eſt ſanguinis grumeſcentia ex ſtagnatione, & hæc eſt vel interna ex ſanguinis ad motum ineptitudine per vaſa capillaria; vel externa ob quodcumque vitium, quod vias coarctat, eaſque ad ſanguis commeatum reddit ineptas. Sanguis redditur ad motum ineptus vel ex nimiâ viſciditate, & craſſitie ob ſeri defectum propter aliquam cauſam abſumpti, vel ex ſanguine nonnihil congrumato, & ſubſiſtit. Hæc duo ſcilicèt ſanguinis ſpiſſitudo, & coagulatio ferè univerſrlis inflammationum cauſæ ſunt tàm internarum, quàm externarum. Grumeſcit ſanguis ob acidum ſanguini permiſtum, ſive ob lympham nimis acidam, ſive ob rem externam, quæ ipſi acorem ſuggerit. Quod ſanguis ob acidum congrumeſcat, experimentum habemus ex liquore acido per ſyringam in venam intruſo, vel ex ſanguine in liquorem acidum immiſſo. Ex hac ſanguinis grumeſcentiâ internas progigni inflammationes ob vitioſum, & peregrinum acorem pleuritidis exemplo, quæ frequentiſſimè recurrit, primò demonſtramus; ſectâ enim pleuriticorum venâ, ſanguis, qui educitur, dùm fuit ſemicoagulatus apparet, quod omnibus febribus cum inflammationibus conjunctis eſt commune. Secundò, ſanguinem craſſeſcere, & coagulari ex medicamentis, quibus optimè internæ curantur inflammationes, demonſtramus, talia ſunt, quæ ſanguinem diſſolvunt coagulatum, & per ſudorem, aut urinam ejus acorem exturbant, quia acidum corrigunt, & abſorbent, ità ſunt *lapides cancrorum*, *ſanguis hircinus*, *ſyrupus papaveris rhæados*, *dentes apri*, *ſtibium diaphoreticum*, & cætera, quæ in caſu, & percuſſione ad ſanguinis thrombos extravaſatos diſſolvendos præſcribuntur. Itèm *Sperma ceti* internè, & externè, & ſimilia. Occaſionalis internarum inflammationum cauſa eſt nimia corporis incaleſcentia à motu nimio, vel ab exercitio violento, ejuſque in ſubitaneum frigus tranſlatio; dùm enim ſanguis incaleſcit, attenuatur, & celeriùs per tubulos fertur; frigeſcente corpore, ſanguis minùs movetur, craſſeſcit, coagulatur, & vaſa capillaria obſtruit, moratur, & ob moram acorem contrahit,

hit, qui partibus volatilibus reſolutis, individuus corruptionis eſt comes. Cauſæ externæ vaſa coarctando ſanguinis motum inhibent, vel enim vaſa comprimunt, vel eadem anguſtiant, vel adſtringunt &c. Sic arctæ ligaturæ, contuſiones, caſus, & dolorificæ fibrarum nervearum contracturæ levi quaſi ſpaſmo fibras nervoſas, & muſculoſas contrahunt, in qua contracturâ unà vaſa capillaria contrahuntur, criſpantur, & coarctantur, ac ſanguini liberum denegant commeatum, ac proindè ſubſiſtit, grumeſcit, & inflammationem parit.

Prognoſis.

Inflammatio interna vel reſolvitur, & hic curationis modus tutiſſimus eſt; vel ab acido exuberante, & prædominante coagulatur, & in ſcirrhum tranſit, quæ peſſima eſt propter tumorem contumaciſſimum, & curatu difficillimum, & niſi cautè, & ſedulò tractetur, facillimè fermentationem concipit, & in cancrum degenerat, cùm cancer occultus, & ſcirrhus in paucis differant; Vel inflammationis materia in pus concoquitur, & tunc niſi illi vel per aſperam arteriam, vel per inteſtina, vel veſicam aliquis non pateat aditus, non ſolùm ità faciliter non ſuperatur, ſed in ipſo inflammationis curſu natura ſuccumbit, & in gangrænam abit, ex qua irreparabilis ſequitur mors.

Curatio.

Quod diætam ſpectat, aër non ſit nimis calidus, nàm ſpiritus diſſipat, nimis frigidus ſanguinem grumeſcere facit, ſit itáque temperatus. Alimenta ſubminiſtret avara manus, ne nimius ſanguinis generetur proventus, & inflammationem augeat, Abſtineat à nimis calidis, ut piperatis; hæc enim ſanguinem in fluorem, & motum adigunt, & propter anguſtatas vias dolorem in loco inflammato intenderet. Caveat æger acida, ſalita, ſaccharata, frigida, præſertim ſic hæc inflammationis cauſæ fuêre. Vinum fugiat ob latentem, quem continet acorem. Potus ſit aqua cardui ſancti, decoctum cornu cervi, vel aqua papaveris rhæados, vel decoctum herbæ Theæ. Motus nimius vitetur, ne dolorem adaugeat, & magis quiete fruatur. Moderato ſuccumbat ſomno, & à vigilijs immoderatis declinet. Excernenda excernantur, & retinenda retineantur. Animi paſſiones, & præcipuè ira, & mœror proſcribantur, & animus in tranquillitate detineatur.

Febris ab internâ inflammatione ſuſcitata primò nullum auxilium à medicamento purgante tùm ex *Galeni* authoritate, cum ex ipſâ ratione; quippè ſanguis in loco inflammationis concretus neque ſeparari, neque educi à purgante medicamento poteſt: affligitur intereà à medicamento purgante natura, & citiùs inflammationis importunitatibus ſuccumbit.

Neque à frigidæ aquæ potu efferveſcentiæ exſtinctio in inflammatione expectari poteſt, cùm fervor ille à ſimplici ſanguinis motu non pendeat, ſed à ſanguine jam concreto in inflammationis loco, qui diſſolutionem, & priſtinam fluiditatem requirit, non

autem refrigerationem.

Neque à ſanguinis miſſione curationem expectare poſſumus, estò ut medicamentum purgans obeſſe non poſſit, nàm à venæ ſectione ſanguis fluens educitur, non autem ille, qui concretus inflammationem producit: attamen *Gal.* 1. *aph.* 23. ſcribit: *In maximis inflammationibus ad animi deliquium ſanguinem detrahendum eſſe.* Porrò ejus procuratores non ad animi deliquium ſanguinem mittunt, ſed revulſionis, & derivationis gratiâ abſque ullo ſcrupulo, attamen ſomniatæ revulſionis, & derivationis leges penitùs ab Harveano ſanguinis motu evertuntur, & cùm ſanguis vertatur in orbem, impoſſibile eſt eum in aliquam partem fluentem ex corde per alium locum evacuandi revellere: ex quacumque igitur parte ſanguinem mittas, æquè totum corpus ſanguine depletur, nec ad peculiarem quandam partem, ſed ad univerſum corpus pertinet. Galeniſtarum revulſiones, & derivationes tantum operantur, quantum ſanguis evacuatur, & quatenùs imminuitur; per ſe enim non ſunt neceſſariæ, niſi in inſigni plethorâ, Uno modo venæ ſectio juvare poteſt, ſi ſcilicèt ſanguis nimium premens dolorem inferat, & inflammationem auget, quandò plus ſanguinis circa inflammatam partem colligitur, quàm venæ ſorbere poſſunt, & ſimul ex vehementi illâ preſſione membranæ, & vaſa extenduntur, ac fibris rupturam minantur: in hoc caſu venæ ſectio inſtitui poteſt, quia impetum, & copiam imminuit, & nimius ſanguinis motus reprimitur, quocumque autem alio fine venæ ſectio celebrata ſemper nocere poteſt. Inſuper phlebotomia ſolùm plethoram aufert, & hæc in inflammationis principio aliquibus quandóque eſt, cùm à morbo impetuntur, & non multò pòſt exhauritur propter aſſiduam inſenſilem tranſpirationem, & ob victum tenuem, qui præſcribendus eſt, ſanguis non regeneratur. Prætereà omnis noſter calor à ſanguine ſuam cognoſcit geneſim, & imminuto ſanguine per venæ ſectionem, minuitur quoque calor, vires proſternuntur, vis digeſtiva, & ſanguificativa aufertur, & conſequenter ſi natura reſolutionem tentare velit, morbo ſuccumbit. Tandèm inflammationes, quæ per venæ ſectionem reſtituuntur, faciliùs ex quacumque levi occaſione recurrunt; videmus enim, quòd quandò ſemel in parte facta eſt inflammatio à causâ internâ, ſubindè in eâdem parte recurrat. Sic quidam quotannis pleuritide laborant, alij tonſillarum inflammatione corripiuntur, alij anginâ afficiuntur. Iis, qui ſemel eryſipelate afflicti fuêre, niſi benè curentur, recurrit malum idque in eâdem parte. Aliqui remanere in parte inflammationem paſsâ quandam diſpoſitionem, ſecundum quam fit inflammatio, inquiunt, ſed hæc diſpoſitio quid ſit, non intelligitur, quare ſcrupuloſis non ſatisfacit. Cæterùm juxta noſtram ſententiam dicimus fibras nervoſas, & muſculoſas ſemel contractas, & coarctatas nunquàm tàm benè poſt primam inflammationem naturalem nanciſci poſitum, ſed quodammodò criſpatas ex pravâ curatione remanere, & quacumque levi datâ occaſione irritatas contrahi, criſpari, & coarctari; hinc vaſa capillaria ſanguinem deferentia

com-

comprimuntur, anguſtiantur, & liberum ſanguini tranſitum interdicunt, undè ſanguis ſubſiſtit, in thrombos trāſit, inflāmationem iteratò producit. Hinc ex fibris nervoſis, & muſculoſis naturalem ſitum non ſervantibus in fracturis, & luxationibus dolores in aliquibus temporum mutationibus ſentire conjectamus.

Inertes vulgares in principio inflammationibus repellentia applicare ſtudent, quibus ſanguinem ſtagnantem repellere, vel urgere volunt, ut per arterias regrediatur, ſed hæc ſtoliditas ex ignorantià circulationis ſanguinis procedit; etenim impoſſibile eſt ſanguinem, qui per arteriam influxit, per eandem refluere poſſe. Præterea repellentia valdè ſuſpecta, & noxia cenſemus, etenim frigida, acida, & auſtera ſunt, & applicata inflammationes pejorant, quia ſanguinem anteà ſtagnantem magis coagulant; magiſque congrumant.

Galeniſtarum chorus pro inſtituendâ inflammationis curâ, ad morbum, & cauſam reſpiciunt, & unâ fideliâ duos dealbant parietes, quibus ablatis, ſymptomata facilè quieſcunt. Inter cætera, quæ adhibent medicamenta, venæ ſectionem neceſſariam eſſe cenſent, ſiquidèm ex ſanguinis effuſione, in qua totam curationis ſpem collocant, renitentia, calor, dolor pulſativus, & febris, qui inflammationem faciebant, neceſſariò deſinunt; ſed hanc ſanguificinam ſuprà repudiavimus. Ad calorem nimium extinguendū, quia inflammationis curationem inflammatæ partis refrigerium eſſe exiſtimant, & juxta *Galeni* doctrinam calida frigidis curanda, refrigerantia adhibent vulgò dicta medicamenta: ſed hæc noxia, & pernicioſa ſunt, etenim ſanguinis motum impediunt, tubulorum obſtructiones augent, & congrumeſcentiam pariunt, imò refrigerando tumorem non tollunt, in ſcirrhum mutant, vel lenes inflammationes in lethales degenerare faciunt.

Pro noſtrâ inflammationis internæ curatione inſtituendâ, ea præſcribimus medicamenta interna, quæ ſanguinis viſciditatem, & craſſitiem attenuare, ejus acorem abſorbere, grumos factos reſolvere, fientes præcavere, retardatum ſanguinem in ſuo circulo fluxiorem reddere, & ſtagnanti iterùm ejus motum conciliare valent, hujuſmodi ſunt medicamenta ſudorifica blanda, ut *cornu cervi ſpagyricè præparatum, ebur ſine igne paratum, mandibulæ lucij piſcij, dens apri, virga tauri, os de corde cervi, lapides cancrorum fluviatilium*, & cætera, quæ plurimo ſale volatili temperato ſunt imbuta, cujus ratione ſanguinem attenuant, acorem præcipitant, grumos diſſolvunt, & fluxionem reddunt, quibus *Sperma Ceti*, quod egregiam in diſſolvendo ſanguine congrumato vim habet, ac proindè tàm in omnibus inflammationibus internis, ut anginâ, pleuritide, peripneumoniâ, hepatis, lienis, renum inflammationibus, & caſu ab alto convenit, quàm in omnibus tumoribus externis inflammatoriis ex ſanguine congrumato ortis reſolvendis, ut mammillarum non tàm ex ſanguinis grumo, quàm ex lacte congrumato ſub emplaſtri formâ applicatum, in quem uſum *Hadrianus à Mynſicht emplaſtrum de ſpermate ceti* deſcribit.

Præterea D. O. M. cordatis medicis



cis arcanum revelavit, quo ratione ſalis volatilis concretus in vaſis ſanguis, inflammationis occaſio reſolvitur, & in naturæ gratiam reſtituitur, & illico inflammatio, tenſio, dolor febris, reliquaque concomitantia ſymptomata remittuntur: eſt hoc arcanum *ſanguis hircinus*, cujus præparatio in hunc modum ſe habet: *Hircum ſuſpende cornibus, & crura poſteriora reflecte ad cornua, teſtes abſcinde, & ſanguinem fluentem excipe in vaſe amplo, & exſicca in ſole, ſi æſtas ſit, vel retro piſtoris furnum, ut docet Helmontius tract. pleura furens*, præſtat propriâ manu parari, nàm in officinis utplurimum eſt adulteratus, & ovillum pro hircino accipies:

♃. *Sanguinis hirci ʒ j.*
fiat pulvis,

& infirmo exhibe in ſyrupo de papavere erratico, vel in juſculo jejuno ſtomacho bis, vel ter eâdem doſi. Sanguis hirci Sylveſtris ſanguinem congrumatum potenter reſolvit ad grana decem, ut *Lazarus Riverius cap. de Pleuritide* refert, quia uberiori ſale volatili ſcatet, & ideò ejus vires potentiores ſunt, verùm quia hîc eo caremus, ſanguinem hirci domeſtici ad ʒ j. uſurpamus, nàm hujus vires infirmiores ſunt, attamen tanti remedij effectus, & præſentaneam infirmi ſalutem mirabimini. Medicamen hoc eſt pleuritidis ſpecificum Helmontij, & hactenùs à quibuſdam magnis viris ad hunc morbum exhibitum, & decantatum fuit, attamen nos non ſolùm pleuritidi, ſed anginæ, pulmoniæ, inflammationibus hepatis, lienis, meſenterij, renum, reliquarumque internârum partium, vulneribus, caſui ab alto, contuſionibus internis, præſentaneum, & infallibile remedium convenire propriis experientiis obſervavimus, imò quamplurimis aliis morbis, & præcipuè in menſtruorum tarditate, vel ſuppreſſione, menſibus cum dolore fluentibus, vel hystericâ paſſione ex viſcido, vel ſanguine in uteri vaſis congrumato; etenim viſciditatem, ejuſque grumos incidit, attenuat, fluxilem reddit, & per uteri emunctorium exturbat. Inſuper puerperis, quibus lochia diminuta, vel prorsùs intermiſſa ſunt ſalutare, & præſentaneum experti ſumus remedium. Prætereà in hæmorrhoïdum doloribus ſanguinem in varicoſis venis congrumatum ſolvit, in naturæ gratiam, & vertiginoſum reſtituit motum, & exanimantem compeſcit dolorem. Hinc deridendos eſſe cenſemus mediculos illos, qui in quavis ſanguinis excretione ſiſtendâ, ut hæmorrhagiâ, ſputo, vomitu, nimio menſium fluxu &c. hirci ſanguinem propinant, nàm ſanguinem fluidiorem reddendo, malum adaugent, & excretionem ſollicitant: convenit hirci ſanguis in illis tantùm morbis, qui à ſanguinis craſſitie, viſciditate congrumeſcentiâ, & non aliter ſuam agnoſcunt geneſim.

In omnibus internis inflammationibus conveniunt ſulphura metallica fixata, quæ acidum in quacumque corporis parte deſtruunt, & primum tenent locum *antimonium diaphoreticum, ſulphur auratum diaphoreticum, tinctura antimonij Battimelli, & ejuſdem Mercurius diaphoreticus.* Itèm *Bezoartica tam ſimplicia*, quàm compoſita conducunt. Similiter *Miſtura ſimplex, aqua bezoartica n. d. in Mantiſsâ, magiſterium cordiale Battimelli, ſal volatile cornu cervi, unicornu verum*

rum præparatum., *ſpiritus ſalis dulcis in aquâ chærefolij*, & *ſyrupo de papavere rhœados*, *vel ſalis armoniaci ſpiritus tàm acidus, quàm ſalinus ex Battimelli deſcriptione*, *vel ſpiritus tartari*, qui maximoperè ad ſanguinis lentorem diſſolvendum proſunt. Dùm febris urget, nitrata, ut *anodynum minerale*, *nitrum fixum*, *nitrum antimoniatum*, *ſpiritus nitri dulcis*, & alia ex nitro parata remedia conveniunt. Maximoperè conducunt *emulſiones ex ſeminibus cardui Mariæ*, & *cardui ſancti*, quibus addimus *antimonium diaphoreticum*, & *ſperma ceti*; Inter vegetabilia eminent in ſanguine congrumato diſſolvendo, & acido abſorbendo *chærefolium*, *mentha*, *carduus Mariæ*, *carduus ſanctus*, *papaver rhœados*, & *bellis minor*, ex quibus *aquæ*, *ſyrupi*, & *ſalia volatilia* parantur.

In internis inflammationibus ea medicamenta ſalutaria eſſe diximus, quæ aciditatem obtundunt, ſanguinis congrumeſcentiam inhibent, thrombos diſſolvunt, fientes præcavent, fluidiorem reddunt, & in circulum adigunt, ac proindè hæc ſunt omnibus inflammationibus communia; undè quæ cap. de *Pleuritide* deſcripſimus, & præter hæc magni æſtimamus *utrumq; pulverem* in noſtrâ *Mantiſsâ* deſcriptum; quæ cap. de *Anginâ*, & ea tandèm, quæ cap. de *Echymomate* internè retulimus; quæ in Caſu, ut *Mumiam*, *fæculam bryoniæ* propinavimus, conducere experientia nos docuit.

CAPUT XXXIII.

De curatione febrium, quæ ex ſero urinario in maſsâ ſanguinis ſtagnante originem ducunt.

Natura, ut ad ultimam perfectionem ſanguinem adigat, ejus aquoſam partem per tot digeſtiones ſegregat, fluidâ exiſtente maſsâ, & per lymphatica deturbat vaſa tàm partem fluidam, quàm ex digeſtionum vitio fortè genitam, quæ excrementitia ſalia, aut alias quaſcumque ſordes, impuritates, & ſcorias imbibit, abluit, & abſtergit, & ex ſanguinis maſsâ per ductus lymphaticos in pelvim, hinc per ureteres ad veſicam urinariam expurgat, non verò ut hactenùs à medicis creditum eſt, per emulgentes, ſed de his fuſiùs egimus cap. *De Renum Anatome*, *Tomo 3. Phyſico-chirurgico*, *De Renum Vulneribus*. Et hæc urina quoddam lixivium aqua, & ſale ſalſo volatili imprægnatum: ſed hoc volatile ſalſum conſtat alkali, & acido, ambobus volatilibus, quæ partibus ſulphureis oleoſis non paucis temperantur, ut ex urinæ anatome conſtat. Accidit multoties, ut hoc ſerum urinarium non ſeparetur à vaſis lymphaticis, & in pelvim, & renes non deponatur, quia eorum munere non funguntur, vel imperfectè illud exercent, tunc ſerum illud in ſanguinis vaſa regurgitans, ſanguini commiſcetur, ejuſque puritatem contaminat, & ſanguis hoc ſero contaminatus febrem excitat, quæ ſynochus putris à Galeno dicitur.

Signa.

Continua eſt iſta febris, ſemper uniformis cum remiſſo calore, undoſo pulſu, oris ſiccitate, & abſque bibendi deſiderio & cum corporis gravedine; his exiſtentibus ſignis, ſi in veſicam non deſcendat urina, quod exploratur immiſſo cathetere, ſi nil urinæ excernatur, ſi nullus veſicæ tumor, nullus in pube dolor, & nulla in perinæo adſit gravitas, febrem à ſero urinario in ſanguinis vaſis ſtagnante, & ipſi ſanguini commiſto pendere exiſtimandum eſt. Non loquimur hîc de Iſchuriâ ſpuriâ, nàm hæc nullam habet comitem febrem, & alias agnoſcit cauſas, quas proprio capite adducemus.

Cauſæ Occaſionales.

Febrium ex ſero urinario in maſsâ ſanguineâ ſtagnante cauſæ vel in ipſo ſanguine latent, vel in ductibus lymphaticis ſerum hoc in pelvim non ſecernentibus, & utriſque ſemper eædem ſunt. In ſanguine, cùm ſerum ità mucilaginoſum eſt, ut ab ipſo ſanguine nec ſecerni, nec in vaſorum lymphaticorum poros invaſari poſſit. Vel quia ſerum cum ſanguine fluens acido-auſtero peccat, & in ductus non transfunditur ob pororum obſtructionem ab ipſo acido auſtero genitam. Vel auſtera aciditas vaſis lymphaticis hæret, quæ obſerat, & ità conſtipat, ut ne gutta quidèm in pelvim tranſcolet, ſed ſtagnans coagmentatur, regurgitat, ſanguini commiſcetur, ejuſque miſtionem turbat, ſalia confundit, & ſanguinem conſpurcat: fit venis, arterijſque hoſtile, & inimicum, ac in ſanguine febris, quam ſynocham putrim vulgares appellant, concitatur, quæ ſemper uniformiter recurrit, quouſque ſuam compleat periodum.

Prognoſis.

Hoc febris genus neceſſariò ſuffocabit, ſi præſertim è naribus fætidus urinæ odor emittatur, niſi vaſa lymphatica ſanguinis ſerum in pelvim tranſcolantia proprio muneri reſtituantur ſaltem ante ſeptimum, nàm poſt ſeptimum licèt urinam transfundant, rarò infirmus liberabitur; attamen ſi copioſus concurrat ſudor, diutiùs ſupervivere poteſt, vel minorem minatur perniciem.

Curatio.

Indicativa harum febrium curatio eſt, ut ſeri mucilago in ſanguine incidatur, ſubtilieturque, aciditas auſtera in ipſo ſanguine immutetur, obtundatur, cicuretur, & lymphaticorum ductuum conſtipatio reſeretur, & tandèm ſanguis à ſalium heterogeneorum contaminatione expurgetur: curationem itàque ab hydragogis auſpicamur, ea námque ſeri partem educunt, & reliquum tenujus reddunt, renum facultatem ad ſuum peragendum excitant munus, & quandóque ſimul urinæ calcar addunt:

℞. *Conſervæ flor. Perſic.* ℥iv. exhibeantur infirmo immediatè ante prandium.

Expurgato corpore, appropriata medicamenta ea præſcribimus, quæ aciditatem auſteram, & ſalia tàm in ſan-

ſanguine, quàm in vaſis lymphaticis corrigunt, infringunt, & per urinam expellunt, ità ſunt *lapides cancrorum fluviatilium, oculi lucij ptiſcis, lapides percarum*, omnia teſtacea, & cruſtacea. Vel manè, & veſperi jejuno ſtomacho exhibe infirmo qualibet vice ſequentem compoſitionem, ut

℞. *Salis prunellæ,*
tart. vitriolati ana ʒ. j. ß.
macis ʒ. j.

reduc in pulverem. Doſis ℈j. in conſervâ violarum.

Vel

℞. *Semin. urticæ* ſcr. ij.
dauci ſcr. j.

contunde, miſce, & propina in vino albo.

Vel

℞. *Semin. apij ſylveſtr.*
milij ſolis,
cynosbat. ana ʒ. ij.

contunde, miſce, & exhibe ʒ. j. pro doſi in jure cicerum rubrorum, vel petroſelini, vel decocto ononidis,

Omnia, quæ diuretica, & anti-nephritica ſunt, conveniunt, & præſertim *balſamus anti-nephriticus, liquor ad urinæ retentionem, pulvis anti-nephriticus, ſyrupus* pro lithiaſi in noſtrâ Mantiſsâ deſcripti. Itèm quæ volatilia, ut *ſal tartari volatile, ſpiritus ſalis ammoniaci ſalinus, ſpiritus tartari &c.*

Si his adhibitis medicamentis, úrina non reddatur, pubis regio cæpis ſub cineribus coctis numero ij. oleo ſcorpionis ſubactis calidè foveatur, ut urina proritetur: quòd ſi urinę proventus non eveniat, ad hoc aliud tanquàm ad extremum recurre:

℞. *Croci or.* ʒ. ij.

ponantur in pupatellâ, ferveant per dimedium horæ quadrantem in vaſe vitreo clauſo cum.
vini albi ℔. ß.

℞. *Hujus vini* ℥. j.

quam infirmo exhibe bis in die.

His, alijſque incaſſùm adhibitis medicamentis, & omni ſpe ſalutis ademptâ, tanquàm ad ſacram anchoram ad diaphoretica, & ſudorifica confugimus, qùia hæc ſerum craſſum ſubtiliant, & ſalia heterogenea turbata per pororum hiatum unà eliminant, etenim idem ſerum urinæ, & ſudoris materia eſt; æſtate námque ubi diaphoreſis, vel ſudor magis augetur, urinam parciùs, hyeme verò ob utriuſque diminutionem, affatim tranſcolari experimur.

Unum tandém advertendum volumus, ut æger ſtrictam ſervet diætam, & parciùs, vel nullatenùs bibat, ne aucto ſeri cúmulo, malum pejoretur abſque ullâ ſalutis ſpe.

CAPUT XXXIV.

De Curatione febrium, quæ ex liquore felleo fermenteſcente ſuſcitantur.

LIquor felleus ſive in veſicâ felleâ, ſive in vaſis bilarijs hepatis excrementum non eſt, ut vulgares perperàm opinantur, ſed ibi à naturâ producitur, ut ad diverſos deſerviat uſus, quos fuſiùs in noſtrâ *Trutinâ Medicâ l. 3. de Ictero, & in Trutinâ Chirurgico-Phyſicâ cap. de hepatis Anatome* retulimus, ubi de ejus generatione, & uſu quamplurima notatu non indigna adnotavimus. Liquor iſte vehementiſſimos continet ſpiritus, qui facillimè moventur, & febrem,

Jesuian

quam Tertianam vocamus, progignunt.

Signa.

Juvenis vehementis naturæ ſi æſtivo tempore intempeſtivè ſe exercuerit, multum vini, vel aquæ potaverit, aliaque in cibis errata commiſerit, febrem tertianam illi imminere judicare poteris, cùm extrema refrigerantur, vehementi totum corpus concutitur frigore, dentes quatiunt, pulſus contrahuntur, capitis dolor accidit, ſitis excruciat, principium acceſſionis tertianæ febris jàm eſſe judicabis; adveniet deindè calor quandóque pro corporis conſtitutione diverſus, nunc vehemens, nunc remiſſior, modò longior, modò brevior cum varijs anxietatibus, ſiti intensâ, vomitu birioſo, urinâ croceâ, quæ omnia 24. horarum ſpatio non ſolùm remittuntur, ſed omninò ceſſant; jàm tertianâ laborare febre infirmum pronunciabis: nàm poſt 24. horas, quas omninò quietas infirmus habebit, ſecunda inſurget acceſſio eadem ſymptomata proferens, & ſic deinceps de tertio in tertium procedet febris, quæ tertianæ exquiſitæ nomine indigitatur, vulgò tertiana ſimplex appellatur, nàm duplex datur tertiana, in qua paroxyſmi ſingulis diebus recurrunt, quandóque in tertiana duplici duo paroxyſmi eâdem die apparent, alterâ die remanente liberâ, quam nonnulli duas appellant tertianas, & à tertianâ duplici diſtinguunt, quæ diſtinctio nullius eſt ferè momenti.

Infeſtat in tertianâ utplurimùm amarorum humorum vomitus, hic oritur ex efferveſcente humore felleo in ventriculum regurgitante, eumque ſpaſmodicâ vellicatione ad vomitum irritante, undè tertianarij fellis effluvio ſuccum alimentitium amareſcentem vomere coguntur, quem perperàm vulgares febris cauſam putant, cùm potiùs ſit effectus.

Aſſociatur huic febri oris amarities, hæc vel è ſero ob effluvium felleum amareſcente per glandulas ſalivales, vel è ſtomacho fellei liquoris halitu ad fauces delato provenit, & hinc ad linguam, undè guſtûs organum ità amarore inficit, ut febrientes cibum, potum, & ipſum ſaccharum tanquàm amaritie imbutum falsò imaginantur, & non aliter ac amarum reſpuunt.

Hanc febrem tùm capitis, tùm lumborum dolor comitatur, quia in hujus calore arteriarum pori valdè explicantur, & particulæ ſalinæ, & ſulphureæ ſcindentes, & pungentes per illos expreſſæ nunc in lumborum regionem deponuntur, nunc ad caput deferuntur, & ob aculeata, & ſcindentia corpuſcula pungunt, convellunt, criſpant horum partes, & ſenſim dolores producunt.

Sitis intenſa tanquàm hujus febris ordinarius comes ortum ducit à ſalinis, & ſulphureis corpuſculis amaris exaltatis, & in ventriculum, ejuſque orificium, œſophagum, laryngem, & linguam delatis.

In febre tertianâ totum corpus ingenti concutitur horrore, & frigore, quod à materiæ nitro-ſulphureæ acrimoniâ concitatur, quæ dùm à veſicâ felleâ, & vaſis cholidochis diffunditur, ventriculum, inteſtina, abdomen, cæteraſque nervoſas primò vellicat partes, deindè totum corpus ſuo

motu

motù ſpaſmodico quatit.

Urina ob inſignem ſalis, & ſulphuris ſuci felleci rapidum motum croceo ſaturatur colore; ob alios ſuccos, corpuſcula à renibus ſegregata, ac terreſtres moleculas, quas ſecum rapit, redditur turbida.

Hac febre laborantes de dolore ſub hypochondrio dextro queruntur, quia bilarij ductus ibi inteſtino duodeno infiguntur, & hinc febrientes ob ſal acre oleoſum de æſtu, & ardore in abdomine conqueruntur. A depravatâ ſuccorum fermentatione ſæpeſæpiùs flatus excitantur, & ex his ſubſiſtentibus præcordiorum anxietatates commoventur, & ſi unà ſtomachus afficiatur, & infletur, difficilis reſpiratio, ingentes anguſtiæ, & dolores ſub coſtis nothis ſuſcitantur. Difficilis reſpiratio quandòque à ſanguinis effervescentiâ, eoque in pulmones ſtagnante, & ebulliente ortum ducit. A ſale oleoſo acri volatili rapidiùs in ſanguine moto ſpirituum animalium perturbatio provenit, & hinc pertinaces vigiliæ, & ſi hoc ſal Minervæ arcem petat, ibique exaltetur, ut facile ex urinis eſt conjicere, deliria febrientes ſollicitant.

Solet aliquandò febris tertiana non adeò vehementia præſeferre ſymptomata, & prolixiorem ſuæ declinationis terminum habere ob concitantis eam liquoris fellei lentorem, & viſciditatem, & hujusmodi tertianam ſpuriam, ſeu notham appellare ſolent, ex eo quia ſeptem acceſſionibus terminari non evenit, ut exquiſita tertiana.

Cauſæ Occaſionales.

Duplicis generis tertianæ febris cauſam accuſant *Galeni* mancipia, intrinſecam, & extrinſecam; intrinſeca eſt calidum, & ſiccum hepatis temperamentum, ejuſdem ſucci bilioſi ſuppreſſa aliqua evacuatio, qualis nonnullis per vomitum præſertim fieri ſolet; extrinſeca eſt aër calidus, & ſiccus, motus citati, labores nimij, iræ, inediæ, vigiliæ, calidus, & ſiccus victus, ac omnia, quæ humorem bilioſum progignere, & coacervare poſſunt. Verùm errant male feriati humoriſtæ cum eorum Anteſignano Galeno; magnum namque inter bilem, & liquorem felleum intercedit diſcrimen, & eſtò ſynonyma eſſe credant, & incautis ſuccum felleum pro bile, & contra venditent, quid pro quo accipiunt.

Tertianæ febris cauſæ ſunt omnia illa, quæ liquorem felleum plus juſto augere, agitare, vel in fermentationem adigere poſſunt, ità ſunt calidior aëris conſtitutio, validi motus, exercitia immoderata, improbi labores, productę vigilię, curę graves, longę inedię, iræ excandeſcentiæ, crapulæ, ciborum calidorum uſus, & aromatum, vinorum generoſorum potationes, &c. Itèm dulcia non tàm augent, quàm turbant liquorem felleum, & vitioſam cum ipſo effervescentiam excitant, undè vulgò dulcia bileſcere fertur. Liquor iſte felleus conſtat ex particulis ità ſpirituoſis, & volatilibus, nempè ſale volatili oleoſo, ut faciliter moveatur, qui ſi fermentationis motum concipiat, totam maſſam in vehementem concitat effervescentiam; undè ex vehementi im-

petu in hepar ipſum regurgitare, tùm in inteſtinum duodenum, & ventriculum erumpere evenit: vaſa ergò hepatica, inteſtinum, & ventriculus cùm fermentantis bilis impetum tolerare non poſſint, in motûs depravationem adiguntur, & illam pariunt febrem, quæ de tertio in tertium per acceſſiones recurrit.

Prognoſis.

Febris tertiana intermittens omnium cenſenda eſt breviſſima, & tutiſſima, ut habetur *ſect.* 4. *aph. Febres quocunque modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant.* Et *aph.* 59. *ejuſdem ſect. Tertianæ exquiſitæ ſeptem circuitibus ad ſummum judicantur.* Imò vulgares hanc febrem, etiam notham febrientibus ſalutares præbere ſuppetias credunt, ut potè qua ſanguis depuratur, non minus ac multa vina generoſa, quæ aliquoties fermentando, generoſiora evadunt, hinc illis hæc febris ſanguipurgium dicitur, cùm per hanc ſanguis quaſi depuratur. Cæterùm in magno verſantur errore; hæc námque febris, in eorum ſententiâ, potiùs ſanguinem conſpurcat, quàm purgat, & quandòque obſtructiones, aliaque poſt ſe relinquit incommoda. Prætereà ſi vina generoſa primâ vice fermentant, non generoſa evadunt, ſed in acerrima tranſeunt aceta, ut experientiâ conſtat. Febris itáque tertiana tùm exquiſita, cùm notha per ſe periculo vacat, ſicut quælibet febris, quæ intermittit; ſuccumbere enim natura non poteſt, ubi per intervalla ipſa ſuorum motuum libertatem acquirit: Verùm hæc doctrina ſub duplici conditione intelligenda eſt, prima ſcilicèt, ut febris ad exactam, & completam deveniat intermittentiam, adeò ut in pulſibus nulla præcedentis febris ſuperſint indicia; altera, ut paroxyſmus ipſius ſemper cum ſudore per totum corpus erumpente terminetur, nàm ſi hæ duæ conditiones, vel ſaltem ex ipſis unica deſit, non omninò fidendum. Multa febri tertianæ ſupervenire poſſunt, quæ vitæ periculum inferunt, licèt febris ex ſe periculoſa non ſit; ac propterea eſt advertendum, quòd ſiquis ſpecificum obtinuerit remedium pro tertianæ curatione, expectare non debet, ut tertiana ſponte ceſſet, quia faciliter ob ægri errores degenerare poteſt, neque conveniens eſt niſi poſt quartam acceſſionem aggredi, poſtquàm quodammodò natura humoris qualitatem, & quantitatem domuit. Non rarò febris tertiana ex unâ fit duplex, ex exquiſitâ fit notha, vel ex intermittente in continuam, & ex benignâ in mali moris febrem degenerat. Multoties dantur tertianæ malignæ, & peſtilentes, quæ eſtò evidentes habeant intermiſſiones, ægrotantes tamen non raròde medio tollunt.

Icterus, vel alvi fluxus tertianæ febri ſuperveniens eam ſolvit, materiâ jàm concoctâ. Et hæc eſt unica via compendiaria, qua hujuſmodi febres perfectè judicantur, cùm enim illarum focus in ciſtide felleâ, vel hepate, inteſtino duodeno, vel meſenterio, alijſque partibus primæ regionis contineatur: etiam ſi qua ſingulis acceſſionibus effertur exhalatio, in corporis habitum irrumpens, vel ſudoribus, vel inſenſili transpiratione,

ctione, vel papulis expurgetur: manet tamen craſſamentum, quod niſi naturæ beneficio, vel medicamentorum ope per alvum expurgetur, aut febris diuturnæ, aut obſtructionum, aut recidivæ, aut aliorum morborum contumacium cauſa eſſe ſolet. Tertiana laborantibus ſi puſtulæ, aut ulcera in labijs, & naribus erumpant, febris finem præſagire poteſt medicus; eſt enim veluti quædam criſis, quæ ad illas partes fit, verùm quandóque cum labijs ulceroſis pertinaciter inſiſtit.

Ordinariò hæc febris intra ſeptém, vel decem periodos ceſſare ſolet, & hîc notandum eſt ſemper præſtare in tertianis, ut paroxyſmi poſtponantur, quam anticipent, & cauſa quidem facilis eſt, nàm ubi paroxyſmi ſeriùs adveniunt, ſignum eſt vel fermentum febrile diminui, vel ſaltem tardiùs è ſuo foco moveri, quod utrumque in morbis bonum eſt ſignum, prẹſertim in febribus: ſi anticipet, diutiùs produci certum eſt, & ſi ulteriùs ſerpit febris, tunc difficilior eſt curatu, & notha, atque extenſa nominatur ob longitudinem, quam habet, ità ut ſi autumno incœperit, ad vernum uſque tempus producitur, propterea ſemper de eâ dubitandum, cùm faciliùs in continuam faciat tranſitum, quæ ſi non adeò diuturna ſit, periculoſa tamen eſt cenſenda, licèt nunc minùs ſecundum quod modò majora, modò minora ſecum aſſociet ſymptomata, verùm ſi diù perſeveret, in hepatis tumorem, cachexiam, hydropem, & cætera facile deducet.

Curatio.

Febris tertianæ curatio deſumenda eſt ex ſex rebus nonnaturalibus dictis, quarum uſus rectè adminiſtratus, comite naturâ, febrem curat, & primò ſe nobis offert

Aër, qui temperatus, ſerenus, & purus eſſe debet, ne febris calorem intendat. Cibus ſit refrigerans, & humectans, quia in Galeniſtarum opinamento bilis eſt humor aridiſſimus, & calidiſſimus, quam ignis elemento correſpondere fatentur, ideóque vitentur alimenta calida, fumo indurata, aromatica, ſalita, mellita, & dulcia. *Cibus* ſit moderatè capiendus, quantitas ſit, ut benè concoqui poſſit, attamen non in ipſo paroxyſmo; natura enim tunc cibi coctione avocatur ab humorum febriferorum coctione, ſed aſſumi deb[illegible] quinque, vel ſex horis ante paroxyſmum. Addimus & nos in acceſſione tetro halitu totum corpus perfundi, ac propterea cibum recens aſſumptum labefectari, maximâ ex parte corrumpi, & in occaſionalem febris cauſam tranſire; eapropter tùm in tertianâ, tùm in alijs febribus intermittentibus æger ante paroxyſmum, nec in ipſo neque cibum, neque potum capiat, nec ſomno ſuccumbat. *Potus* ſit ex aquâ acidulatâ ſulphuris oleo, ſpiritu vitrioli, vel ſalis, vel utatur æger *tincturâ roſarum*, *vel violarum*, *ribium*, *limonum vel ſucco citri*. Vinum prorsùs exulet, donec febrilis coquatur materia, at ubi concoqui incœperit, dandum eſt paucum, tenue, & aquoſum. *Quies* magis confert, quàm motus. *Vigilia* maximoperè nocet, ideóque ſomnus conciliari debet medicamentis opiatis ſuo febrifugo maritatis, vel emulſione noſtrâ ſomniferâ, vel

amyg-

amygdalatis, vel ſeminum melonum, papaverum, & lactucæ emulſionibus. *Alvus* ſtictica clyſteribus, vel glandibus proriretur. *Animi paſſiones* & præſertim iræ, excandeſcentiæ, & mœror fugiantur, & animus hilaritate fruatur.

Pro febris tertianæ curatione ea uſurpamus medicamenta, quæ fellei liquoris acre ſal volatile oleoſum temperant, invertunt, leniunt, & ità ſanè diſponunt, ut faciliùs, priuſquàm ad ſpecifica deveniatur, deturbetur. Felleus humor auſteris, ut *omphacij*, *berberum*, *limonum*, & *granatorum ſucco* mirificè temperatur. Acida, ut *ſpiritus vitrioli*, *ſulphuris*, *ſalis dulcificati*, *ſpiritus vitrioli Philoſophicus*, *vel ſalis ammoniaci n. d.* in *Pyrotechniâ*, fellei liquoris acrimoniam potenter infringunt, verum diluuntur in aquis appropriatis, vel ſero lactis ad gratiſſimam aciditatem, vel fiunt ex his tincturæ, ut *abſynthij n. d. roſarum rubrarum*, *violarum*, *boraginis &c.* vel ſyrupis admiſceri poſſunt, ut

℞. *Syr. de ſucc. Viol.* ℥ß.
aquæ card. ſancti ℥iv.
ſpiritûs vitrioli, vel ſulph. q. ſ. ad gratiſſ. aciditatem m.

Ejuſdem fellis turgentiam liniunt, & corrigunt emulſiones ex oleoſis ſeminibus paratæ, &

℞. *Sem. melon.* ℥j.
f. emulſio in aqua card. ben. ℥iv.
ſyr. de nymphæâ ℥jß. m.

Salia vegetabilium fixa per incinerationem parata non ſolùm humoris fellei efferveſcentiam compeſcunt, ſed tertianam tollunt, ità ſunt *ſal abſynthii*, *cardui benedicti*, *centaurij minoris &c.* imò his ſi adjungantur *antimonium diaphoreticum*, *vel oculi cancrorum præparati*, rarò fallunt, ut

℞. *Salis abſynth. fixi*,
ocul. cancr. præp. ana ʒß.
ſtibij diaphoretici ℈ß. m.
& in aquæ cardui benedicti ſ. q exhibe.

Succus deindè felleus ità temperatus promptiùs volatilitate ſuâ per ſuperiora eliminatur, ſi præſertim æger ſit nauſeabundus cum oris amaritie, & ad vomitum facilis, tunc bilem dictam ad ſtomachum repere, ibique turgere, ſursùm affectare viam, & exitum quęrere manifeſtum eſt argumentum: ſic ventriculus ab acris ſalis volatilis oleoſi ſcorijs expiatur, prima coctio faciliùs peragitur, & febrilis paroxyſmus imminuitur, & quandóque tollitur. Undè relictis dejectivis, ad vomitum cientia in tertianæ curatione confungiendum eſt.

Pro ſpecifico emetico in tertianis commendant vulgares medici *Vitriolum album*, ut

℞. *Vitrioli alb. à* ℈j. *ad* ʒß.
fiat pulvis,

quem in juſculo propinant, vel in alicujus conſervæ, *ut boraginis*, *violarum*, *vel roſarum* cochleare exhibent cum juſculi ſuperpotatione. Sed nos tale vomitivum repudiamus, quia ſtrangulanti indole, & exulcerante potitur, & aliquid ſubindè, quod in totum ventriculum deſtruit, remanet. Ea itàque conducunt emetica, quæ blandiori prædita ſunt energiâ, ità eſt *decoctum ex foliis aſari in aquâ cardui benedicti factum*, vel *decocti nicotianæ uncia dimidia*. Itèm *tartarus emeticus Mynſicht à* gr. iv. *ad* vj. Sed omnibus emeticis palmam præripit in blanditie noſtrum *Hippocras*

tras emeticum ad cohleare unum, ut nobiſcum plures pluries experti ſunt. Unum tantùm notamus vomitoria ex antimonio parata, ut *aquam benedictam Rulandi, crocum metallorum, vitrum antimonij hyacinthinum*, *infuſionem reguli antimonij, flores antimonij, mercurium vitæ*, & alia ex antimonio petita, ſtabulantem in primis vijs materiam feliciter exturbare: Verùm hæc ſicut ſolertem ſpagyricum, ità peritum, qui ea exhibeat, medicum requirunt, aliter ſunt velut culter acutus in manu infantis, aut gladius in manu furioſi, ut multa paſſim funeſta obſervantur exempla, ideóque in naturis debilioribus obſervatis omnibus legibus, quas in propinandis vomitorijs recenſuimus, exhibenda cenſemus. Blandiora itáque emetica (eſtò in paroxyſmo non facile aliquid præbendum) ità neceſſitate urgente, in ipſo paroxyſmo exhibemus, quia tunc bilis dicta ventriculum repit, undè & in acceſſionis initio anguſtia, & dolores circa præcordia ſentiuntur, & ægri quandóque lipothymiâ corripiuntur, ac proindè tunc vomitoria exhibere licet: eapropter non ſolùm anxietates illæ tolluntur, verùm etiam paroxyſmus imminuitur, & interdùm febris aufertur.

Si verò bilis dicta ad inferiora vergat, quò vergit, eò ducere oportet, eodem modo per inteſtinorum excretionem deturbetur neceſſe eſt, & tùm præcipuè quatenùs bilem è duodeno, meatu cholidocho, & ipſo fellis folliculo turgeſcentem exprimendo evacúat medicamentum purgans, & hæc quidèm evacuatio ſponte quandóque contingere ſolet in tertianis exquiſitis, & exquiſitè judicantur: ex torminibus autem, & anxietatibus imum ſollicitantibus ventrem cognoſcitur medicamentum catharticum requiri, & hæc eſt via commodior; natura enim ipſa viam hanc per inteſtina ad excrementorum excretionem ſibi ſtravit, imò à corpore univerſo ad inteſtina commodior, & magis uſitata eſt. Medicamentum purgans intermiſſionis die exhiberi debet, idque matutinis horis, ut vulgò fieri ſolet, dummodò intermiſſio in eas incidat horas, & non die paroxyſmi, quia tunc eſt afflicta natura, & afflictæ non eſt addenda afflictio. Inſuper medicamentum purgans à circumferentiâ ad centrum trahere dicunt, & natura in paroxyſmo à centro ad circumferentiam exturbat, & ità duo inſtituerentur motus, unus alteri contrarius, quos non ſine damno tolerare poſſet. Prætereà ſi natura die paroxyſmi per ſudorem evacuationem moliri velit, ſudor per medicamentum purgans magno cum detrimento inhiberetur. Vel ſi natura purgationem per alvum inſtitueret, & medicus eodem die purgans exhiberet medicamentum, metuendum, nè ex utroque motu immoderata ſuccederet evacuatio magno cum ægri detrimento. Intermiſſionis itáque die exhibendum eſt medicamentum purgans: Cæterùm hæc medicamenta blandiora eſſe oportet, & à diagrydiatis, antimoniatis, cæteriſque pharmacis, quæ vehementer ſolvunt ventrem, omninò cavendum, nàm hæc exhibere eſt ſulphur igni addere, & febrē in duplicem, vel continuam, vel alterius moris reddere, ac proindè levioribus acquieſcere licet, & quæ bilem dictam evacuare apta ſunt, ità eſt

Manna potabilis n. d. extractum rhabarbari, vel *ejus infuſio cum decocto ſennæ*, vel *caſſia in* bolum redacta, ut

℞. *Caſſ. recens extract. per ſetam* ℥. ij.
rhabarbari opt. ʒ. j.
m. & cum ſacch. f. bolus.

Vel *ſyr. roſar. ſolut. de Cichor. Nicolai, diaprunum lenitivum*, & ex his potio in hunc modum parari poteſt:

℞. *Fol. ſen. or.*
tart. vin. alb. ana ℥. j.
rhabarbari opt. ʒ. j.
pulpæ tamarind. ℥. ß.
f. decoct in aqua fumar.
& in ſuff. q. diſſ.
ſyr. de cichor. Nic.
roſ. ſolut. ana ℥. iij.
diapr. lenit. ℥. ß.
m. f. p.

Vel *conſ. roſ. perſ.* vel *flor. perſ.* vel *earum expreſſionis* exhiberi poſſunt.

Alij non intermiſſionis die medicamentum purgans, ſed inſtante paroxyſmo propinandum eſſe cenſent, his ſuaſi rationibus: Natura utiliter paroxyſmi die evacuationes molitur, ac eodem ferè die ſemper criſin inſtituit: itáque cùm medicus ſit naturæ miniſter, eam æmulari debet, & quidèm jure, nàm tunc humores moventur, & agitantur, ac natura tùm humorum motu, tùm onere irritata faciliùs evacuationem adjuvabit: & reverà tali curandi methodo plures longiſſimis febribus laborantes multò citiùs quàm aliàs ereptos obſervavimus.

Cæterùm quæ ſuprà adduximus, facilè hanc dirimunt litem; ſi enim materia, inſtante paroxyſmo, ad ventriculum repat, in ipſâ acceſſione vomitorium præbendum, ſed lene, ut diximus; ſi verò ad inferiora inclinet loca, die paroxyſmi lenem purgationem inſtituere oportet, præſertim ſi multa humorum congeries in primis ſtagnet vijs, ità ut ante initium purgationis motus ſit abſolutus.

In debilibus, & delicatulis remedia podicis, ſcilicèt clyſteres conducere inquiunt vulgares in principio, & fine paroxyſmi, & felici cum eventu in praxi experiuntur, quia non dubium eſt, quin materia quædam ſeparata, & ad inteſtina detruſa per clyſteres educatur, & hinc paroxyſmus imminuitur.

Evacuatâ alvo, inter ſe rixantur *Galeni* diſcipuli, an venæ ſectio in tertianâ ſimplici conducat? Et rixandi anſam è magiſtro *Galeno. 1. ad Glauc. cap. 9.* deſumunt, ubi in tertianæ exquiſitæ curatione nullam de venæ ſectione mentionem facit, cùm tamen in curatione tertianæ nothæ poſteà ejus meminerit. Eapropter in maximâ animi afflictione verſantes, in *Galeni* mentem interpretando inſudant, & varias adducunt cauſas. Undè aliqui *Galeni* authoritate innixi, venæ ſectionem in tertianâ intermittente omittendam arbitrantur, quia ipſe non dixit. Alij verò, qui eam admittunt, varias afferunt conjecturas, cur *Galenus* de venæ ſectione mentionem non fecerit. Nonnulli putant eum venæ ſectionem omiſiſſe, quòd eam, tanquàm quiddam clarum, & extra omne dubium præſuppoſuerit, vel brevitatis ſtudio omiſerit; quod tamen vix locum habet, cùm adeò clarum non ſit, à quo indicetur venæ ſectio in hac febre tertianâ exquiſitâ, & poſteà in tertianâ nothâ e us mentionem fecerit, neque neceſſaria præ-

ſi-

ſidia brevitatis gratiâ omittenda ſunt. Alij cenſent, ideò eum omiſiſſe, quòd in febre id, quod maximè ad venæ ſectionem deſideratur, non adſit, virium ſcilicèt robur. In tertianâ enim exquiſitâ omnia, ætas, anni tempus, regio, temperamentum, ad calidum, & ſiccum vergunt, & proindè tale corpus viribus valentibus eſſe non poteſt.

Iſti medici vulgares, capita cucurbitina, *Galeni* doctrinam tanquàm ex tripode, imò ex quadrupede dictatam venerantur, de umbrâ aſini, & lanâ caprinâ rixantur. Cæterùm nos juxta noſtra principia in tertianâ exquiſitâ nullo modo venæ ſectionem eſſe neceſſariam dicimus, & præcipuè cùm aliquot mille abſque venæ ſectione eſſe ſanatos conſtet, præſertim his in noſtris regionibus, & cùm experientiâ quotidianâ pateat illos, qui frequentiùs educi ſibi ſanguinem patiuntur, ſatis proclives ad febres fieri, & porrò nos doceat, quòd febris tertiana ſimplex per venæ ſectionem in duplicem mutatur, vel ſaltem producitur, nec venæ ſectio quò ad primas vias aliquid auxilij afferre poteſt, imò ſanguis ex vulgarium opinamento cùm ſit frænum bilis, iſto deſtituta fræno effrænatè defertur.

His ritè peractis, ad febrifuga, ut febris omninò exſtinguatur, recurrendum eſt medicamenta, quæ non præſente febre, ſed dùm inſtat ante paroxyſmum exhibeantur, imò unâ, vel duabus horis ante, & repetantur, & ſæpiùs in duobus, tribus vel quatuor paroxyſmis, licet non redierint ſuo tempore, ut ſic junctis viribus cum naturâ operentur, & aliquæ ſeminij febrilis particulæ ſopitæ perfectè exſtinguuntur.

Helmontius ad febres intermittentes *ſalia volatilia ex plantis cephalicis, ut ſampſuco, ſalviâ, betonicâ, rore marino &c.* commendat. *Anti febrile Crollij* nos felici cum ſucceſſu uſurpamus, cujus deſcriptio eſt:

℞. *Spiritûs Vitrioli* ℈. j.
Salis abſynth. ʒ. ß.
aquæ cichor. ℥. ij. *m.*

Propinatur inſtante paroxyſmo, & ad febris exſtinctionem reiterari debet. *Antimonium diaphoretium* eſt inſigne anti-febrile, non niſi quartâ febris tranſactâ die, & præſertim ſi in declinatione ſudor effluat, tunc diaphoretica præcipitantibus, vel ſudorifera ſociata feliciſſimè febris ſeminio ſupremam imponunt manum; hæc enim, alkalia cùm ſint, febrile fermentum præcipitant, efferveſcentiam exſtinguunt, & febrem tollunt.

Omnia amara fellei liquoris acre ſal volatile oleoſum invertunt, obtundunt, corrigunt, ejuſque fermentationem inhibent, & ad naturalem reducunt temperiem: amara itàque in hac febre ſunt veluti anti-febrilia, ac proindè nos plures à febribus intermittentibus ſolo *electuarij hieræ picræ* uſu eripuimus. Hac etiam ratione *abſynthium*, quia amarum eſt, ejus ſuccus condenſatus ad ʒ. j. aſſumitur in vino horâ unâ ante paroxyſmum, vel ejus extractum in formâ pilulari, & idem dicimus de *carduo ſancto*. Sed *Centaurium minus* in febribus intermittentibus inſigne eſt febrifugum; eſt enim amaritie amarius, undè fel terræ vocatur, & inter vegetabilia totum anti-febrile nominare meruit: eapropter herbæ, & florum in formâ pulveris ʒ. j. in hauſtu vini propinatur, vel ejus extractum in

in pilulari formâ. Hæc vegetabilia ſuperat *Gentianæ radix* in fugandis febribus intermittentibus; pulveriſata enim à ℥ß. ad ℥j. in vehiculo appropriato, ante febris invaſionem, repetito uſu, elicito ſudore, febres fugat. Ruſtici ejus ſuccum inſpiſſatum contra febres intermittentes aſſumunt felici cum ſucceſſu. Recentiores ex gentianâ extractum febrifugum cum ſpiritu vini conficiunt, quod aliis commiſcent, & pilulas formant antifebriles, ut

℞ *Extract. gentianæ, centaur. min. abſynthij ana* ℥ß. *m. f. pilul.* IX. *& deaurentur.*

Doſis pilul. iij. horâ unâ ante febris acceſſionem aſſumendæ.

Egregium febrifugum, & magis modernum eſt, *Cortex Peruvianus*, vulgò dictus *China Chinæ* ſaporis amariſſimi, quem Hiſpani *Palos de calentura* appellant, qui primùm expertus eſt contra febres intermittentes quaſcumque, etiam chronicas. Adhibetur in tertianâ unâ, vel duabus horis ante paroxyſmum, & infunditur in vino albò generoſo ad ℥j. vel ij. vel formari poſſunt pilulæ: ſed de hoc cortice, alijſque febrifugis fuſiùs in quartanæ curatione egimus. Verumenimverò hic cortex ob mercatorum fraudem facilè adulteratur, & vix legitimus reperitur, ideóque *gentianæ radix*, quia inſigne febrifugum eſt, *corticis Peruviani* loco adhibeatur hortamur.

Hæc febrifuga operantur præcipitando fermenta febrilia, & effervescentias mitigando febriles. Vulgares medici primò purgant, deindè febrifuga propinant, & pòſt rursùs purgant: ſed perperàm faciunt, nàm *fruſtrà fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora*. Aliqui primò purgant, & poſtmodùm febrifuga exhibent: cæterùm malè operantur, nàm in his febribus relinquuntur aliquæ particulæ fermentabiles ſopitæ, & non totaliter præcipitatæ, quæ poſtmodùm vires ex levi aliquâ occaſione aſſumunt, & recidivam faciunt. Nos verò évacuatâ fellei liquoris ſaburrâ per vomitum ad ſpecifica devenimus, ſed ubi vomitui non eſt locus, ad quæ ſuccum felleum invertunt, & obtundunt medicamenta, & deindè frebrifuga confugimus. His ſpecificis anti-febrilibus exſtinctâ febre, purgamus, nàm materiam præcipitatam purgante exterminamus, & ſic recidivam vitamus, quod utique non eveniret, ſi primò purgaremus, & deindè febrifugis febrem exſtingueremus; poſſet enim ex his, quæ relinquuntur, febris exſuſcitari, niſi reiteratò purgaremus, quod utique ſupervacaneum exiſtimamus.

Allatis ſpecificis non ſolùm tertiana, & quartana citò, tutò, & jucundè curantur, ſed febres omnes, quæ ab extremorum refrigeratione acceſſionum initium habent, licèt ad perfectam infebricitationem non devenerint, profligantur. Diſcite nunc Tyrones, & vos patres barbati, *Galeni* procuratores, quàm falſa ſit humorum quaternarij doctrina, cùm unum, idemque remedium quotidianam, tertianam, & quartanam infallibiliter curet, quas ab humoribus inter ſe contrarijs pendere mendaciter ſectariorum medicorum armenta fatentur: Hujuſmodi remedia ſi cognoviſſet *Galenus*, quia Vir erat ingenuus, certè libros ſuos Vulcano conſecraſſet.

CAPUT ULTIMUM.

De Curatione febrium, quæ ab aquâ Pericardii ortum habent.

AQua in pericardio ſicut quotidiè cordis calore abſumitur, ità perenniter reproducitur, neceſſaria erat hęc, ut cordis æſtum temperaret, extrinſecùs humectaret, nimiam ſiccitatem inhiberet, ejus motum lubricaret, & ut cor innatando minùs grave fieret, & in nullam impingeret partem: ità hæc aqua cordi eſt neceſſaria, ſicut quælibet alia piſci, & ſicut piſcis extra aquam vivere nequit, ità aquâ pericardii diminutum tabem, & tali liquore privatum, mali moris febrem inducit, de qua nunc agimus. Putârunt nonnulli *Galeni* diſcipuli majorem iſtius liquoris copiam cordis palpitationem facere: Cæterùm autopſiâ comprobatum eſt omnes, quorum poſt mortem pericardium majori hujus liquoris copiâ confertum fuit inventum (eſtò morboſi viverent) in nullam cordis palpitationem incurriſſe, ſed tantùm, dùm vivebant, pulſum languidum, & rariorem habuiſſe. Neque ab iſtius liquoris copiâ tanta pericardij anguſtia fieri poteſt, ut cor in eo ſe movere nequeat, & hinc palpitet, ſed contrà magis dilatatur, & laxatur, undè faciliùs in eo multò movetur.

Signa.

In hac febre vires languent, pulſus ſunt inæquales, & intermittentes, æger frequentibus animi defectibus, & lipothymiis corripitur, faciliter in delirium incidit, & ſpirandi difficultate laborat.

Cauſa.

Aqua Pericardij à vehementiſſimis ánimi perturbationibus, & quandóque à tali veneno, quod tacemus, in ſuo ſtatu naturali immutatùr, & ſuos immittendo halitus, cor verſus abſumitur, & ipſum vehementer lædunt, illius motum depravant, & febrem in eo accendunt continuam, puſillam, uniformem, mali moris, & frequentibus animi deliquijs comitatam.

Prognoſis.

Talis febris curatio difficillima eſt, & raró ab hac eripiuntur ęgroti, quippè remedijs in pericardium undequaque præcluſus eſt aditus, tantum hoc receptũ ab *Agrippâ de Vanitate ſcientiarũ deſcriptũ multùm prodeſſe poteſt:* ℞. *Tabellionem unum, teſtes numero vij. adde Sacerdotem cum aquâ, & oleo benedicto, & diſpone &c.*

Curatio.

Hujuſmodi febres neque ſanguinis miſſione, neque medicamento purgante remitti poſſunt, remotis itáque his duobus magnis medicamentis à vulgaribus tàm decantatis, eſt nè derelinquendus æger in faucibus orci? minimè quidèm, ſi quæ tamen ſuppetiæ ſuppeditari poſſunt, à cardiacis tantùm petendæ ſunt, hujuſmodi erunt *Aqua perlarum*, *balſamus ſanguinis humani*, *elixir ſanitatis à nobis in Mantiſſâ deſcriptum.* Vel *Aqua cordialis*, *elixir cordiale*, *magiſterium cordiale*, *tinctura corallorum à Battimelli deſcripta*, attamen hæc cum liquoribus appropriatis cochleatim per brevia intervalla uſurpanda ſunt. Sed utinàm hæc optimæ notæ medicamenta, ſicut alijs cordis paſſionibus auxiliarentur, ità pericardium, cui undequaquè præcluſus eſt aditus, irreperent, ejúſque abſumptam repararent aquam! Arcem, cui interdicta eſt aqua, diù hoſti obſiſtere, & manus non dare impoſſibile judicamus.

FINIS.

INDEX
RERUM, ET MATERIARUM,
Quæ in TRACTATU DE FEBRIBUS Continentur.

A

Abſynth. intermittentes febres curat 64
Amuleta contra quartanam 66
Angelica Venenis reſiſtit 104
Antidotum Matthioli proſcribitur 110
Anti-febrifugum Crollij 211
Antifebrifugum Riverij 65
Antimonij diaphoretici compoſitio 115
Aqua fœtida ad Stabias cephalalgiam curat. 157
Aqua Pericardij eſt febrium occaſio 30
Aqua Æſculapij 42
Alexipharmaca Authoris 107
Angelica, ſeu manna potabilis 96
Bezoartica Authoris 107
Capocephali 162
Confortativa uſitata 128
Prophylactica contra peſtem 113
Theriacalis Bauderonij 109
Deſtillata 110
Petri Salij 109
Cum ſpiritu vini ibid.
Tuphania febrem inducit 96
Aſarum febrifugum eſt 54
Atrophia ſigna. 148

B

Bezoarticum minerale. 115

C

Cachexia ſigna 148
Camphora alexipharmaca eſt 111
Cancri fluviatiles in febre hecticâ 158
Carduus benedictus alexipharmacus eſt 104
Cauſa omnium motionum in vivente corpore Vitam, Animam, & Naturam plerique appellant, & Hippocrates impetum facientem dixit 5
Cerebri maraſmi ſigna 150
Centaur. minus in febribus intermitt. 64
Ceruſſa antimonij diaphoretica eſt 118
Cervus alexipharmacus eſt 121
China china deſcriptio 57. & ſeq.
Chyloſtagma diaphoreticum Minderi 105
Cinis cancrorum fluviatilium 169
Cinnabaris antimonij ſudorificum eſt 117
Citrus alexipharmacus eſt 112
Conſerva prunorum 73
Conſummatum confortans Hartmanni 127
Contrajerva alexipharmaca eſt 104
Cordis maraſmi ſigna 150
Corpus animale ex diverſis componitur organis, & omnia in unum diriguntur 11
Corporis viventis diviſio in continentia, contenta, & impetum facientia ab Hippocr. tradita 2
Cortex ramorum viſci quercini in febribus 63
Curatio febrium à cibis, & potu quantitate, vel qualitate peccantibus 40
Signa 41
Cauſæ occaſionales ibid.
Prognoſis ibid.
Curatio ibid.
Curatio febrium ex degeneratione ſeroſitatum provenientium, & quæ à ventriculo per vaſa brevia à Liene alliciuntur 43
Signa ibid.
Cauſæ occaſionales 44
Prognoſis 45
Curatio 46
Curatio Febrium, quæ ab excrementis generari ſolent 67
Signa ibid.
Cauſæ occaſionales 68
Prognoſis 70
Curatio 71
Curatio febrium, quæ à degenerato partium nutrimento foventur 75
Signa 76
Cauſæ occaſionales 78
Prognoſis 79
Curatio 87
Curatio febrium ex aëris mutatione 130
Signa 140
Cauſæ occaſiones ibid.
Prognoſis 141
Curatio ibid.
Curatio febrium, quæ ex prohibitâ transpiratione

ratione originem ducunt. 141
Signa 142
Cauſæ occaſionales ibid.
Prognoſis ibid.
Curatio ibid.
Curatio febrium, quæ à ſanguine depravato producuntur 173
Signa 174
Cauſæ occaſionales ibid.
Prognoſis 178
Curatio 180
Curatio febrium, quæ à ſanguinis motu intercepto producuntur 195
Signa ibid.
Cauſa 196
Prognoſis 197
Curatio ibid.
Curatio febrium, quæ ex ſero urinario in maſſa ſanguinis ſtagnante originem ducunt 201
Signa 202
Cauſæ occaſionales ibid.
Prognoſis ibid.
Curatio ibid.
Curatio febrium, quæ ex liquore felleo fermenteſcente produntur 203
Signa 204
Cauſæ occaſionales 205
Prognoſis 206
Curatio 207
Curatio febrium, quæ ab aqua pericardij ortum habent. 213
Signa ibid.
Cauſa ibid.
Prognoſis ibid.
Curatio. ibid.

D

Decoctum Authoris in hecticâ febre 169
De iis, quæ Medicus animadvertere debet in febrium curatione ſuſcipiendâ 39
Diatartarus in formâ pulveris. 71

E

Ebur alexipharmacum eſt 122
Electuarii Diaſcordij Fracaſtorij compoſitio. 103
Emplaſtrum in quartanâ Helmontij 61
Emulſiones in hecticâ febre 161. 162
Emulſio Somnifera Authoris 186
Extractum febrifugum Authoris. 63

F

Febris definitio juxta Authorem 18
Febres ex aëris mutatione 138
Signa 140
Cauſæ occaſionales ibid.
Prognoſis 141
Curatio ibid.
Febrium curatio, quæ ex humido radicali degenerato originem ducunt 144
Febrium acutarum curatio, quæ ex humido radicali depravato originem ducunt 145
Febris hectica quid 145
Pars affecta 146
Signa 148
Cauſæ occaſionales 150
Prognoſis 155
Curatio. ibid.

G

Galega contra viperæ morſum 104
Galenus Platonem, & Ariſtotelem irridet 5
Gelatina C.C. in febribus malignis 122
Gentiana radix in febribus intermittentibus. 64

H

Hepatici maraſmi ſigna. 149
Hippocras emeticum. 99

I

Id, quod vita, anima, ſive natura in viventibus corporibus functiones exercet, eſt ſubſtantia ſimplex per cuncta corporis organa æqualiter diffuſa. 11
Imperatoria venenis reſiſtit 104
Contra febres intermittentes 64
In chylo homogeneo ſunt commiſta quatuor elementa 9
Inteſtinorum maraſmi ſigna 149
Iura conſumpta viperarum 171

L

Lac Aſininum confutatur 164
Caprinum ibid.
Humanum in hecticâ febre 163. 172
Perlarum in hecticâ febre 169
Lapis Bezoar alexipharmacus eſt 123
Lienis maraſmi ſigna 149
Limaces montanæ in hecticâ febre 158
Liquor abſynthij 168
Felleus eſt cauſa occaſionalis febrium 30
Nutrititius febres producere valet 27

M

Maraſmus in tres ſpecies dividitur 147
Mel vitetur in hecticâ febre 160
Monachus feſtivus pro arcendâ quartanâ ſchedulam vetulæ conſignat 67
Morſus Diaboli malignis febribus reſiſtit 105

Motus

INDEX

Motus definitio ab Ariſtotele. 14

N

Natura definitur ab Ariſtotele 11
Nicotianæ decoctum 54
Nitrum fixum diaphoreticum eſt 121
Nux juglans à veneno præſervat. 112

O

Oleum verbenæ obſtructiones delet 56
Oſtrea laudantur à Lindano in hecticâ febre. 160
Ova ſorbilia alvum movent. 72

P

Partes corporis, quæ continentes ab Hippocrate appellatæ fuêre, quomodo poſſunt eſſe occaſiones motûs depravati 16
Paſſulæ ſunt egregiæ in phthiſi 159
Paſta Regalis ibid.
Periodorum in febribus inveſtigatur cauſa 35
Phthiſis ſuccedit cachexia 147
Signa 149
Ptiſana hordeacea hecticis commendatur 159
Pulmonis maraſmi ſigna 149
Pulvis cachecticus ſimplex 55

Q

Quomodo aqua pericardij poſſit eſſe febrium occaſio. 30
Quomodo cauſæ occaſionales febres producant. 31
Quomodo excrementa poſſint eſſe febrium occaſiones. 22
Quomodo humidæ ſuperfluitates poſſint eſſe febrium occaſiones ibid.
Quomodo ingeſta in ventriculum poſſint eſſe morbi occaſiones 21
Quomodo intelligi debeat ſpiritum impetum facientem, ſive vitam libere moveri debere, ut inculpatam ſanitatem producat in vivente corpore 15
Quomodo liquor folleus poſſit eſſe cauſa occaſionalis febrium 30
Quomodo nutrimenti pars poſſit eſſe febrium occaſio 26
Quomodo nutrimentum poſſit eſſe febrium occaſio. 23
Quomodo ſanguis in venis, & arteriis contentus poſſit eſſe febrium occaſio 28
Quomodo ſerum poſſit eſſe febrium occaſio. 19

R

Rhabarbari eſſentia 168
Ros quomodo febres producat. 27

S

Saccharum vitetur in hecticâ febre 160
Salſa Chymica 42
Scordium alexipharmacum eſt 103
Species, ſive differentiæ contentorum in viventium corpore eſſe poſſunt febrium occaſiones. 19
Spiritus impetum faciens ſpermaticis partibus inexiſtens, movendo eos pro organi diſpoſitione, ad quod conſtitutum eſt, exercitium functionis organi cauſat 13
Spiritus alexipharmacus 103
Succinum à malignitate præſervat 119
Succiſa. Vide *Morſus Diaboli.*
Sulphur antimonij fixum 116
Auratum diaphoreticum 117
Syrupus authoris ad ſanguinis fervorem compeſcendum. 186

T

Tamarindi febris incendium reſtringunt 194
Terra ſigillata adulterina 119
Teſtudo terreſtris in hecticâ febre 159
Tinctura Alkermes, & Hyacinthi Authoris. 128
China China 62
Diaphoretica Battimelli, vel melius Muſitani. 126
Roſarum 185
Violarum ibid.
Tormentilla ſudorem movet. 72

V

Ventriculi maraſmi ſigna 149
Vinum paſſulatum alvum movet 72
Vnicornu alexipharmacum eſt. 123

FINIS.

Aqua solutiva simples — p. 72.
Arcanum ad obstructiones — p. 55.
Arcanum in inflamatione, mens. tarditate, et cum dolore fluentium. — p. 200.